This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

LEMOBIUS

1532

616.
07
L43c
R

DE OPTIMA PRAEDICENDI RATIONE, LIBRI SEX:

Item
Iudicij operum Magni Hippocratis, Liber vnus.

LVDOVICO LEMOSIO
PHYSICO, AC MEDICO
AVTHORE.



VENETIIS Apud Robertum Meietum,
M D XCII.

UNIVERSIDAD CENTRAL
BIBLIOTECA
MEDICINA

PRÆSTANTISS^MO.
AC ERVDITISSIMO
VIRO
EVSTACHIO
RVDIO MEDICO
AC PHILOSOPHO

Robertus Meietus S. P. D.

CVM hic Lemoſij præſtantiſsimi Medici libellus de prædicēdi in ſingulis morbis ratione, quæ caput eſt, vel ipſo teſtante Galeno, atque Hippocrate in ar-

te Medica, a me denuo poſt tranſalpinos, typis Italicis eſſet imprimendus, tu mihi potiſſimũ vnus, & princeps m ecum animo voluntanti occurriſti, DOCTISSIME RVDI, qui ſuo quaſi iure a me ſibi huius elegantiſsimi Libri titulum vendicaret, & tua, & mea, & ipſius Libri cauſa. Tu enim, cum diuinitus de me ſis meritus, qui tua mihi arte ſæpius bona valetudinem amiſſam recuperaſti, & in omnibus meis temporibus, vbi tua opus fuit opera, ac arte, libentiſsime affuiſti, et is ſis in hac arte Medica, vt noſtri huius tẽporis, & huius ætatis, ac propè memoriç ſi non princeps, nulli certe

ſecun-

ſecundus meritò dici, ac nuncupa
ri poſſis: neque enim per dubias
laudes mea errat oratio, ſed ſcri-
ptorum tuorum, quibus videris
Medicinam tãquam alteram Eu-
ridicen prope ab inferis reuocaſ-
ſe, elegãtiſſima, & doctiſſima mo-
numenta, vel cum ipſa antiquita
te comparanda teſtantur, non ſi-
ne ſcelere à me pręteriri poſſe vi-
debaris, quin aliquo publico teſti
monio, ac monumento teſtatam
apud omnes homines, & omnem
etiam poſteritatem, ſi fieri poſſet,
relinquerẽ meam in te animi in-
ductionem, atque gratum, ac me-
morem pro tot immortalibus in
me collatis beneficijs animũ: Ego

 vero

vero nefario propè ſcelere obſtrin gi me, ac obligari putaſſem, ſi com miſſiſſem, vt à me pręteritus videri poſſes, quod.n. dici, aut excogitari ingrato animo ſcelus maius poteſt? quo (vt ille eleganter dixit) nihil peius terra ſuſtinet, quę turpior inuri homini honeſto poteſt nota, atque macula? nam cętera quidem vitia, atque peccata habent aliquam, vel ætatis, vel imbecillitatis humanæ, vel imprudentiæ excuſationem, hoc ſolum vitium hoc vitio eſt magis vitioſum, quod excuſari vitium non poteſt: ipſe vero Liber cum eam in arte Medica partem, atque materiam tractet, quæ penè totum

eſt,

eſt, & ex qua diuinitatis ſibi nomẽ ſolet Medicus cõparare, teſte Galeno, & Hippocrate, prędicendi nempè rationem, & prognoſticum, eiuſq; ſit auctoris, qui maximè excellat, & qui ſummam induſtriam, atque diligentiam, in hoc opuſculo pangẽdo oſtẽderit, nõ ſub alio debuit, aut melius potuit, quàm ſub tuo celeberrimo nomine diuulgari, qui & in omni Medicina ita excellis, vt nemo tibi præſtet, & in hac potiſſimum, ex qua ſępius diuini hominis, atque ingenij nomen, es adeptus, vt apud omnes illuſtre, ac notũ iam ſit nomen tuum, & immortalitatem quaſi quandam in terris tum

 ſcri-

ſcriptorum non vulgari, ac contrita, ſed recondita, & exquiſita maxime doctrina, tum medendi pręſtantia ſis conſecutus. Accipe igitur hoc munuſculum ea animi inductione, qua datur, & fac interim, vt nos tuorum ſcriptorum editione conſolere, neq; diutius teneas expectatione ſuſpenſos, & pręſertim Libri de Febribus, quem conſequi primum abs te editum, & à nobis impreſſum, par eſt, cuius tanta eſt expectatio, ex prioris lectione, tantum deſiderium concitatum, apud omnes homines, qui hoc Medicinæ ſtudio delectantur, vt dies præ cupiditate anno longior videatur, &

ego

ego crebris illorum vocibus con-
citatus prope ſingulis diebus præ
cupiditate conſeneſcam, nam vt
præclare ille Græcus Poeta ceci-
nit οἱ ποθεόντες καὶ ἐν ἤματι γηράσκουσι
cupientes vnica etiam die conſe-
neſcunt, quod etiam eo libentius
debes facere, ac celerius, quod
iam tibi non videtur amplius in-
tegrum editionem remorari, cum
multis ſis pollicitus, te id factu-
rum, & aliorum nunc edantur de
eadem materia libri, quibus æ-
quum eſt te par pari referre.
Vale. Id. Febr. M D XCII.

AD LECTORES.

MEVM hoc fuit ſemper inſtitutum, vt quoad poſſem, rei literariæ, ſtudioſisq́; prodeſſẽ, neq; vlli parcerem impenſæ, aut labori, in his, quæ commodo alicuius artis profeſſoribus eſſe poſſent. Quare cum ad manus meas perueniſſet hic libellus LEMOSII, qui artem prognoſticam, quæ in Medicina vniuerſa tanquam præcipuum lumen elucet, & familiam profecto ducit inter omnes, operæprecium me facturũ ſum arbitratus, ſi eum denuo typis imprimẽdum curarem: quo haberent Itali Medici, unde in hac medica quaſi diuinatione exercerentur, ac edocerentur: cum enim longe remotis in regionibus fuerit impreſſum, non poterat niſi magnis ſumptibus, & vix haberi, nam vnũ hoc exemplar, quo ego ſum vſus, viſum eſt hactenus in Italia: Accipite igitur ſtudioſi Lectores meum hoc munu

ſculum

ſculum (ita enim libet appellare, cum quaſi vobis muneri datum videri poſsit: ſi quadruplo minori impenſa parari poſsit.) Et boni conſulite meum hoc vobis gratificandi ſtudium, ac deſiderium, cui vt ſatisfaciam, curabo, vt quamprimum alia quoque multa ex noſtra prodeant Officina, quæ omnium artium poſsint prodeſſe Studioſis, & potiſsimum in hac Medica, cuius cauſa maxime volo. Valete.

FRANCISCI SANCTII
BROCENSIS
RHETORICES, GRAECAEQVE
LINGVAE IN ACADEMIA
SALMANTICENSI
DOCTORIS,

Ad Lodouicum Lemoſium de ſuis veris prædictionibus.

ARTIS te Medicæ docet peritũ
Ante omnes ſatis hic libellus, index
Ter magni ingenij tui ò Machaon,
AEtatis celebrande iure noſtræ.
Vatem te quoque præcinit verendum
Doctrinæ grauitas: potes futura
Qui nos non dubijs docere ſignis;
Et penſum properantis indicare
Clothus; reddere nosq; certiores.
Tum prædicere, ſi mali quid inſtat.

Hem

Hem, miramur? vtrunque præſtat autor
Artis fatidicæ: nam Apollo vates
Eſt, idem Medicus: neget quis ergo
Sub tanto, Ludouice, te magiſtro
Vitalem didiciſſe ferre opem ægris,
Fatalem pariter referre ſummam?

DE OPTIMA PRAEDICENDI RATIONE, LIBER I.

LVDOVICO LEMOSIO AVTHORE.

Quàm ſint neceſſariæ Medicorum prædictiones. Cap. I.

SVBIECTVM huius operis, homo eſt : finis, ſanitas: ratio formalis, curatio : modus curationis, prȩcognitio morbi, quã prognoſticon Græci vocant. Via & ratio indagãdæ præcognitionis eſt à poſteriori, nimirùm à ſignis, quæ nos manu ducunt ad prædicẽdum, quæ morbis ſunt euentura. Prædictio autem non tantum eſt futurorum, ſed præſentium etiam, atque præteritorum, vt palàm Hippocrates in principio prognoſticorum demonſtrauit, dicens, præſentiens enim & prædicens coram ægro præſentia, præterita & futura : quæque infirmi omittunt, enar-

rans, creditur agnoſcere magis ægri curationem. Quibus verbis Hippocrates ad omnia tēpora prędictionem retulit: quemadmodū etiā docuit lib. 1. de morb. vulg. ſect. 2. aph. 48. præterita, inquiens, dicito, præſentia cognoſcito, prædicito futura: vbi quoque Galenus aduertit, veluti lib. 1. de præſ. ex pulſ. cap. 1. circa tria tempora præſagitionē verſari. At re vera prædictio ſolùm futurorum eſt: præſentium autem cognitio, ſicuti præteritorum memoratio: quę parum ægrotanti confert, ſed Medico volenti oſtendere gloriam ſuam coram ægrotantibus, vt inde magis admirabilis videatur, quò promptiùs ad ſe ægrotantes alliciat ex diuinatione præteritorum. Veluti plerique Medici noſtris temporibus cum ruſticis facere ſolent, ex putrido lotio inſpecto tanquàm ex tripode omnia, quæ præterierunt falſo diuinantes, vt ſapientiores videantur, & maiorem inde quæſtum venētur, quæ etiam præſentia ſunt, aliquo modo coram ægrotantibus prædicimus; vt, exempli cauſa, dolore lateris quiſpiam correptus eſt, cùm primùm ingreſſus eſt Medicus, pungentē eſſe dolorē inuenit. Itaque ab hoc ſigno facta coniectura, poteſt de alijs loqui, & ægrum interrogare, veluti tuſsim, difficilem ſpirationem, febremq; adeſſe iam, aut ſubſequi debere, Quod reſpiciens Hippocrates lib. 6. de morb. vulg. ſec. 7. aph. 14. dixit, à quo vnum, ſic cætera, id eſt,

qua

qua ratione Medicus vnum ſymptoma comperit, eadem, de cæteris iudicium faciat. Galenus autem cap. 7. lib. artis Medicæ, de ſignis ſalubribus agens, inquit, ſunt autem & ex ijs ſalubria, & quidem, & quæcunque præſentem indicant ſanitatem, & futuram prænuntiant, ac præteritam memoriæ ſubijciunt. Et ſubdit, vocantur autem nõnunquã à vetuſtioribus Medicis hæc omnia ſigna prænuntiatiua, quamuis præſentium ac præteritorum ſint indicatiua. Vſus vero non paruus eſt ex prænuntiatiuis atque indicatiuis, minor autem ex ijs, quæ memoriæ ſubijciunt. Prædictio ergo propriè eſt futurorum prænotio: quæ dum animo concipitur, prognoſticum dicitur, cùm verò præſentibus explicatur, prorrheticum, vt in principio prorrhetici declarat Galenus dicens, Præſenſio autẽ in anima eſt noſtra, prædictio vero eorum, quæ ſunt præcognita per vocem efficitur: conſtatq; non alia quidẽ in anima nos opinari, alia vero prædicere. Sunt ergo prorrhetica quæ ſunt in voce, eorum, quæ ſunt in animo, prognoſticorũ, notæ: & quemadmodum quæ animo concipiuntur, res ſunt vniuerſæ, ſic prognoſtica vniuerſalia ſunt: & quæ ſenſu percipiuntur, ſunt res ſingulæ, ſic prorrhetica, ſingularia ſunt, vt in ſequẽtibus clariùs demonſtrabitur. Quantum autem huiuſmodi prædictiones ſint Medico neceſſariæ, ſatis perſpicuè in vtriſque prædictionibus,

 apho-

aphoriſmis, & coacis prænotionibus Hippocra tes demonſtrauit. Primùm enim cùm homines quæ illis eueniunt Medico præcognita vident, non ſolùm artem extollunt, illiusque profeſſores vnicè admirantur & ſuſpiciũt, ſed etiã huic libentiùs parent, &, vt inquit Hippocrates, audentiùs ſe illi committunt, ad omniaque ſuſtinenda paratos ſe exhibent, & illum in oppugnãdo morbo ſtrenuè iuuant. Quapropter ſi vnà cùm Medico ægrotantes morbis fortiter reluctentur, fieri non poteſt, quin ſalutaris conſequatur curatio, atque è corpore omnino propulſetur morbus. Ex hac nãque fide, quã ægrotus de Medico ſuſcepit propter prædictiones, naſcitur maior obedientia ægroti ad remedia ſuſcipienda, quæ magnam vim habent ad morbos curandos. Ad hanc igitur ægroti obedientiam comparandam Hippocrates dicebat. Et prædictiones eſſe vtiles, atque omnino ægroto admirationi eſſe Medicum. Ita ſanè, inquit Galenus li.6.de morb.vulg.ſect.4.com.8. Et apud nos Pergami à Deo ſanatos & obſequentes cernimus, illis plerunque per quindecim dies integros vt à potu penitus abſtinerent imperanti, qui profectò nulli Medico, id iubenti obtemperaſſent: nam ad ægrotum omnibus iuſsis obedientem reddendum magnam vim habet, ſi pro certo ſibi perſuaſerit magnam inde vtilitatem prouenturam. Hac ſanè de cauſa fuit cura-

tus

tus Eudemus Philoſophus à tribus quartanis, quarum ſolutionem prius Galenus prędixerat, vt ipſe cap. 3. de præcog. ad Poſth. enarrat. Ex illa quoque longa hiſtoria, quam Galenus cá. 7. lib. 5. de locis affectis cum Glaucone Philoſopho excepit, circa curationem illius Medici Siculi, qui inflammatione iecinoris laborabat, cõſtat, ipſum Galenum ob ſcientiam prædicendi diuinum appellatum: quam gloriam de induſtria adipiſci voluit Galenus, vt clarum nomen apud omnes in medicina haberet. Et imperitos eos medicos eſſe cenſet, qui non dant operam, vt de ipſis magnam opinionem in medendo habeant, & vbi nacti fuerint occaſionem arripiendi huiuſmodi gloriam, eam non conſequantur. Etenim cap. 5. lib. de præcog. ad Poſt. ipſe Galenus ex curationibus & prædictionibus ab illo dictis, inquit, Creuit ſimul gloria noſtra, & c. 8. eiuſdem libri, ſcribit Boethum, ſummis laudibus ipſum extollere, & ex illa curatione, in vxore Boethi facta, dono dedit ei quadringentos aureos, vt non ſolum de gloria, ſed de mercede quoque gloriari velit. Hippocrates quoque libro ſecundo de fracturis com. 1. docet, non ſolùm medicum oportere edere opus ſuum celeriter, infatigabiliter, & expedite ad vſum ægrotantis, ſed etiam concinnè, ad famam apud imperitos augendam. Vſq; adeò id præſtare vult Hippocrates ad animos ægrotorum conciliandos,

dos, quòd ipſis gratificari iubeat, & quæ delectant, dummodo, minimè lædant, negāda haud eſſe ſcribat lib. 6. de morb. vulg. ſect. 4. com. 8. Et aph. 28. lib. 2. vbi quoque introitus Medici ad ægrum, & ſermones gratos eſſe cupit, & medicum loquacem fugiat & condemnet. Medicus enim loquax alter ægrotanti eſt morbus. Quæ igitur neceſſaria ad medendi rationem exiſtũt, hæc tantum Medicus loquatur. Duros ſubinde ſermones caueat Medicus, neque eos, qui ſupra modum inſulſi ac ignaui ſunt imitetur, qui ad quæuis interrogata ægro duriter reſpondent. Qualem fuiſſe Callianacten Medicum referũt: is enim interrogatus aliquãdo ab ægroto num moreretur Homerico carmine reſpondiſſe dicitur.

Mortuus eſt, & Patroclus, qui te multo melior fuit. Laboret ergo Medicus, vt omnibus modis ad ſe alliciat ægrotantes, ad conſequendam eorum maiorem obedientiam, & maiorẽ apud illos famam, & opinionem comparandã. Cæterum aduerſus ea, quæ hactenus diximus, videtur Galenus ſcribere cap. 1. li. 7. de morbis medendis, ubi ſic ait, Ego vero (haud ſcio qua ratione) ab ipſa vſque adoleſcentia mirificè, ſiue inſpiratus, ſiue furore percitus, ſiue quomodocunque dixiſſe libet, & vulgi famam cõtempſi, & veritatis ſcientiæque ſtudio flagraui, nullam eſſe hominibus nec honeſtiorem, nec diui-

niorem poſſeſsionem ratus. Quibus ſanè verbis vulgi famam contemnit Galenus, quam in alijs locis aucupandam eſſe tradidit. Ergo Galenus ipſe hanc controuerſiam reſpiciens lib. 2. de medica trina com. 1. eam ſic dirimit: Concinnitas verò, quæ, ſicut deinceps ipſe dixit, inſpicientibus voluptatem affert, ex ſuperabundanti appendice Medico adiuncta eſt, ad famam apud imperitos augendã. Cui qui ſtudioſus gloriæ eſt, ſuccumbit, vt amator ancillarum: qui verò hominum eſt ſtudioſus, non ſuccumbit ille quidem gloriæ, ſed conciliare ſibi eam nihilominus ſtudet: datque operã, vt laudetur, quo maior ei ab ægrotantibus fides adhibeatur: ita enim fit, vt magis obedientes eos habeat, id qđ in vtilitatem maiorem ipſorum cedit. Nã huic apud vulgus & imperitos gloriæ acquirẽdæ nõ Medicus tantum, verum etiam Philoſophus ſtudere conſueuit: quippe cùm ſi in honore & admiratione ſit, magis prodeſſe ipſis poſsit, qui & imitari magis ea, quæ agit, & parere ijs, quæ iubet, perinde ac Dei alicuius mandatis parati ſint. Hæc ille. Quibus clarè docuit in quem finem gloria eſt à Medico venanda, & vilifaciẽda: vt ſui uoti compos euadat. Adde quoq; dictis, quòd ex prædictione, uulgi infamiam, & calumnias mortiſque crimen, quod illi ab imperitis imputabitur, facilè euitabit medicus, qui in hac parte medicinæ probè inſtructus, omnes

euentus, mortemque prænũciabit. Item, quòd remediorum authoritatem conſeruabit ac retinebit, dum illis vtetur, in ijs ſolùm , quibus ea ꝓ futura pręuidet: in illis autẽ, quos morituros prænoſcit, ne ipſa infamet, haud utetur, memor conſilij Galeni, qui in quibus deſperata omnino ſalus eſt, imprudentis eſſe conſilij, inquit capit.9.lib.11.de morb. med. apud uulgum infamare præſidia, quæ alijs fuere ſaluti. Atq; hinc eſt, quòd idem aph.29.li.2.dixerit, deploratos non eſſe curandos, ſed ab ijs potius abſtinendũ, & morbi finem prædicendum. Præterea quia medicus prædictionis peritus multò ante tempore, ut imminentibus malis corporis obuiam eat, ſe parabit, adeoque ne quædã uitia prorſus accidant, prohibebit, nonnullorum autem magnitudinem arcebit, in ſumma, ſingulis periculis, perinde atque peritiſsimus nauta futura tẽpeſtate rectiſsimè proſpiciet. Cũ itaque ad cõſequendam laudem, atque admirationem medico multum conferat, aliaſque non paucas utilitates afferat medico hæc pars medicinæ, quæ rationem prædicẽdi docet præclare dixiſſe Hippocratem conſtat, optimũ eſſe, ut medicus prouidentia utatur, & prædicendi ſcientiam ſectetur. Etenim prædictio famæ medici ſummè neceſſaria eſt: curatio uerò ſaluti ægrotantis conducit. Cum autem fama propria fere non ſit minoris habenda, quàm uita aliena, iure optimo

Hippo-

Hippocrates ſcientiam præſagiendi magni facit idcircò à Galeno lib. 1. de dign. pulſ. cap. 1. appellatur hæc pars medicinæ honoratiſsima. Et lib. 3. de articulis com. 103. inquit Hippocrates, Dare ſiquidem operam debemus, vt quæ curabilia ſunt, incurabilia non euadant: intelligendo quo pacto ne ad incurabile deueniant, prohibenda ſunt. Incurabilia verò intelligenda etiã ſunt, vt ne maximè offendant. Prædictiones autem ſplendidæ, & glorioſæ ex eo exiſtunt, quòd dignoſcimus, quo, & qualiter, & quando deſinere aliquid debeat, ſiue in curabilem, ſiue in incurabilem affectionem conuertatur. Medicum ergo, vt inquit Hippocrates, vti prædictione optimum eſt.

Medicum poſſe, quid ſingulis ægris euenturum ſit prædicere. Cap. II.

CVM primùm Galenus ſe Romam contulit, Medicos offendit, qui portentum ac monſtrum eſſe, ſi quid prædiceretur ægrotantibus diceret, & Medicum prædicentem deceptorem, deluſorem atque vatem appellarent, propterea quod admiranda illis videbãtur prognoſtica, ob ipſorum ignorantiam, non quia admirationem vllam haberent, aut difficilia cognitu hiſce, qui legitimè artem medicã exercuerint. Cæterùm illi non ex medica facultate, verùm

ex

ex diuinatricibus ſcientijs, prædictiones Galeni fuiſſe mentiebantur. Interrogati enim à quibuſdam quaſnam ſcientias diuinatrices dicerent, interdum augurium, interdum extiſpiciũ, nonnunquam coniectutricem, aliquãdo mathematicam reſpondebant, vt ipſe Galenus cap. 3. lib. de præcog. ad Poſth. refert. Neque ſolùm illi Medici prædictis contumelijs erant contenti, ſed etiã inſidijs bonos Medicos, & in arte prædicendi peritos petebant, & perſequebantur, clàm primùm veneno necantes, vt iuuenẽ quendam ab eis Medicę artis opera prudenter Romæ exercentem cum duobus famulis, quos ſecum adduxerat, ſublatum fuiſſe teſtatur Galenus: deinde calumnijs, id quod Quinto contigit, qui licèt omnes ſui tẽporis Medicos excelleret, vrbe tandem eiectus eſt. Nunc autem, cũ Medici iam plures futurorum ſint præſagiendorum facultatem adepti, non amplius quærunt vulgares, vtrum præſenſio futuri euẽtus aliqua conſtare queat, an nequeat, ſed deinceps omnes veluti de re poſsibili habent, rogantq; Medicum, quodnam præfiniatur tẽpus morbo ſoluendo. Medicorum autem prædictiones, vt ait Hippocrates lib. 2. prædict. narrantur multæ, & variæ, & admirandæ, quales ego quidem neque ipſe prædixi, neque alium aliquem, prædicere audiui. Sunt autem aliquæ ex ipſis huiuſcemodi. Hominem perniciosè affectum eſſe, & Me-

dico ipſum curanti, & alijs videri: verùm alterum Medicum ſuperueniſſe ac dixiſſe: Non peribit hic homo, verùm cæcus euadet. Item ad aliũ, qui omnino malè habere videbatur, ingreſſum prædixiſſe, hominem quidem euaſurum eſſe, verùm manum claudam habiturum, & ad alium quendam, qui ſimiliter ſuperſtes fore non putabatur, dixiſſe, ipſum quidem ſanum fore, uerùm pedum digitos nigrefactos putrefactione corrũpendos eſſe. Et aliæ huiuſcemodi prædictiones in tali prædictionis ſpecie dicuntur. Alius autem prædictionis modus eſt, ementib. ac negociationes tractantibus prædicere, alijs mortem, alijs inſaniam, alijs alios morbos. Et paulò poſt ſubdit. Ego verò talia quidem non vaticinabor. Verùm ſigna ſcribam, ex quibus & ſanos futuros homines, & morituros coniectare oportet: & tum breui tempore, tum longiore, ſanos futuros, aut perituros. Hæc ille. Non enim quæcunque ſunt circa ægrotãtes oritura, præſagiri poſſunt, quoniam neceſſariam generationem non habent. Tumultus ergo ex vicinis per noctem, & canes latrantes, & iniucundi quidam nuncij inſomnes ægrotos reddunt, quorum nullum neque generationem habet neceſſariam, neque firmam diuinationem. Num igitur, quæcunque morbi ratione efficiũtur, definitam generationem certamque præcognitionem habebunt? an nec hæc vniuerſa? poteſt

teſt enim ſuperfluus intra corpus humor aliquis in particulam neceſſariam vitæ quampiam repentè influere: quemadmodum alius rurſus ex parte principe in viliorem tranſire: enim vero, eum qui in præcipuam illatus eſt, ſummum periculum: qui non in primariam partem tranſmigrauit, ſubita atque inexpectata ſalus laborantis neceſsariò conſequetur. Huiuſmodi igitur ſtatutum ipſum hoc tantum prænoſcas, licet nempe inconſtantiam lubricitatemque non tamen, quò terminaturus morbus ſit, exactè comperias. Quod Hippocrates reſpiciens apho. 19. lib. 2. dixit, acutorum morborum non omnino certæ ſunt prænunciationes, aut ſalutis, aut mortis. Quibus verbis monet Hippocrates, ne in acutis morbis temerè prædicemus, quod in ijs, neque ſalutis neque mortis ſatis tutæ ac certæ ſint prenunciationes, ob ſubitas, quæ in illis cõtingunt, mutationes humorum morbos acutos efficientium, naturam ſequẽtes, & quia humor moleſtans ex alijs in alias partes transfluit, à partibus nimirum principatum obtinẽtibus ad ignobiles, & ab ignobilibus ad principes. Quare non mirum, falli interdum etiam bonos Medicos. Nam dum arbitrantur humores in principe aliqua parte hærentes mortem allaturos, mox in aliam partem ignobilem tranſlati, ægrũ à periculo immunem reddunt. Vt ſi quis peripneumonia exitiali laborans, repente facto ad

crura abſceſſu liberatur: & contra accidit, vt humores in aliqua parte ignobili inhærentes, nihil mali inferre videantur, ſed confeſtim in ipſa iudicatione ad principem aliquam partem delati, mortem inferunt. Tantas, motus ij temere euenientes poſſunt efficere in corporibus noſtris, mutationes. Non igitur certæ ſunt prænunciationes in morbis acutis, quia fallunt, quanquam rarò. Ideò dixit Hippocrates, non omnino, ideſt, non in omnibus. Quapropter huic, qui tutò prædicere de ægris acuto morbo laborantibus volet, obſeruandum in primis erit, ne quid temerè prænunciet, hoc eſt, antea quàm euidens aliquod ſignum eluceſcat: neq; ſtatim inter morbi initia iudicium ferre de morbi exitu audeat. Hinc eſt, quòd glorietur Galenus ſe nunquam in prædicendo aberraſſe. Ego vero etiam, inquit li. 1. de morb. vulg. ſect. 3. com. 17. hanc ſpeculationem cum apud Eudemum Philoſophum prædicerem, qui tribus tenebatur quartanis, primam de illis receſſuram primum, quæ certis diebus inuadebat: & poſt totidem circuitus ab hac depulſa, alteram certo die: ſimilique modo cùm poſteà tertiam prænunciarem, ex diuinandi arte hæc prædicere iactabāt, non ex medica ſpeculatione: tametſi vates nunquam vidiſſent vera Romæ de ægris prædicentes. Nam illorum, qui alijs in vrbibus ſunt, nullum feci periculum. Nos (quod deo approbante

dicam)

dicam) nulla re vnquã prædicenda offendimus. Itaque medicinã hoc pacto, inquit lib. 3. de locis affectis cap. 3. profeſſus vſque ad ſenectutẽ, nullam in hodiernum vſque diem calumniam ſubij, neq; curando, neque præſagiẽdo, id quod celeberrimis quibuſdam Medicis interdum accidere memini. Expectabat enim ſemper Galenus ſigna coctionis ad prædicendum: idcirco cap. 5. lib. 3. de criſ. ſcribit, neminem vidiſſe intereũtem, cui ſigna coctionis adfuiſſent. Et hac de cauſa cap. 12. lib. 1. de diebus decretorijs inquit, ego ſanè ex tali ſecuritate motus haud noui me in prædictione longo tempore erraſſe. Adde quòd ipſe Galenus ſemper inter prædicẽdum adiungebat, vt ipſe refert lib. de cõſt. artis cap. 18. & lib. 1. de diebus decret. cap. 11. ſi rectè omnia videlicet circa ægrotum gerantur: nam quæ perperàm à quopiã aguntur, eæ cauſæ exiſtũt, vt aut morbi ſolutio prorogetur, aut mors anteuertat: idque per totum ſermonem opus eſt, ſi & aliud quidpiam meminiſſe. Sola enim optimi Medici præſagia rectè curante quidem ipſo euenient, ægroto autem nihil delinquente. Cæterùm Medicis putare id genus, quale vates pollicentur, conſtare diuinationem, ridiculum eſt: illi enim nono, ſi ita fortè contingat, die ſeruatum iri aiunt hominem, non etiam, ſi cuncta rectè adminiſtrentur, addentes: huius etenim ipſius præcognitionem, nempè quod omnia

proſpe-

proſperè, vel infeliciter ceſſura ſint, circa ægrotantes profitentur. At Medicus non ita prædicit futurum, verùm ſeptimo, verbi gratia, die, ſi omnia, vt oportet, agantur, ſolutum iri morbũ: vbi verò quicquam admiſſum eſt, ſi paruus quidem error hic ſit, relabi ſolutionẽ ex ſeptimo in nonum poſſe: ſi maior, in vndecimum: ſi multò maior, in decimum quartum; ſi per quam magnum, periculum pro certa ſalute ſecuturum. Tantum autem ijs occaſionibus tribuit Galenus, vt non vereatur dicere lib. 6. de morb. vulg. ſect. 8. aph. 40. Stheneum cuſtodem palęſtræ Abderis, ob aquæ potum obijſſe: & alterum illum virum, quia intempeſtiuè cœnatus erat, perijſſe quoque vt ipſe refert lib. 1. de morb. vulg. ſect. 3. com. 29. Hæc omnia reſpiciens Hippocrates aph. 1. lib. 1. tum ad rectè curandum, tum etiam ad rectè prædicendum dixit: Neque ſolum ſe ipſum præſtare oportet opportuna facientẽ, ſed & ægrum, aſsiſtentes, & exteriora: ideſt, primũ in curãdo, & præſagiendo Medicus opportuna faciat, æger obediat, qui adſunt & ei ſeruiunt, nihil erroris cõmittant, & omnia, quæ illi offeruntur optima ſint. Ijs ergo omnibus vbiq; obſeruatis Galenus verax in prædictionibus fuiſſe gloriatur. Nunquam tamen hallucinari, ſupra captum hominis eſt: ſed quàm minimũ aberrare, ſolius artificis eſt, vt idem docuit prognoſtico. 41. lib. 3. & li. 6. de morb. vul. ſect. 1. co. 16.

Præ-

Prædictiones, inquit, aut veraces eſſe in perpetuum decet, aut rarò mētiri, nam rarò veritatē aſſequi & plerunque aberrare nequaquam artificioſum eſt. Ratio autem huius difficultatis multiplex eſt, vna, quoniam hæc medicinæ pars etiam ducitur ſignis & coniecturis, quæ cùm ex ſimilitudine aliorum ducantur, non mirum, ſi poſsint fallere, non quemuis, ſed peritiſsimum Medicum. Quod Hippoc. animaduertens lib. 6. de morb. vulg. ſect. 8. aph. 36. dixit, ſimilitudines præſtantibus etiam Medicis errores, & dubitationes afferunt: cauſa verò ipſa econuerſo. Scio autem difficile eſſe etiam intelligēti ratiocinādo vias cognoſcere. Gal. in com. ita inquit, vt in philoſophia magnos viros, & clariſsimos philoſophos ſcimus eſſe deceptos in ſimilitudinibus non rìtè diſcernendis, ità etiam in medicina vſuueniat, neceſſe eſt. Neque enim rationum ſimilitudines agnoſcere poſſunt ij, qui aliquid eorum, quæ vitam humanam attingunt, temere pronunciant, idque faciunt, aut opinione ſapientiæ, quam ſibi arrogant, aut honoris, aut quæſtus gratia. Vt autē intelligeremus, quàm acri ſtudio debeamus laborare, vt ne nos ſimilitudines fallant, ſcripſit hanc rem non modo vulgaribus, ignariſque hominibus errores, ambiguitateſque afferre, ſed optimos etiam Medicos, & valde exercitatos in errorem induxiſſe. Cauſa igitur ſpectanda eſt, qua cognita, fiet, vt

minus

minus labamur, minus decipiamur, & firmiore coniectura curationem ſimus adhibituri. Videtur tamen quaſi excuſationem quãdam ſubiungere, cũ ait, ſcire ſe, quàm difficile ſit, rationes curationum omnes cognoſcere, quæ videntur varijs in rebus conſiſtere. Hæc ille. Quæ etiam ad difficultatem prædicendi, veluti curandi accommodari poſſunt: vtrobique enim par ratio eſt: propterea quòd ſignis & coniecturis in curando & præſagiẽdo ducimur. Altera ratio eſt, quoniam prędictio verſatur circa tres difficillimas, continuam nimirum librorum lectionem, frequentem ægri viſitationem, & memoriã omnium ſignorum in morbo apparentium, veluti Galenus cap. 13. li. 1. de criſibus, ita docet. Hęc igitur non ſolum legenda ſunt in Hippocratis libris, ſed & memorãda ſępius, atque obſeruanda in ęgrotantibus, nam ex continua inſpectione exquiſitam eorum poteſtatis habemus notitiam. Et prorrhetico. 48. lib. 3. inquit, meditationem quoque eorum, exercitationemq́; in epidemijs perdidiciſti. Lectis autem aut ſemel, aut bis talibus, vt memoriæ tuæ confiſus à reliquo temperes, non oportet. Vix enim eam tum facilem, tum promptam habebit, qui etiam aſsidue in omnibus verſetur commentarijs. Hinc prudentiſsimè dixit Hippocrates lib. 3. de morbis vulg. ſect. 3. in vltimis verbis, & libro de diebus decretorijs in principio, hæc verba, Magnã

artis partem eſſe arbitror de ijs, quæ rectè ſcripta ſunt poſſe conſiderationem facere ac iudicare. Qui enim hoc nouit, & his vtitur, non mihi videtur in arte multum falli. Ergo in libris de morbis vulg. Aphoriſmis, prædictionibus vtriſque, & coacis prenotionibus te verſatum eſſe oportet, & quid Hippocrates vbique velit intelligere. Ingreſſu etiam vtere frequenter, viſita diligentius, his quæ à deceptis per errorem fiunt, occurrẽs, vt mutẽtur. Facilius enim cognoſces, ſimulq; expeditior eris. Inſtabilia. n. ſunt quæ in humidis conſiſtunt, vt ait Hippocrates in libro de decenti ornatu. Tertia ratio eſt, quia difficillima eſt mutua collatio ſignorum in numero, & multò difficilior in dignitate, veluti Galenus demonſtrauit cap. 13. lib. 1. de criſ. Et ca. 13. lib. 1. de diebus decretorijs, & prognoſtico. 55. lib. 2. & prognoſtico. 37. li. 3. & prorrhetico. 17. lib. 2. & prorrhetico. 2. lib. 2. & lib. 4. de ratione victus. 62. Quarta ratio, quoniam monſtra eueniũt in medicina, quemadmodum & in natura, vt Auerroes cap. 21. lib. 7. coll. annotauit. Deſertos nanq; à Medicis multos cõualuiſſe ſcimus, idque quotidie experimur, vt quos indicijs lethalibus animaduerſis damnarint Medici, reuiuiſcant. Multosq; ego præterea Xeritij, medicinam factitans, è mortis faucibus ereptos, quib. iam ad funus neceſſaria parata erant, Alfonſum Gometium Malauerum patricium virum & do

minam

minam Beatricem Guerrero virtute & genere nobilem, ac pleroſque alios, vidi. Iuratus quoque teſtis eſſe poſſum, Didacũ Hernandez Medicum, & ſocium in eadem ciuitate meum virũ in medicina longa experientia donatum, lethali febre correptum, cui ſigna omnia, ſymptomataq; lethalia aderant, vt ijs prementibus actum eſſe de illo omnes crederent. Cũque ægrũ ferè ſine pulſu ſine voce, ſoporatum, frigidè ſudãtẽ, floccos vellentem, planeq; moribundum cernerem, moriturumq; in momenta ſingula ſanxiſſem, cœpit ille tamẽ ſenſim veluti è veterno excitari, vires, vocemq; exiliter recipere, quibus ille in vitam redijt, firmaque eſt potitus poſteà ſanitate. Quæ omnia reſpiciens Hippocrates libro 2. prædictionum dixit, conſulo autẽ, vt quã prudẽtiſsimè agant, tum in reliqua arte, tum in huiuſmodi prædictionibus, illius probè memores, quòd ſi cui ſucceſſerit ꝓdictio, is apud ægrotum intelligentia præditum in admiratione adfuerit. Si verò quis aberrarit, ſupra hoc quod odio habetur, fortaſſe etiam inſanire videbitur. Quapropter iubeo vt tũ alias omnes, tum has prædictiones prudenter faciant, quãquam ſanè & audiam, & videam, neque iudicare rectè homines ea, quæ dicuntur, ac fiunt in arte, neque narrare. Hæc Hippocr. Cæterum in morbis longis ac diuturnis non adeò irritari ſolet, quæ noſtrum corpus gubernat natura, neque adeo mo

bilis eſt cauſa morbifica. Quo circa in ijs prædictiones longè tutiores ſunt. In morbis autem ortis ex noua occaſione prædictio certior eſt, quàm in his, qui paulatim gignuntur in corpore, vt Hippocrates lib. de nat. hum. com. 2. tex. 17. tradidit, quia in priore genere morborum cognoſcitur quãta ſit morbi cauſa: ea autem cognita, præſagitio manifeſtior euadit.

Quòd Hippocrates in ratione optima prædicendi cæteris omnibus ſit præferendus, atque imitandus. Cap. III.

CVM multos eſſe conſtet tum Græcorum, tum Arabum, tum etiam alij, qui de prædicendi ratione præcepta continentes commentarios poſt ſe reliquerunt, nullus tamen ita exactè, perfectè & veraciter illam docuit, & exercuit veluti Hippocrates ille magnus, qui diuinus ob admirabilem præſagiendi peritiam à veteribus fuit appellatus: quo ſanè nomine non raro illũ Galenus eius interpres, appellat. Quũ verò aliorum medicorum ſcripta omnia, ceu riuuli quidam ex Hippocrate, tãquam vberrimo fonte promanarint, ex hoc magis, quàm alijs præcepta de optima prædicendi ratione petenda erunt, vtpotè in quo nihil eſt perplexum, aut ſophiſticum, ſed omnia aperta, candida, & optima ratione tradita. Præ reliquis autem ſuis libris

bris vnicè ad præſagiendum rectè cōducunt ij, quos de prognoſticis inſcripſit: in quibus rationem præſagiendi in morbis acutis perfectiſsmè docuit, tanti enim ſemper fuit habita horum librorum doctrina, vt nullus hactenus eos calumniari ac ſugillare auderet, vt cap.6.lib.3. de difficult.reſp. Galenus tradidit. Etenim ex cæteris Hippocratis operibus quædam ſunt obſcura, alia verò incompleta: hoc autem prognoſticorū opus perfectum, & perſpicuum eſt, vt lib. 3. de morb.vulg.ſect.3.com.75.& lib. 2. de difficult. cap.4.indicauit Galenus. Adde, quòd hanc ſolam medicinæ partem Galenus non ſeparatim docuit: & tamen dixit ſe perfectè artem præſagiendi tradidiſſe, propterea, quod exiſtimauit nihil hac parte Hippocrati deeſſe, quod non abſoluiſſet, & Galenus declaraſſet, vt li.3.de mor. vulg.ſect.1.com. 4. inquit. Item Galenus lib. 2. de diebus decret.cap.1.ait, Hippocratem eſſe cęteris fide digniorem, & omnium conſenſu decernendi peritiſsimū, quare in præſagiendo nullus auſus eſt ſentētiam Hippocratis immutare, veluti in curando multi hactenus fecere. Addidit vero in hac parte Galenus ex pulſibus præſagitionem, quam Hippocrates non attigit, vel quia non nouerat, vel quia non magni momenti exiſtimauit, vt Galenus cap.11. lib. 3. de criſ. tradidit. Et ca.12.lib.de præcog. ad Poſthumū, inquit. Tu vero mi poſthume ſcis omnia me ab

Hippocrate dicta monſtraſſe, quæcunque hiſce de rebus conſcripſi,& te vidente prædixi, nihil præter pulſuum ſcientiam adijciens, quam etiã ſolam Hippocrates non attigit. Hanc enim ipſum ſecuti, alio aliud addente, vſque ad noſtra tempora abſoluerunt. Exactam ſiquidem notitiam affectuum corporis cognoſcere, quid futurum ſit in ægris, eſt præcognoſcere: licet omniũ quorũ ad nos memoria peruenerit, primus nomen pulſus Hippocrates literis prodiderit, vt c. 2.lib.1.de pulſ.diff. Galenus ſcripſit. Quæ reliqua ſunt in prædictionibus & coacis prænotionibus, errorib. sũt plena, Galeno lib.3.de mor. vulg.ſect.2.com.1.afferente. Nam quòd in prædictionibus, & coacis præſagijs habetur veri, hoc vniuerſum (id quod ego in com. in prædictiones, oſtendi) ab Aphoriſmis, præſagijs, & vulgarium morborum libris authores iſtorum librorum mutuauerunt,& in iſtos libros retulerunt: eodem lib.3. de morb. vulg. ſect. 1. com. 29. teſte. Prorrhetica enim, Hippocratis non ſunt, vt Galenus inquit prorrhetico.4.& 5.li.1. & pror.59.lib.2.& pror.12.li.3.& cap.4. lib. de præcog. ad Poſth. Et ex omnibus locis ſat erit vnum referre ex prorrhetico. 18. lib. 2. vbi ita inquit Galenus. Quod ſæpius iam & anteà dictum eſt, dicam & nunc. Qui librum hunc compoſuit, videtur quidem eiuſdem cũ magno Hippocrate eſſe artis: ſed ipſo longè eſt inferior: atque

que ob id quidam librum hunc Draconis Hippocratis, alij Theſſali eſſe putauerunt. Duo ſiquidem magni Hippocratis filij fuiſſe perhiben tur, Draco & Theſſalus: quorum vtriuſque rur ſus filius Hippocrates. Item liber prorrhetic. non habet vniuerſale prorrhetic.7.lib.3.Hippo crates autem & vniuerſalia & particularia docet, ibi demprorrhetic.16.Medicus ergo, qui ve lit rectè, & vt decet morborum euentus pręſagi re, tenetur non ſolùm prognoſtica, ſed & prorrhetica, & coacas prænotiones iterum ac iterũ legere. In alijs enim medicinæ partibus ſat erit capita rerum memoriæ mandaſſe: in hac verò omnium ſignorum numerus, & vigor perpetuò memorandus, niſi velimus crebrò errare. Etenim Hippocrates prius ſibi ipſi ſingularia annotauit in epidemijs, ex quibus poſteà uniuerſalia decerpit, vnde ſcientia prędicẽdi fuit orta, quam in prog.Et Apho.Hippocrates ipſe tradidit. Neque enim in prognoſtico, aphoriſmiſque, & libris de fracturis, articuliſq;, neq; in libro de victus ratione in morbis acutis, neque in libro de capitis vulneribus, inquit Gale. prorrhetico.8 lib.1. vllo pacto nominis meminiſſe videtur, ſicuti neque in alijs libris præterquam epidemiorum. In quibus dũtaxat propoſitum eſt, vt docta vniuerſaliter, perquirat per ea, quæ particulariter in vnoquoque ægroto videntur. Libri ergo de morbis vulgaribus com-

mentaria magis, quàm opera Hippocratis vidētur. Et cap. 6. lib. 2. de diebus decretorijs inquit Gale. Demonſtratum enim nobis ſępiùs eſt, epidemiorum libros prognoſtico prius & Aphoriſmis ſcriptos eſſe, quòd memoriam rerũ prius obſeruatarum ſuggerant. Ergo Hippocrates in prædictis libris ſcientiam prædicendi docuit ꝑ ſigna, per dies decretorios, & per criſes, de quibus ſingulatim dicemus, vt veram prædicendi methodum ex Hippocrate omnibus notam faciamus. Quare cùm Hippocrates nihil, quod ad hanc rem rectè intelligendam faceret, prætermiſerit, ipſe præ cæteris eſt imitādus, cui adiungemus eius fidum interpretem Galenum, quem nobis Deus dedit ad Hippocratem explicandũ, quo ſi Hippocrates caruiſſet, actum de illo eſſet. Quæ tamen cauſa erit, cur pleriq; Medici in libris Hippocratis verſati, & in ſignis prognoſticis inſtructi in prædicēdo ferè ſemper aberrēt? An quia phantaſia carent, quæ eſt veluti quædā ratio particularis, quæ ſpeciem cum ſpecie componit & cōparat? Cùm enim ſumma totius prædictionis (vt in ſequentibus dicemus) in comparatione ſignorum ad vires noſtri corporis ſita ſit, qui phantaſia, ſeu imaginatione caruerit, neceſſariò ſequetur, vt prædicendi ſcientia quoq; careat. Neque enim dicimus aliquem phantaſia carere, ſed tali, qua eſt opus ad rectè componendum, & comparandum. Vnde homines, qui

tali

tali phantaſia ſunt præditi imaginatiui appellantur: de quibus Quintilianus cap.3. lib.6. & cap.3.lib.8.& cap.7.lib.10.

Quòd oportet medicum naturę operum gnarum eſſe. Cap. IIII.

QVARE circa prognoſtica Hippocratis & alios eiuſdem libros, medicũ exercitatum eſſe oportet, & naturæ opera noſſe. Naturę enim ſunt morborum medicatrices, vt idem Hippocrates, dixit lib. 6. de morb. vulg. ſect.5. tex.1. Cæterum per naturam intellexit Hippocrates, eam, quam Ariſtoteles animam vegetatiuam in plantis, & potẽtiam vegetatiuam in homine appellat. Hæc enim concoquit, ſecernit, & expellit humorem noxium. Hæc ergo eſt, quæ curat morbos: medicus autem huius naturæ eſt miniſter. Et hoc eſt, quod cap.87. artis medicæ Galenus voluit docere, dicens, horum omnium natura opifex eſt, Medicus verò miniſter. Proinde cùm Medicus ſe naturæ tantum miniſtrum eſſe ſciat, ſummo ſtudio huius actiones conuenientes ſcrutetur, vt eas in tẽpore adiuuare ſua opera & ſingula probè adminiſtrare queat. Adiuuare igitur naturam oportet ad ſalutem decertãtem aduerſus morbum. Sic enim natura, vbi, Medicum ea, quæ oportet facientẽ auxiliarium accepit, & ipſum ægrotantẽ obedientem, & ni-

hil

hil in dięta delinquentem, morbum facile ſuperabit. Oportet autem cooperari etiam miniſtros,& extrinſeca,quò nihil his,quæ rectè fiũt reſiſtat. Quod reſpiciens Hippocrates dixit,neque ſolùm ſe ipſum præſtare oportet opportuna facientem, ſed & ægrum,& aſsiſtentes, & exteriora. Quorum verborum hunc ſenſum exiſtimat Galenus. Si quis, inquit,aliquando diju dicaturus eſt, quæ in libris aphoriſmorum ſcribuntur, quantũ habeant veritatis,non ſolum ſe ipſum præſtare debet,opportuna facientem, & nihil,quod ægro conducere poſsit prætermittẽtem, ſed & ipſe æger parere Medico debet,& in nullo proprię indulgere voluptati. Miniſtri etiã idonei aſsideãt oportet,& exteriora omnia adſint apparata. Nam propter illa plerunque, vel præcognitionem,vel curationem,vel vtrãq; interrumpi contingit. Exteriora autem ſunt habitationes idoneæ,vel turbarum plenæ, vel turba vacantes. Præterea quæ nunciantur & aguntur, quæ iram aut triſtitiam,aut aliquem alium affectum ægrotanti infligunt,ad hæc illa,quæ noctu ſomnum interrumpunt,quæ propè infinita sũt. Si igitur,inquit, hæc omnia benè & rectè ſe habuerint,nihil eorum,quæ in aphoriſmis conſcribuntur,falſum eſſe inuenietur. Multò tamen latius idem Galenus hanc aphoriſmi partem declarat ca. 11. lib. 1. de diebus decretorijs in hũc modũ dicẽs, Appareat enim euidenter in quar-

to

tò die bonum ſignum, nullius periculi circa ægrotum ſit ſuſpicio, fieri non poteſt, quo minus ſeptimo die fiat iudiciũ, ſi nihil extrinſecus peccatum fuerit. Quænam igitur ſunt, quæ cõmittuntur peccata? Quædã ſanè ab ipſo ægroto videlicet: quædam à Medicis his admirandis, putantibus, niſi quis introgreſſus ad ægrum, deinde ſuccingens ſe, vel cataplaſma impoſuerit, vel perfuderit, aduſſerit, vel Clyſterẽ indiderit, vel venam inciderit, vel cucurbitulas adiunxerit: vel cõfricuerit, vel nutriuerit, aut huiuſmodi aliud factitauerit, nihil ab ipſo geſtum eſſe artificioſum: hi enim, quoties ad ægrũ accedunt, toties peccant. Non igitur iudiciũ in ſeptimo die, ad quem paratum erat fieri poteſt, tot intereà erroribus admiſsis. Quandoquidem naturæ motus ſtatutis periodis pro ſui ratione contingit: interim ab exterioribus peccatis circuitus ſeruare prohibetur. Sic itaque Hippocrates vndequaque admirabilis inquit. Natura omnino ſufficit. Peccatum in hanc extrinſecus cataplaſmate, inunctione, & totius & partis inſperſione. Sic etiam Medicum naturæ miniſtrum appellat, re vera Medicum, non pharmacopolam quendam ex triuio. Tantum enim hic à iuſta naturæ miniſtri appellatione abeſt, vt etiam maximè contrarium nomen ipſi magis cõueniat: inimico videlicet & naturæ ipſius & ægrotantium hoſti iure appellato. Qua-

propter

propter nos merito, cum quiſpiam de ægro aliquo euētum iubet prædicere, cum diſtinctione id facimus, dicentes: huic morbus ſoluetur iſto die, primum, ſi victus ratione à nobis, non alio quodam Medico regatur: deinde ſi nihil ipſe peccet, & faciat, quę iniungũtur, omnia: poſtremò ſi nullus magnus extrinſecus error admiſſus fuerit. Quæ iam exteriora peccata ſint, (quoniam hoc quoque diffinire pollicitus ſum) opportunum erit dicere. Vt, ſi æger incendio domus accidēte, aut latronibus inuadentibus, aut fluuio inundante, ſubito cogatur fugere, quanta ei noxa aduenerit, quorſum attinet referre? Simili modo, ſi tegmen aliquod delapſum, vel parietem ſentiens extimeſcat, ſimul & fugam repente moliatur. Item ſi per tegulam quippiam defluat, vel pluuia copioſior oborta capiti ęgrotantis incidat, vel alius etiam quomodocunque ipſum irrigauerit, vt locum mutare, vigil eſſe, & timere cogatur, & hoc non mediocrem ipſi offenſam inducit. Eodem pacto vicinorũ tumultus, vel alia quædam talis vigiliæ cauſa eueniēs, aut nuncium aliquod triſte, pro noxę ipſius magnitudine etiam prędictionis perfectionem corrumpit. Vigilię ſiquidem propter ipſum morbũ intra prædictionem & criſim ęgris aduenientes nihil pręſagia offendunt. Quę verò extrinſecus inopinata veniunt, horum nihil Medicus pręcognoſcit: vnde nec futurã inde offenſam conijcere

re poteſt, nec prędictioni ſecundũ morbi rationem factę adijcere. Hęc itaq; ipſa Hippocrates ſtatim in aphoriſmorum principio pręcipit inquiens, oportet non ſolùm ipſum, quę res poſtulat, facere, verum etiam ęgrum, aſsidẽtes, & exteriora. Si nanque, diſquirere quippiam, & indagare ex noſtris cogitas, ipſe primùm opportuna facito vniuerſa. Deinde ęger in omnibus prę cipienti obtemperet, nihilque ex intemperãtia peccet. Poſtea ij, qui adſunt ei; nihil erroris committant, vel iram ob delicta cõcitent, vel triſtitiam ex intempeſtiuis nuncijs afferant: vel offenſam, quòd imperfectius in re adminiſtranda ſe gerant: ſed apparatus omnis ante iudicij tempus prompte ſtatuatur: obſonia pulchre parentur: miniſterium inculpatè exhibeatur. Inſuper quartum genus eorum, de quibus rationem habendam iuſsit, appoſuit, nomina ipſorum vno complexus nomine, exteriora, multiforme licet exiſtat: atque hoc culpa vacet. Etenim pluuię, tonitrua, fulgura, vicinorũ tumultus, canum latratus, inſultus latronum, domus ruina, defluẽs aqua, fluuius irruens, incendia, ictus, atque eius generis vniuerſa exterioribus attribuũtur. Hęc igitur quatuor genera, quorũ partes etiam ſunt diuerſę, dum naturę motus impediunt, ſubindè circuituum ordinem deſtruunt: quoniam, vbi quartus dies euidens iudicij ſignum attulerit: ſi neque Medicus quid peccauerit, neque ęger,

neque

neque miniſtrorum quiſpiam, imo ſi neque extrinſecus error admiſſus, ſit ſeptimo die neceſſario criſis futura eſt: itē Hippocrates lib. 1. de morb. vulg. ſect. 5. tex. 51. inquit, Ars, his tribus conſtat, morbo, ęgro, & Medico artis miniſtro. Aegri eſt vna cum Medico morbo reluctari. Ijs poſtremis verbis quid aliud Hippocrates docet, quàm nō ſolum Medicum ſeipſum pręſtare oportere, opportuna faciētē, ſed etiam & ægrū? Quod autem non parum & aſsiſtentes & exteriora iuuent, idem Hippocrates docet lib. 6. de morbis vulg. ſect. 2. tex. 43. dicens, circa ęgrotantē adminiſtratio, & de morbo interrogationes, quæ narrat, qualia, vt accipiendi ſermones, quę ad ægrotātes, quæ ad aſtantes, quæ ad externos. Et Galenus in loci illius enarratione, inter alia multa, quæ huic noſtro inſtituto ſunt accōmoda, hæc inquit, Nam plurimi periculoſi morbi ægrotos Medicis morem haud gerētes necant: quandoquidem perpauci admodū alioqui prorſus mortiferi ſunt, ſi neque Medicus erret, neq; ægrotus, neq; miniſtri, neque aliud quicquam extrinſecum fortuito noxium incidat. Denique Hippocrates libro de ornatu decēti. hanc ægrotantium inobedientiam ſic refert, Obſeruare autem oportet ægrotorum quoque peccata, per quę multi ſæpe mentiti ſunt in aſſumendis his, quæ ingerenda exhibentur, poſtque exoſas potiones nō accipientes, aut pharmacis datis, aut

alia

alia curatione adhibita, perempti ſunt. Et factū quidem hoc non ad ipſorum cōfeſsionem vertitur, verùm Medico culpa imputatur. Hæc & multa alia ad hanc rem attinentia illic Hippocrates tradit, vbi recurrat lector, veluti, & ad librum de ijs, quæ in medica trina fiunt com. 1. tex. 6.

Quod citra prænotionem morbi fieri nequit, vt probè cures. Cap. V.

INTER alias prædictionis vtilitates vna erat præcipua, vt morbus præcognitus facilius curetur: vbi enim Medicus agnoſcit exquiſita ratione affectionem ægri, quoſdā prohibebit affectus, qui eam aſſequi ſolent: quorundā prohibebit magnitudinem: omnibus vero in cōmune rectè proſpiciet & præcauebit, quemadmodum bonus gubernator per futurā tempeſtatē: item ſymptomata ventura minus timet æger, quoniā tela præuiſa minus feriūt. Victus quoq; ratio, quæ eſt melior curationis pars, nō poteſt rectè præſcribi, niſi ſtatus morbi fuerit ex ipſius ſpecie præcognitus. Niſi quis enim ad hunc reſpiciens ſtatum, ab initio, victus modum adhibuerit, fieri non poteſt, quin magnum malum aliquod afferat ægrotanti, vt Galenus cap 13. lib. 1. de criſibus aduertit. Quod ante docuerat Hippocrates aph. 9. & 10. li. 1. ex quo innoteſcit

non

non alium quendam eſſe, qui exactè præſagiet, alium, qui rectam victus rationem inſtituet, ſed in eundem, vtramque medicinæ partem conuenire neceſſarium, niſi alterum ab altero corrumpendum ſit. Quod ſanè peccatum in victus modo, quodlibet, (ſic autem nunc nomino vniuerſam morbi curam) iudicium impediat, abundè oſtendimus. Quòd autem nec victus ratio proba, ſine ſtatus morbi & criſis præſagio inſtitui poſsit, in medendi methodo declarauimus. Si igitur hæc mutua opera perpetuò indigent, non alius quiſpiam Medicus rectè curauerit, alius exactè præſagiet: verum, quicunque optimus fuerit, is præſagiet vnà, & curabit. Vnica nãque ratione & præſagire & cõmodè mederi fas eſt, vti Gal. lib. 1. de diebus decret. cap. 11. & cap. 9. lib. 3. de ſanit. tuenda, adnotauit. Hinc Hippocrates in prognoſtico dixit, ita curationem optimè molieris, prænoſcendo ex præſentibus futuras affectiones: fieri enim non poteſt, vt ægros omnes ſanos faciat propterea quod,

Non eſt in Medico ſemper releuetur vt æger,
Interdum docta plus valet arte malum.
Afferat ipſe licet ſacras Epidaurius herbas,
Sanabit nulla vulnera cordis ope,
Tollere nodoſam neſcit medicina podagram,
Nec formidatis auxiliatur aquis.
Cura quoque interdum nulla eſt medicabilis arte.
Et ſi ſit, longa eſt extenuanda mora.

Quemad-

Quemadmodum lib. 1. de Ponto Ouidius cecinit. Etenim melius eſſet omnes perſanare, q̃ pręſentire futura. Cum homines intereant, alij priuſquam adhibeant Medicum ex vi & magnitudine morbi, veluti illi, qui forti apoplexia tenentur, Nonnulli adhibentes Medicum ſtatim moriuntur, vt qui angina corripiuntur. Quidam diem viuentes vnũ aut paulò plus temporis, antequàm Medicus arte repugnet, veluti illi, qui veneno aſſumpto periere: phrenitis etiã quandoque intra diem tertium interemit, vt cõtigit illi phrenetico li. 3. de morb. vulg. ſect. 3. tex. 75. & tertiana in acceſsione tertia, adoleſcentem quendã, qui ſibi videbatur in quarto die benè habere, enecauit, vt narrat Gal. prorrhetico. 17. lib. 2. Cæterũ licèt Medicus omnes morbos nõ ſanet, non proinde dãnãdus eſt, dummodo nullum peccatum in medendo committat. Quod reſpiciens Ariſt. cap. 1. lib. 1. Rhet. & cap. 2. lib. 1. top. dixit, Habebimus autẽ perfectè methodũ, quando perinde habebimus ac in rhetorica, & medicina, & huiuſmodi facultatibus: hoc autem ex ijs, quæ contingunt, facere quæ eligimus. Nã neque rhetor omni ex modo perſuadebit, neq; Medicus ſanabit: ſed ex ijs, quæ cõtingũt, ſi nihil omiſerit, ſufficienter eum diſciplinam habere dixerimus. Neque etiam ſequitur, ſanitatem nõ eſſe medicinę finẽ: quod Alexãder Aphrod. lib. 1. quæſt. Nat. cap. 9. dubitauit, quo in loco

C hæc

hæc tradidit quòd in medicina & omni conie-ɑurali arte finis eſt agere ea, quę artis sũt: propoſitum autem eſt aſſequi intentum. Itaque diſtant in illis propoſitum, & finis, licèt in artibus certis non diſtinguantur. Aut aliter dicendum eſt, quòd propoſitum & finis ſemper ſunt idem, vt ſanitas in medicina: opus autẽ aliud eſt, exercere nimirum artis præcepta, quãuis non ſanet. Quare Galenus lib. 11. de morb. med. cap. 12. prætulit illam definitionem medicinæ, additio, & ſubtractio, quæ per opus datur, ei, quæ per finem, qualis eſt cõſeruatrix ſanitatis, & morborum curatrix.

Præſagiturus Medicus neque in tenebris, neque à capite ægri reſidere debet: ſed illuſtri loco aduerſus ægrum, vt omnes, notas ex vultu quoque cubantis perſpiciat. Cap. VI.

QVEMADMODVM artis medendi primum principium eſt: contrariorum contrariæ ſunt curationes, à quo omnem curationem Medicus incipere debet; ſic à ſimilibus & diſsimilibus pars medicinæ, quæ ad futura prædicenda ſpectat, exorditur, veluti Galenus enarratione prima com. 1. ſuper librum Hippocratis, de ijs, quæ in medica trina fiũt, ſcriptum reliquit, vbi Hippocrates ſic ſcripſit: Similia, an diſsimilia ſint à principio inſpiciẽdum, ex maximis, ex facillimis,

cillimis, ex his, quæ omnino quocunque modo cognoſcuntur. Perinde ac ſi ita dixiſſet, Aegrotãtium corpora ſtatim à principio cognoſcere, ac diſcernere debemus, in quo ſimilia ſanis, ac valentibus, in quo item diſsimilia ſint; ſi enim ita fecerimus, ex maximis facultate, cognitu vero facillimis morborũ ſignificationes ſumem⁹. Sciendum enim eſt non alia eſſe maxima, & alia facillima; quippe cum ijſdem ſignis contingat, vt facultate maxima, dignotione facillima ſint. Hoc enim principia cuiuſq; artis habent, vt ſint facultate maxima, mole vero minima, Ariſtotele cap. vlt. lib. 2. Elench. authore, & cognitu quoque facillima. Nã quis aberrabit à ianua? vt ab eodem Ariſtotele de principiorum cognitione loquente cap. 1. minoris Alpha primæ philoſophiæ dictum eſt. Hinc eſt, quòd Plato lib. 6. de legibus cùm laudaret adagium id, quod dici ſolitum eſt, principium dimidium eſt totius, ipſe maximum adiunxerit: principium, inquiens, vniuſcuiuſq; operis maximum eſſe, & alij nonnulli partem nõ modò dimidiũ totius eſſe principium, ſed amplius etiã quàm dimidium eſſe, dixerunt: partẽ, vel totum ipſum eſſe poteſtate aſſeruerũt. Et Ariſt. cap. 7. li. 1. Ethic. principiũ, inquit, plus q̃ dimidium eſſe totius videtur: & eorum, quæ quærũtur complura, per ipſum manifeſta fieri ſolent. Quòd ſi de aliquo principio hæc, quæ ab Ariſtotele, & Platone dicuntur,

dici debent: maximè de hoc, quod ex Hippocrate modò deſumimus. Et hoc ipſe Hippocrates prognoſtico.7.lib.1. declarat ita dicens. Caui oculi, atque aſtricta tempora, & eiuſmodi cetera, quæ deinceps numerantur: nam hæc & maximam habere vim ad præſagiendum, nemo eſt qui neſciat, qui vel mediocriter in tractatione artis verſatus eſt. Et facillimã dignotionem exhibere, omnes etiam imperiti artis non ignorant: quippe cum vbi quis ſtatim ad ægrotum ingreditur, nulla alia corporis pars prius cõtéplanda ſe offert, quàm facies. Si igitur æger ſibi ipſi conferatur, vt iuſsit, & certior dignotio habebitur, ex maximis ſimul ac facillimis exordio artis facto, ipſius negociũ tractabitur. Quapropter Hippocrates prognoſtico.1.lib.1. dicebat, conſiderare conuenit hunc in modum per morbos acutos, principio vultum ægroti, ſit ne ſimilis bene valentium, potiſsimũ ſui, ita enim optimus erit: ſi verò quàm maximè contrarijs ſimilis ſit, vitioſiſsimus eſt. Itaque conſiderandum monet vultum ægroti inter initia, ſimilis ne, an diſsimilis, bene valentium ſit, ſed potiſsimum ſibi. Ob quam cauſam Medicus neque in tenebris, neque à capite ægri reſidere debet: ſed illuſtri loco aduerſus eum, vt omnes notas ex vultu quoque cubantis perſpiciat, veluti Celſus ca. 6.lib. 3. docuit. Quantum ergo conferat ægroto, vt Medicus ipſum in ſanitate cognoſcat, ex

ijs clare intelligitur: qui namque Medicus ſimi litudines has cognouerit fallet, & non falletur. Plato in primo de republica, Primùm, inquit, debet ille, qui alios fallere, ſe à nullo falli vult, ſimilitudinem rerum optime tenere: latiſsimè hoc ipſum demonſtrat Plato in Sophiſta, in Ciuili, in Philebo, & in Phædro. Multò adhuc latiùs Galenus per vniuerſum librum nonum de Hippoc. & Pla. decretis, vt ferè nulla in eo linea reperiatur, in qua hoc principium non cõmendet: neque ſolùm, vt neceſſarium ad præſagiendum, verùm etiam ad curandum. Hippocrates etiam optimè tractauit de ſimili & diſsimili, in prognoſticis, in medica trina, in libro de articulis com. 1. tex. 34. Fueruntq́ue ipſe & Plato ſimilium & diſsimilium inuentores, vt Galenus lib. 9. de ipſorum decretis, ſcripſit. Neque Ariſtoteles cap. 14. primi topici, principium hoc omiſit, quippe qui ex ſimilium & diſsimilium inuentione, omnem quæſtionem nos poſſe concludere doceat. Quod ſi bonis & eruditis Medicis ſimilitudines errores, ambiguitatesq́ue pariant, Hippocrate lib. 6. de morb. vulg. ſect. 8. tex. 39. teſtante: & Galeno Aph. 2. lib 4. confirmante: id autem principijs vſu venire non ſoleat, circa quæ minimè errare contingat, dicẽdum eſt Hippocratem hic loqui de ſymptomatum multitudine, quæ non ſolum vulgaribus, ſed bonis & eruditis Medicis imponit. Verbi gratia, colico

ſiquis infeſtatus cruciatu, ſimilitudine ſymptomatum ductus, eadem omnibus remedia adhibeat: dictu mirum quantum incõmodet: quòd nimirum, variæ, cur dolores iam dicti accidant, cauſæ ſint, quæ ſanè diuerſas quoq; curationes, non obſtante quòd ſymptomata ſimilia ſint, exigunt. Alia ſiquidem medicamenta doloris requirit, vbi ob flatuũ multitudinem: alia, ſi propter flauam bilem inteſtina erodentem: alia, ſi ob craſſam pituitam excitatur. Atque hoc eſt, quod ab Hippocrate lib. 6. de morb. vulg. ſec. 3. tex. 20. & 24. & lib. 2. eiuſdem nominis ſec. 1. ad finẽ, dictũ eſt, Naturam, ſcilicet, à primo ortu, laborantis eſſe cognoſcendam: ex qua nam cauſa laborat, & per multos ſermones paulatim cognitos, euidentes ſimilitudines, & quæ diſsimilitudines eſſe videantur ſpeculari. Coguoſcẽda eſt igitur prima morbi occaſio, ne ſimilitudine aliqua decepti in noxas inemẽdabiles deueniamus. Cognoſcẽda eſt etiam vniuſcuiuſque propria, in ſanitate, natura, vt in ægritudine partes affectas optimè cõferre poſsimus. Quod Hippocrates reſpiciens lib. 1. de morb. vulg. ſect. 3. in primis verbis, ſic ſcripſit, morbos dignoſcimus docti, ex communi omnium natura, & cuiuſque propria. Refert Gal. hãc ſentẽtiam lib. 1. ad Glauc. cap. 1. & prog. 5. lib. 1. Nam & hoc vnũ de dogmatibus Hippocratis eſt, vt non ſolùm de communi natura omnium, ſed etiam de pro-

pria

pria vniuſcuiuſque, quæ certior eſt, præcepta ar tis conſiderentur. Quando enim in prognoſticis, in libro de articulis, de fracturis, de vulneribus capitis, de Medici officio, conferri partes affectas cenſebat, cum bene valentibus, non alienas intueri conſulebat, ſed eius, qui affectus eſt. Quia verò omnium hominum ante non cognoſcimus naturam, ſed neque opinantes ſæpe ad ægrotos ignotos accerſimur. Quodnam principium cognoſcendorum morborum præſagiendorumque inſtituemus? Quod nam? Ipſe Hippocrates prudentiſsimè omnium bonorum author à Galeno appellatus, & qui neque fallere neque falli poteſt (vt de eo Macrobius c.6. in li. 1. de ſom. Scip. ſcribit) eodem loco ſuperius adducto ipſum inſtituit, atque docuit, dicens, ex morbo, ęgro, oblatis, offerente. Nam faciliùs ex his, vel difficilius. Præterea ex vniuerſo & ſingulari cœli ſtatu, & ſingulis locis, ex conſuetudine, ex victus ratione, vitæ genere, ætate cuiuſq; vnà cum ſermone, modis, taciturnitate, imaginationibus, ſomnis, vigilijs, inſomnijs, qui & quando, & vellicationibus, perfrictionibus, lachrymis, acceſsionibus, deiectionibus, vrinis, ſputis, vomitionibus, & quę, ex quibus, in quos, ſucceſsiones morborum, & qui abſceſſus in exitium & iudicium. Sudor, rigor, algor tuſsis ſternutamēta, ſingultus, ſpiritus ructus, flatus, ſilētes, ſtrepētes, ſonori, ſanguinis eruptiones, hæ-

morrhoidis, ex his conſideres, quæ per hæc accidunt. Hæc vtinam legiſſent, qui nihil non ex lotij inſpectione, prædici poſſe putant. Qua ſanè dementia magna in Hiſpania vulgi pars agitatur, dũ ex vnius lotij inſpectione de tota morbi conſtitutione, Medicum poſſe exquiſitè pronunciare arbitrantur. Sed huic errori occaſionem dederunt inepti quidã nebulones, potius, quàm Medici, quib. vulgari ſimplicitate, quod illis, ex ea re eſſet quæſtus vberrimus hoc pacto abuti placuit, vt omnia, quæ ex lotio prædicta fuiſſent, indubitata eſſe voluerunt. Id quod nõ eo dixerim quaſi vrinæ inſpectionem inutilem exiſtimen (id enim veterum Hippocratis præſertim & Galeni decreta eſſet declamare) ſed abuſum potius damno, quod ex vno ſigno tanquam omnibus ſimul iunctis de morbi eſſentia pronunciare audent: eo ſanè abuſu ſublato, vrinæ inſpectio optima erit.

Non cuius medicinam profitenti valetudinis deſiderio ſtatim credatur, ſolis Medicis occidendi impunitate relicta. *Cap. VII.*

MVLTI ambigunt, num orator ſit Medico præferendus. Verùm iudicij modus ex rationibus accipiendus eſt. Neceſſarius enim magis Medicus eſt. Nã ſane orator quiſque ſibi eſſe poteſt, actiones enim, quæ legibus temperan-

tur

tur, à voluntate noſtra pendent: at valetudo nequaquam. Præterea in ciuitate regenda morali tantum philoſophia opus, in qua moderator ille populi, vt rempublicam ſapienter tractet, exercitatũ eſſe ſatis eſt; in Medico vero nulla poteſt eſſe perfectio ſine illa encyclopædia, quæ homini viam munit ad felicitatem. Socrates apud Platonem in Gorgia, optimã rem eſſe, ait, omnium, proſperã eſſe valetudinem: ſecundo egregiã formam: tertiò diuitias, & vt Poetę verbis vtar, nulla fraude quæſitas. Vnde Amphion Sycionius apud Athenęum. li. vlt. dipnoſ. ita dicebat.

O beata ſanitas te præſente amænum,
Gratijs ver floret: abſque te nemo beatus.

Et Horatius lib. 1. epiſt. ſanitate nihil melius, neque commodius, in hac vita eſſe in hunc modum aſſerit.

Si ventri benè, ſi lateri eſt, pedibusq; tuis, nil
Diuitiæ poterunt regales addere maius.

Ariſtoteles cap. 5. lib. 1. Rhet. adeò ſanitatẽ commendat, vt partem eſſe fœlicitatis conceptis verbis affirmet. Nam ſanitate quid præſtãtius? aut quid abſque illa optimè facere poſsis? Hanc nec cum omnibus Crœſi diuitijs, aut auriferi Tagi arenis cõmutare iure poteris. Quam ſi quis amittat valetudinis deſiderio, nõ cuiuis medicinam profitenti credatur, niſi ei, qui doctus in præceptis medendi & præſagiendi, atque expertus

tus in remedijs deſcribendis per multos anteà annos fuerit. Caueant igitur viri prudentes ab his Medicis triobolaribus, quorum tota ars ex vrinæ inſpectione dependet; & qui nihil aliud quàm pernicioſas in medendo fraudes habent, quibus loculos decumbentium exhauriũt, mortemque ęgrotantium intempeſtiuam accelerãt. Et vt inquit Hippocrates, toties peccant, quoties ad ægros accedunt. At vnde tot pſeudomedici? quia ſoli medicinæ, vt Hippocrates in ſua lege teſtatur, nulla pœna in rebus publicis ſtatuta eſt, præterquam ignominiæ. Verum hæc ipſa non afficit, nec contingit eos, qui ex compoſito perſonam ipſius induerunt: ſimillimi enim huiuſmodi Medici ſunt perſonis, quæ in tragędijs introducuntur. Quemadmodum enim illi figuram quidem & habitum ac perſonam eorum, quos referunt habent, illi ipſi autem verè non ſunt: ſic & Medici quidem fama quidem & nomine multi, re autem & opere valdè pauci. Hinc eſt quòd cum medicina omnium artium fuerit præclariſsima, iam eò res deuenit, vt omnium artium longè viliſsima cenſeatur, tum propter ignorantiam eorum, qui eam exercent, cũ etiã ob vulgi ruditatem, quòd tales pro Medicis iudicet & habeat. Quæ cùm Plinius cap. 1. lib. 29. exactè inſpexiſſet, ita ſcriptum bellè reliquit: itaque Hercule in hac artium ſola euenit, vt cuicunque Medicum ſe profitenti ſtatim credatur,

cùm

cùm ſit periculum in nullo mendacio maius, nō tamen illud intuemur. Adeo blanda eſt ſperandi pro ſe cuique dulcedo. Nulla præterea lex, quæ puniat inſcitiam capitalem, nullum exemplum vindictæ. Diſcunt periculis noſtris & experimenta per mortes agunt, Medicoq́; tantum hominem occidiſſe, impunitas ſumma eſt, quin imò tranſit in cōuicium, & intemperātia culpatur, vtroque qui periere arguūtur. Hæc Plinius, Philomenes iunior, Stobęo referente ſer. 102. ita dixit. Quis nam hic eſt? Medicus. O quàm malè habet quiuis Medicus, ſi nemo malè habuerit. Soli Medico, & Aduocato occidere licet impunè. Vnde autem hæc Medicorum impunitas aduenerit, non grauabor hic enarrare. Grauis peſtilentia Romanis cum incępiſſet, & maxima trepidatio vrbem terreret, per legatos oraculum Apollinis conſultum fuit. Nam Romani de ægrorum ſalute augures conſulebant, vt Cicero. lib. 1. de diuinatione, & Galenus lib. 1. de morb. vulg. ſect. 3. com. 17. & lib. 1. ac. 3. de ratione victus, aſſerit. Reſpōſum igitur eſt, vt Aeſculapium Epidauro accerſsirent, nobiliſsimiq; legati cum ſimulacrum Dei petitū ad Epidauros miſsi eſſent, ſtupentibus admiratione, Deus in Draconem verſus per mediam Epidaurū lapſus nauem legatorum conſcendit, cum quibus vectus Romam, vt delatus eſt, inſulā Tyberis ingreſſus eſt, ibiq; ſe virgultis occuluit; qui locus

Draco-

Draconis vocatur. Ouidius lib. 15. Metam. hiſtoriam hanc pleniſsimè narrat. Cũ igitur deũ Aeſculapium in ſerpentis formam ob peſtem ſedandam Romam decem legati ex Epidauro traxiſſent: Serpenti multa ineſſe remedia, teſtante cap. 4. lib. 29. Plinio, creditur: & ideo Aeſculapio dicatur, atq; (Anguis paulò poſt, ait) Aeſculapius Epidaurio Roma aduectus eſt, vulgoque paſcitur, & in domibus. Liuius tamen decada decima lib. 1. Aeſculapium ad Romam veniſſe negant, ſed ſolùm Aeſculapio vno die ſupplicationem fuiſſe traditam, qua lues illa ſedata fuit. Verba eius hæc ſunt: Multis rebus lætus annus vix ad ſolatium vnius mali, peſtilentiæ vrentis ſimul vrbem, atque ægros ſuffecit: portentoque tam ſimilis clades erat, & libri aditi, quinam finis, aut quod remedium eius mali à dijs daretur, inuentum in libris, Aeſculapium ab Epidauro Romam accerſendum: neque eo anno, quia bello occupati conſules erãt, quicquam de ea re actum: præterquam ꝙ vnum diem Aeſculapio ſupplicatio tradita eſt. Hæc ille. Quicquid tamẽ illud ſit, hoc certò affirmare poſſumus, qđ poſt ſedatam per deum Aeſculapiũ peſtem, hoc Medicis fuit conceſſum, vt inuiti in iudicium deduci nequeant: vt in l. Medicos. C. de profeſſorib. & Medicis. habetur. Verùm ſi conſultò Medicus medicamentum, aut aliquod quoduis auxilium alicui dederit, quod Hippocrates in ſuo iu

re

re iurando deteſtatur, argui & puniri iure optimo debet. Quamobrem Solon apud Galenum in magna præfatione prognoſtici hanc legem Areopagitis dedit: Interſtingant, perpēdantq; iudices Areopagitæ, num cōueniet, num cędes, vulnus, incendium, prouidentia commiſſum ſit: & item medicamentum ſi quis adhibens interemit, hæc lex. Tuam modo, lector optime, obteſtor fidem dic, quæſo, quot hominum millia medicamentis, venę ſectionibus, atque multis alijs inſtrumentis Medicos ineptos occidiſſe credis? Numerus enim omnem fidem ſuperat. Quis nō ab imo pectore ingemiſceret, medicinā tam ſacroſanctum Dei donum auaritia, & ignorantia pſeudomedicorum in hominum perniciem conuerti? ſalutare ſummi Dei donum, anus vatidicas, ſicophantas quoque & Agyrtas, ſuis impoſturis, arte magica, & idolatria, ſuperſtitionib. ac incantamentis, ita prophanare & conſpurcare, vt nulla ſit artium, quæ tot impijs ſcateat ſuperſtitionibus? Quis pius bonuſque æquo feret animo? Certè nullus: niſi præfecti, aut magiſtratus munerum deuoratores, qui accepta turpi pecuniola, hæc medicinæ monſtra in perniciem ſubditorum alunt, fouent, & tuentur. Quibus ſolis fas eſt ſubditorum marſupia fænore exhaurire, & hominum corpora per medicamēta inexperta, vita vel ſanitate ſaltem, expoliare, & ſolicitos ægrotum animos, eorum incantamentis

&

& ſceleratis ſuperſtitionibus à veri Dei cultu, qui omnes ſanat langores, ad idololatriã, perfida recuperandæ ſanitatis ſpe, deflectere. Sed dabit Deus ijs quoque finem.

De ijs, quæ Medicus tenetur prædicere. Cap. VIII.

HIPPOCRATES libro de diebus decretorijs in principio, & lib. 3. de morb. vulg. ſect. 3. in fine, docet, quænam ſint illa, quæ Medicus tenetur cognoſcere ac prædicere in hunc modum dicens, ſingulos autem temporum anni ſtatus perdiſcere eſt operepretium, & morbos, quid boni habeat ſtatus, vel morbus cõmune: & qui longus morbus & lethalis, qui longus & ſanabilis, qui acutus & lethalis, qui acutus & ſanabilis. Hæc ille. Quibus verbis hæc præſagiẽda docet primùm temporum ſtatus, ſeu conſtitutiones. Deinde, quę temporum mutationes pariãt morbos, & qui illi ſint, & quid boni, vel mali illis afferant. Tertiò quis longus morbus ſit, & lethalis, & qui longus & ſanabilis. Quartò qui ſit acutus & lethalis, & qui acutus & ſanabitur. Hæc in ſumma prædicere oportet, licèt in ſequentibus particulares magis prædictiones docebimus. Conſtitutio ergo, ſeu apud Hippocratem lib. 3. de morb. vulg. ſect. 3. in præf. eſt cuiuſque rei forma, ſpecieſve. Quæ non ſimplex eſt, ſed multiplex. Aliquando enim eſt forma mor-

bi,

bi,ſecundum quam ex talibus,tantiſque tempo ribus vniuerſalibus conſtituitur, vt Gal. cap.4. l.1.de criſ.docet, vbi citat Hippocratē, qui lib. 1.de morb.vul.ſect.3.tex. 1. & 10. diuerſos febrium modos declarat, & Galenus in com.inquit, per modos formam intelligit morborum. Eſt etiam conſtitutio temperamentum aeris præter naturam, quæ ab interpretibus Hippocratis tempeſtas ſolet appellari, vt eam à morborum conſtitutione diſtinguant: vnde lib. 1. de morb.vulg.tres morborum tempeſtates deſcribit Hippocrates. Quando autem abſolutè cōſtitutio,ſeu ſtatus in libris Hippocratis reperitur,ſemper de eo ſtatu intelligitur, qui tertia pars morbi & deterior eſt,quo modo accipitur apud Hippocratem aph. 12. lib. 1. dum inquit, Acceſsiones verò & cōſtitutiones:ſic enim Galenus in com. vult intelligendum eſſe. Et licèt de omnibus ijs ſignificatis in hoc opere ſuis in locis dicendum eſt,hic de cōſtitutione dicam, prout ſignificat temporum tempeſtatem. Quā in partes quatuor diuidit Hippocrates in aphoriſmis,vt aduertit Galenus aph.14.lib.3. Cæterum lib.1.de morb.vul. ſect.1. com.1. aduerſus Quintum diſputans Galenus inquit, Hippocratem in Aphoriſmis quatuor tantum differētias tempeſtatum deſcripſiſſe, quāquam longè plures ſint. Plures autem, quàm quatuor eum cognouiſſe,ex libris de morb. vulg. ſatis conſtat, vbi

vbi multas alias tẽpeſtates cõnumerat, de quarum ordine ibidem Galenus meminit dicens, atque in ſeptem tempeſtates, qui annum diſtribuunt, æſtatem ad canis vſque exortum protendunt. Ab hoc ad Arcturi ortum, oporam. Atq; ijdem hyemem in tres partes diſſecant: cuius, ſub ſolſtitium tempus, medium conſtituunt de extremis duobus, primum ſementem, poſtremã inſerendi tempus. Nam hoc illi pacto appellãt iſta. Et quidem in libro de ſeptimanis, qui Hippocratis nomen præfert, in ſeptem partes diuiſum annum inuenias: ita vt autumnus & ver integra conſtent, & indiuiſa: diuidantur autem in partes tres hyems & in duas æſtas. Quatuor autem in aphoriſmis tantum referre placuit, tanquam cæteris frequentiores, & vt eſſent veluti exemplum reliquarum. Sed de ijs omnibus longam habes diſputationem lib. 4. de mor. medendis, illic recurre, ſi vberius & ad vnguẽ rem hãc ſcire deſideras. Ceterum humiditate, calore, frigore, & ſiccitate tempora anni mutuo diſtãt. Nam hyems quidem humiditate alijs, frigoreq; præſtat, æſtas item calore & ſiccitate: ver planè in medio eſt vtriuſque. Nam in vtraque oppoſitione neutrum alteri illic præſtat, neque ſicco humidum, neque calido frigidum. Ver autẽ eſt ambarum æquilibrium oppoſitionum, æquabilitaſque horarum omnium totius propè diei & noctis, atq; nulla in illis fit magna immutatio,

aut exuperantia, cuiuſcemodi conſpicias in autumno. Hic.n. de matutino frigus viget, circa meridiem magnus æſtus, qui rurſus ad crepuſculum veſpertinū tranſit in algorem: dominatur tamen in eo ſiccum humido & frigidum calido. Habes temporum anni temperamentum: quæ ſi ipſum ſeruent ſtata tēpora ab ipſo Hip. ſcimus vocari ea, quæ propriam temperaturam ordine ſortiūtur. Atque ita etiam ipſe annos ſtatos, ac certos vocat in libro de aere, aquis, & regionibus eos, qui conuenienter ratione procedant. Ac ſi autumno fiant pluuiæ, hyemſque moderata, nec valde ſerena nec frigore excedens, & vere, atq; æſtate imbres tempeſtiui fiant, hunc annum forè ſaluberrimum, veriſimile eſſe, ait Hippocrates. Cum vero tempora ſtatim anni progreſsionem nō ſeruarint, tunc Hippocrates lib. de hum. tex. 11. incōſtantia vocat, & morbos in ipſis exortos pari modo inconſtantes nominat: ac ſupra eoſdem difficiles iudicatu, nunc vacantes iudicatione in eādem ferè ſententiam appellat: vt eos non rectè, ſed malè iudicari intelligamus: quod nihil aliud eſt, quam vt vel cū malis ſymptomatis iudicentur, vel poſtea repetant. Porro mutatio hæc, vt inquit Gal. aph. 14. lib. 3. vel parua eſt, vel valde vehemens: aut media, & vnaqueque tantum incommodi afferet, quantum à propria temperie fuerit ſeparata. Quicunque ergo (inquit Hippocrates in prin-

cipio libri de aere aquis, & locis, artē medicam integrè aſſequi velit, primùm quidē temporū anni rationem habere debet, quātum potentia quodlibet eorum valeat: non enim ſimile quicquam in illis exiſtit: verum differunt inuicem propter varias, quæ in eis fiunt mutationes. Et paulò poſt, quod ſi cui hæc ſublimiora videantur, is ſi ab hac ſententia diſcedat ſanè non minimam partem cōferre ad rem medicam ipſam aſtronomiam, ſed omnino plurimam, cùm vna cum temporibus & ventriculi in hominibus im mutentur. Huc igitur reſpiciens ipſe Hippocrates in principio prognoſtici dixit, oportet igitū agnoſcere talium naturam affectionū, quantum ſupra vires corporis ſit pariter & ſi quid in morbis diuinū habetur, illius quoque ediſcere prouidentiam. Galenus in com. ad hūc locum probat per illud verbum, diuinum aerem nos ambientem Hippocratem intelligere: cùm mortalibus vitæ, & morborum ægrotis, ſolus is ſit auctor, vt libro de flatibus, inquit idem Hippocrates. Quare ad finem lib. 3. prognoſtici addidit, oportet quoque impetum populariter graſſantium morborum cito cōſiderare, nec non tenere temporis conditionem. Quoniam verò de ijs temporum conſtitutionibus, & earū prædictionibus abūde Hippocrates egit lib. 3. aph. in lib. de morb. vulg. in libro de aere, aquis, & locis, ideo in prognoſticis earum nō meminit: & nos

etiam

etiam ad prædicta loca ſtudioſum lectorem ablegamus. Videamus modò quinam ſint morbi acuti, & longi, & qui lethales, & ſalubres, vt intelligat Medicus, quid præſagire teneatur. Ille enim melior Medicus vocatur, qui plures ſanat, & minus errat, vt Galenus in prog. ait. Pulcherrimum ſiquidem eſt, vt nullum prorſus errorem in arte committamus. Sin autem alicubi errare contingat, ea in parte id eſſe debet, vnde minus damnum reſultat: vbi vero nocumentum alicuius momenti extat, ibi minimè peccandum eſt, velut idẽ Galenus in lib. de ijs, quæ in medica trina fiunt com. 2. enarr. 6. ſcriptũ reliquit. Hoc tamen Galeni præceptum perpetuò verum non eſt, quoniam doctiſsimo Medico, & in arte diligentiſsimo contingere poterunt ægri morituri: imperitiſsimo verò illi, qui ſanitati reſtituendi ſunt. Verùm ſi Medico ignaro contingant ægri morituri, citiùs occumbent, quàm ſi in probi ac docti Medici cuſtodiam incidiſſent. Fieri enim non poteſt, vt ægros omnes atque eos potiſsimum, qui morbo aliquo acuto tenentur, curet Medicus. Quod Celſus reſpiciens, cap. 1. lib. 3. dixit, magis tamen ignoſcendum Medico eſt, parùm proficiẽti in acutis morbis, quàm in longis. Hic enim breue ſpacium eſt, intra quod, ſi quod auxilium non profuit, æger extinguitur: ibi & deliberationi & mutationi patet tempus, adeò vt rarò ſi inter initia Medicus acceſsit, ob-

ſequens æger ſine illius vitio pereat. Longus tamen morbus cum penitus inſedit, quod ad difficultatẽ pertinet, acuto par eſt. Et acutus quidẽ quò vetuſtior eſt, longus autem quò recentior, eò facilius curatur. Vnde Hippocrates lib. 1. de rat. vict. tex. 8. eos Medicos magis laudat, qui in morbis acutis minus delinquũt. Maximè autem, ait, Medicum laudauero, qui in morbis acutis, vi quorum plurimi enecantur, inſigniter pręcæteris in melius procedat. Et libro de veteri medicina, Medicum nimium laudat, qui parum delinquit. Et quemadmodum in morbis acutis curandis, ſi error contingat, magis quàm in longis ignoſcendum eſt, ita & in eorum prædictionibus fiet. Morbos igitur diuidunt Hippocrates & Galenus in diutinos ac breues. Diutinus ſeu longus morbus eſt, qui præter id, quòd periculo vacat viceſimum tranſcendit diem: ita enim Galen. prognoſtico. 25. lib. 3. inſinuare videtur, dicens, cùm antea & iam de morbis diutinis diſſereret mẽtionem habuit vigeſimi diei, propterea quòd ad hunc vſque diem extentus morbus nondum diutinus exiſtat. Qui igitur ſuaptè natura viceſimum diem tranſcendit diutinus morbus appellatur. Breuis autem eſt, qui citò terminatur ac finitur: & duas habet partes, ſiquidem alius eſt mitis, vt febris diaria: alius verò eſt acutus, qui præter id, quòd celeriter iudicatur, ſtatim magnitudinem habet, veluti Ga-
lenus

lenus Apho.19.lib.2.& cap.13.lib.3. de diebus decret.demonſtrat.Iam verò inter ipſos acutos vocetur iam peracutus morbus, qui ad ſeptimũ vſque diem extenditur, qui longiùs procedit ſimpliciter acutus. At hic quoque differentiæ in peracuto memoria tenendæ ſunt. Etenim exactè peracutus is eſt, qui quintum diem attingit: non exactè qui ad ſeptimum vſque poducitur. Eadem ratione inter acutos, alius exactè acutus, qui vſque ad decimum quartũ porrigitur: non exactè verò, qui ad viceſimũ vſque durat, quanquam & ipſe acutus ſit. Adhuc aliud morborum genus, quod ex delapſu acutum ad quadrageſimũ vſq; diem peruenit; verba ſunt Galeni cap.12.lib.2.de diebus decre. quæ minutatim ex alijs Hippocratis, & Galeni locis sũt explicanda. Exactè peracutus is eſt, qui quartum diem attingit, quem Galenus Aph.7.lib.1.dicebat, eſſe qui ſtatim in ſummo vigore conſiſtit: & idem voluit Hippocrates libro de iudicationibus, dicens, lethaliſimæ verò & ſignis horrendiſsimis frementes febres, quarto die, aut prius occidũt. Hoc morbo perijt in Thaſo Philiſtes: & Anginoſa illa, quæ apud Bitonem, erat: & Caluus in Lariſſa: & Pericles in Abderis iudicatus eſt. Non exactè peracutus eſt, qui ad ſeptimum vſque producitur: cuiuſmodi eſt angina, cholera, tetanus: hos dicebat Galenus Aphor. 36.lib.4. ſtatim primam acceſsionem vehemen

tiſsimam habere, & ex ſudore plurimo tertia, aut quinta die iudicari, nō autem quarta: quos etiam, medicari, eadem, ſi materia turgeat, die Aphor. 10. lib. 4. Hippocrates mandabat. Qui & acutiſsimi morbi ab Hippocrate lib. j. de morb. vulg. ſect. 3. tex. 3 appellantur. Vbi inquit, Sunt autem acutiſsimi, maximi, grauiſsimi morbi, atque præ cęteris omnibus lethales in continua febre. Et Galenus in com. acutiſsimos dicit eos, qui pauco tempore diſcernunt, maximos, validiſsimos, grauiſsimos, qui cū periculo ſunt cōiuncti: quod interpretans ipſemet præ cęteris omnibus appellauit illos lethales. Hęc Gal. Hoc morb. perijt Philiſcus, qui propè muros habitabat, & adoleſcēs, qui decumbebat in mendaciū foro, & alij multi. Inter acutos etiam morbos alius eſt exactè acutus, qui vſque ad decimum quartum porrigitur. Hinc Hippocrates Aphor. 23. li. 2. dixit, acuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur: idem repetit in libro de Coacis prænotionibus, in quo etiam hæc verba ſcripſit: Morbi verò graues & acuti quarta & decima die diſcernuntur: idem & libro de iudicationibus. Qui autem ſint iſti morbi acuti, idem Hippocrates libro de affectionib. ita declarat, pleuritis, peripneumonia, febris ardens, phrenitis, hi morbi acuti vocantur, & fiunt maximi quidem, & fortiſsimi hyeme: fiunt autem æſtate, verùm minus, & molliores. Idem etiam Galenus

Aph.

Aph.12.lib.1.& cap.9. lib.3. de diff. reſp.interpretatur. Non exactè acutus ad viceſimum vſq; durat,inquit Galenus cap. 12. lib. 2. de diebus decret.Et in prog. 25. lib.3.ait, cũ anteà & iam de morbis diutinis diſſereret mentionẽ habuit viceſimi diei, propterea quòd ad hunc vſq; diẽ extentus morbus nondum diutinus exiſtat. Et idem ex Aph.24. lib.2.colligi elegantiſsimè poteſt: propterea quòd vigeſimum diem conſiderandum eſſe, ſcripſit. Adhuc aliud morborum genus,quod ex delapſu acutum ad quadrageſimum vſq; diem peruenit,quod Galenus Apho. 23.lib.2.in hunc modum explicat. Eſt autem & harum imperfectarum iudicationum terminus vlterior,vltra quem non fieri progreſſus poteſt, dies quadrageſimus. Quicunque igitur morbi intra diem decimum quartum integrè iudicantur,hos ſolet Hippocrates acutos ſimpliciter nominare. Quicunque verò imperfectè iudicati ſeruati fuerint in ſequentium iudicatoriorum dierum aliquem vſque ad quadrageſimum, hos non ſolet ſimpliciter acutos nominare, ſed appellatione compoſita his omnibus verbis,acuti qui in quadraginta diebus iudicantur: verũ manifeſtiùs illi declarant, qui eoſdem morbos acutos ex decidẽtia vocant.De ijs igitur in prognoſtico.25.lib.1.ſcribit in hunc modum: oportet autem exiſtimare ſpirandi facilitatem magnam habere tum ad ſalutem in omnibus acutis mor-

bis: quicunque febres habent adiunctas, & in quadraginta diebus iudicantur. Et hoc ipſum voluit Hippocrates in libro de affectionibus, vbi ait in hunc modum, iudicatur autem breuiſſimus quidem in diebus quatuordecim: longiſſimus verò in duobus deuiginti. Et libro de die bus decretorijs ad finem, Cęterum de iudicato rijs diebus etiam iam à me anteà dictum eſt. Iudicātur autem fortes quarta die, ſeptima, vndecima, decimaquarta, decimaſeptima, viceſima prima. Ex his autem acutis, quædam etiam trigeſima, deinde quadrageſima, poſtea ſexageſima: cũ vero ad hos numeros acceſſerint diutur na febriũ conſtitutio fit. Huiuſmodi igitur mor bi acuti ex decidentia, ex delapſu, & ex commutatione, à Galeno appellari ſolẽt: prout progno ſtico. 25. lib. 1. & cap. 12. lib. 2. de diebus decret. explicat. Talem morbũ acutum ex delapſu paſſus eſt Anaxion lib. 3. de morb. vulg. ſect. 3. qui cum morbo acuto, nimirũ pleuritide infeſtaretur, & in decima quarta die non repurgaretur, tandem trigeſima quarta, toto ſudauit corpore, ceſſauit febris, in totũ eſt iudicatus. Dubitabit tamen hic aliquis, an vnus & idem morbus poterit dici exacte peracutus, & peracutus, item acutus ſimpliciter, acutus nõ ſimpliciter, & acutus ex decidentia? Poterit ſanè. Febris namque ardens, & cõtinens febris, ſi cum inquietatione cõiuncta ſit, ad quartum terminabitur. Eadem,

ſi cum

ſi cũ vigilijs, aut capitis dolore aut delirio, continuis, fiat, intra ſeptimum. Febres item continuæ, quarũ in die quietiori ſymptomata ægrotantem vtcunque moleſtant, ad vndecimum. Quarum verò apud inclinationem febris ſymptomata omnino euaneſcunt ad quartum decimũ. Si verò adhuc ſymptomata remiſsiora ſint ad vigeſimũ vſque: quæ omnia ex libris de morbis vulg. in multis ægrotis vera eſſe reperies. Hinc Galenus cap. 13. li. 2. de diebus decret. dubitat, cur, quoſdã, qui acuto morbo laborarãt, decimoſeptimo, & vigeſimo iudicatos eſſe cognouimus, vti in ipſis epidemijs inuenire licet: in aphoriſmis verò decimum quartum diem terminum ipſis acutis conſtituerit? Et reſpondet ex vehementia & remiſsione ſymptomarum, in hoc vel illo die morbos acutos iudicari. Quare Eraſinus lib. 1. de morb. vulg. ſec. 3. re vera quarto die perijt à ſymptomatũ ſæuitia aucta: licèt quinto obijſſe dicat Hippocrates. At Eraſinus, inquit Galenus, quanquam omnia grauia haberet, ad diem tamen quintum mortem produxit, quòd die primo mediocriter haberet. Vnde eſt de eo ſic ſcriptũ ad verbũ: diem primum quiete tranſegit. Quintus itaque ab initio, quo deceſſit, non adnumerato primo, quartus efficitur. Illud etiam eſt aduertẽdum, omnes dictos morbos in eo conuenire, quòd acuti vocentur; ſiue enim quarta die, ſiue ſeptima, ſiue decimaquar-

ta,

ta, ſiue vigeſima terminentur, omnes acuti terminantur. Verbum igitur hoc, acutum, generale omnibus eſt. Et ne hæc fingere videamur, audiamus Hippocratem aph. 19. lib. 2. Ita dicentē, Acutorum morborum non omnino certæ ſunt prænūciationes, aut ſalutis aut mortis: vbi nomine acutorum morborum omnes eos, quos ſupra deſcripſimus aſſerente Galeno, intellexit. Item aph. 4. lib. 1. ſub illis verbis, in acutis verò in quibus non conuenit, periculoſos eoſdem intelligere voluit. Præterea aphor. 24. eiuſdem libri idem clarius ſcriptum reliquit, quippe qui in hoc ipſo aphoriſmo, quo nam pacto in acutis paſsionibus medicinis purgantibus vti oporteat, docet, quas valdè acutas aphor. 10. lib. 4. appellauit. Iam & in prognoſtico. 1. lib. 1. multò ſanè euidentius idipſum Hippocrates oſtendit, cùm conſiderare autem per morbos acutos, dixerit, per quos eos intellexit, de quibus in libris illis diſſeruit. Conſtat autem omnia ferè genera morborum acutorum in ijſdem illis libris Hippocratem percurriſſe. Quid moror? Aut quid multis opus eſt? Nonne tres fecit Hippocrates, authore Galeno, qui quartum non admiſit in procœmio libri quarti eiuſdem operis, de victu morborum acutorum? atq; an non ſub nomine morborum acutorum, omnes præter diutinos, intellexit, cùm de illis agat? Nemo id inficias ibit, Conueniunt etiam omnes morbi acuti in

eo,

eo, quod febrem inſeparabilẽ habeãt, quemadmodum Gal.aph.7.lib.1.& cap.vlt.lib.3.de diebus decr. & li.1. de ratione victus com.8.dixit. Quod ſi contrarium videatur Gale.docere li.1. prog.25.& aph.19.lib.2.& aph.30.lib.5.vbi inſinuat multos eſſe morbos acutos febre carẽtes, dicendum eſt, quòd ſi morbus acutus habuerit febrẽ, illa erit inſeparabilis à tali morbo: fieri tamen poteſt, vt morbi acuti, veluti apoplexia, tetanus, & alij, febre careant. Conueniũt etiam morbi acuti in cauſa, à qua fiũt: nam frequentiùs à bile fiũt, vt Ariſt.ſect.1.quæſt.6.ſcripſit: cui ſubſcripſit Galenus lib.2.progn.46.& apho. 19.lib.2.& apho.24.lib.3.& aph.32.lib.7. Anaxagoras etiam, referente Ariſtotele cap.2.lib.4. de partibus Anim. fel eſſe morborũ acutorum cauſam, opinatus eſt. Quamobrem ſubiunxit, Ariſtoteles, pulchre à veteribus dicitur illis, qui cauſam, cur diutius viuatur, fellis vacuitatẽ eſſe aiunt, argumẽto ex ſolipedum, ceruorumq́; genere deducto: hæc enim & felle vacant, & diu viuunt. Verùm hic Ariſtoteles non pro humore accepit fel, ſed pro bilis receptaculo, ſeu folliculo, quo homines carentes, longæuos appellauit ibidem, & cap.23. lib.2. de ſyllogiſmo. Plinius etiam cap.37. lib.1. Neque per bilem intelligas omnes humores ſimul coniunctos, veluti accepit Hippocrates & Galenus enarrat aph.15.li.2. & aph.42.lib.7. & lib.de nat.hum. cõ.2.tex.22.

ſed humorem bilioſum ab alijs diſtinctum. Conueniunt denique morbi acuti in prædictione, ſiquidem acutorum morborũ non omnino certæ ſunt prænũciationes, aut ſalutis, aut mortis, vt ſupra oſtenſum eſt. Nunquid autem æger ſeruabitur ex morbo an morietur, è tribus potiſsimum rebus dignoſci poteſt: nempè ex ſpecie, magnitudine, & more morbi. Ex ſpecie, dum cõſideramus, num ſalutaris ſit morbus, adeoq; à natura, vel arte vinci poſsit, aut lethalis, qui naturæ vires, & artis præſidia ſuperet. Sic è diaria febre, tertiana intermittente, alijsque omnibus eius generis febribus, quòd ſalutares ſint morbi, ægros ſeruari facilè eſt præſagiri. Cõtra, mori ex vehementi apoplexia, hydrope, peripneumonia, phrenitide, & id genus alijs morbis, quòd ſuapte natura lethales ſint. Species autem morbi quælibet ex ijs cognoſcetur ſymptomatis, quæ propriam cuiuſque naturam complent. Verbi gratia, ſufficiet enim exemplo rem declaraſſe, pleuritis ex dolore lateris pungẽte, ſpirandi difficultate, tuſsi, & febri, quæ tamen illi eſt cum cæteris phlegmonibus communis, deprehenditur. Quare qui ſpeciem morbi è proprijs, vt iam pleuritidis exemplo mõſtratum eſt, ſymptomatis cognouit, is facile iudicabit, num hominẽ extinguet, vel potius propelletur. Ex magnitudine, ſeu vehementia etiam exitus morbi dignoſci poteſt. Nam & ſi interdũ morbus ſua-

pte

pte natura ſalutaris ſit, tamen vbi inſignem magnitudinē aſſumit lethalis eſt. Sic vulnera, quæ ſuapte natura ſalutaria ſunt, propter magnitudinem fiunt lethalia. Quod de vulneribus diximus, id ad reliquos etiam morbos propemodū omnes transferri poteſt, vt qui ob vehemētiam ac inſignem magnitudinem lethales euadant. Cognoſcitur autem hæc ipſa è multitudine, & vehementia propriorum ſymptomatum. E morbi more quoque, num æger ſeruabitur, aut morietur cognoſci poteſt. Morem autem ſiue modum non vocamus, niſi eſſentiam, aut differentiam morbi, prout ſcilicet mitis, placiduſve aut malignus ſit. Atque mos vtique morbi plurimū momenti habet in prædicendo morbi exitum, vt Gal. veluti reliqua duo cap. 3. lib. 1. de criſ. explicauit. Num verò morbus longus, aut acutus euadat, ex ſignis coctionis, & cruditatis cognoſcetur, vt in ſequentibus latè demonſtrabitur.

De morborum temporibus dignoſcendis, & ſtatus præcognitione. Cap. IX.

MORBI tempus, vt inquit Galenus cap. 1. lib. de morb. tem. & cap. 1. lib. de totius morbi temp. nihil aliud eſt, quàm pars, aut ætas morbi, quæ ſucceſsionis viciſsitudine mutatur, metaphora ab animantibus ſumpta. Quemadmodū. n. hæc ipſa genita ad vigorem vſque augentur,

gentur, inde iam contabeſcere incipientia, ad extremam vſque corruptionē declinant, ſi omnes ætates pertranſierint: ita quoque ſinguli morbi à prima eorum cōſtitutione ad vigorem vſque increſcunt, dum pro augmēti prioris portione decreſcentes omnino diſſoluantur. Tempora itaque appellantur, quòd ſucceſsione quadam, vt tempus, ſuas partes morbus adquirat. Aetates verò, quòd quemadmodū ætatum curſu animal, ſic morbi temporum viciſsitudine immutentur. Atque horum temporum cognitionis vtilitas varia & multiplex eſt. Nam cùm curationem morborum in primis ob morbi tempora variari contingat, alia enim in principio morbi, alia in eius incremento, alia denique in alijs morbi partibus cōueniunt, nemo morbos rectè curabit, niſi horum tempora perfecta habeat. Quod Hippocrates aph. 1. lib. 1. animaduertens, dixit, occaſio præceps, id eſt opportunitas faciendi, & nō faciēdi eſt præceps, ideoq; intelligenda eſt diligētiſsime à Medico, ne pertrāſeat talis occaſio ad remedia opportunè adhibenda hoc aut illo tēpore. Eſt enim tam præceps, ac labilis talis occaſio, vt meritò Hippocrates ad Crateuam dixerit, Ab omni equidem arte, aliena res eſt dilatio, verùm maximè à medicina, in qua dilatio eſt vitæ periculum. Cuius ſane rei rationem idē Hippocrates libro de ornatu decēti docet, inſtabilia, dicens, eſſe quæ in

humidis

humidis cõſiſtunt, quæ aut natura, aut fortuna, ideſt, occaſione præterita, tranſmutari poſſunt, quapropter crebro Medicus ægros inuiſere debet. Et libro illo, quem Præceptiones inſcripſit, ita inquit Hippocrates tẽpus eſt, in quo occaſio eſt, occaſio verò in qua tempus nõ multum: medella tempore aliquando, etiam occaſione contingit. Et lib. primo de morbis, ſic ait, Temporum autem occaſiones, vt in ſumma dicam, multę ſunt, ac variæ in arte, quemadmodum morbi & affectiones, & horum curationes. Maxime verò repentinæ ſunt, in his, quibus animo defectis opitulari oportet, & qui neque vrinam, neque ſtercus egerere poſſunt: & qui ſuffocantur, & ſi mulierem pariẽtem, aut ſauciatũ liberare oportet, & quæcunque eiuſmodi. Et hæ quidem occaſiones repentinæ ſunt, & paulò poſterius non ſufficiunt: pleriq; enim paulò poſterius pereũt. Occaſio verò eſt ſi horum aliquid perpetiatur homo, & qui antequàm animã efflet opitulet̃, hoc totum ex occaſione opitulatur. Eſt igitur fermè hæc occaſio etiam in omnibus alijs morbis. Semper enim in quocunque ſanè quis opitulatur tempore ex occaſione opitulatur. Quicunque verò morbi, aut vulnera nõ ad mortem tendunt, ſed temporarij ſunt, ac periculoſi, doloreſque in ipſis fiunt: verum poſsibile eſt, vt ceſſent, ſi quis rectè medeatur: his ſanè nõ proſunt auxilia à Medico adhibita, cùm adhibeant̃.

Nam

Nam & non præſente Medico vtique ceſſaſſent. Alij vero morbi ſunt, quibus occaſio eſt, vt curentur, matutina diei hora, nihil autem refert, an valdè manè, an paulò poſterius. Alij morbi ſunt, quibus occaſio eſt nec vt ſemel in die curentur, nec refert quo tempore id fiat. Alij per tertium ac quartum diem curãtur, & alij ſemel per menſem, & alij per tertium menſem, nec refert an idipſum in tertij augmento, vel fine fiat. Tales itaque occaſiones, in quibus non aliam, quàm hanc certitudinem habẽt. Hactenus Hippocrates. Quibus ſanè verbis quantum cognitio temporum morbi ad rectè curãdum faciat, ſatis ſuperque explicauit. Hinc Galenus cap. 1. lib. 1. ad Glauc. inquit, Tẽporis occaſio præ omnibus eſt cognitu difficillima, quæ cùm præceps ſit, plerunque etiam Medicos præcellentes aberrare facit. Nam Medicinæ certo tempore exhibitæ iuuant, intempeſtiuè verò maximè lædere poſſunt, eodem Galeno cap. 3. lib. 3. de temper. teſte. Ob eam ſanè cauſam ait Galenus cap. 2. lib. 12. de vſu part. cùm Hippocrates ipſam medicinæ artem longam eſſe dixiſſet, ſubdidit, occaſio autem præceps, quod niſi occaſio præceps eſſet, ſed latitudinem haberet magnam, nequaquam longa eſſet. Et propter hãc difficultatem ſcripſit Hippocrates ad Democritum, dicens, Ego enim ad finẽ medicinæ non perueni, etiam ſi iam ſenex ſim. Huc etiam idem Hippocrates

reſpiciens dixit apho. 1. lib. 1. experimētum periculoſum. Si experimentum eſt, cur periculoſum? Quia ſi Medicus curat podagricam paſſionem, & inueniat præſidium expertum in podagricis, & neſciat, vtrum initijs conueniat, an in augmento, an ſtatu, an in declinatione: & ſi in ſtatu conueniat, & illud in augmento exhibeat, fallit ſanè experimentum, & periculoſum eſt. Occaſio igitur, & tēpus opportunum idem ſunt. Tempus autem opportunū recta cognitio temporum morbi reddit: vnumquodque inſuper tēpus ſuam habet latitudinem, vt in curandis morbis quotidie experimur. Confert etiam hæc cognitio, vt inquit Galenus cap. 8. lib. de totius morbi tēporibus, ad futurorum prædictionem. Nam quo tempore mori poſsit, aut ſanari, & quādo periculum effugerit æger prouidebit, qui morbi tempora nō ignorabit. Neque enim in quacūque morbi parte finiri poſſunt morbi, aut vita extingui: cum nemo inuadente, aut inclinante morbo pereat. Quin etiam victus rationem in nullo morbo rectè inſtituet, qui eius tempora, præſertim vigorem, à quo cibādi conſilium petitur, ignorauerit: poſtremò, quod inde iudiciorū bonitas, aut malitia cognoſci poſſit. Nam vigor morbi, iudiciorum omnium regula eſt, quòd in eo non niſi optimum iudicium fiat. Proinde quantò criſis vigori proximior, tantò melior erit. Contrà, quanto magis ab eo

diſtat, peior, vt lib. 3. de criſ. cap. 5. Galen. fuſius docet. Hinc eſt, quòd vigor morbi Medico præ alijs temporibus potiſsimùm dignoſcẽdus eſt, vt Galenus cap. 3. lib. 1. de criſ. inquit in hũc modum, generoſi Medici, atque arte Hippocratica digni eſt officiũ, futurũ ſtatum præcognoſcere, cùm omnem victus rationẽ ad ipſum inſpiciẽs, inſtituat. Eadẽ ratione principium morbi atque augmẽtum, nõ vbi iam perfecta ſunt, ſed multò ante præſtabit cognoſcere. Et cap. 9. eiuſdem libri, non ſolùm ingruentem ſtatum oportet Medicum cognoſcere, ſed præcognoſcere. Primò quod ſine vigoris præcognitione vtrum iudiciũ futurum ſit nec ne, & quum ſit, quale ſit ſciri nequeat. Deinde vigor hoc nomine maximè præcognoſcẽdus venit, quia niſi in vigore iudicium morbi obtinuerint, vt in declinatione abeant, fieri nequit. Denique vigoris tempus Medico ideo præcognoſcẽdum, quòd ſi moriturus eſt æger aut nõ, nemo ſciet, niſi vigoris tempus præcognouerit. Reliqua de temporum morbi diuiſione, & de numero eorum, diſputatione ſecunda, lib. 2. de morbis medendis, leges.

De temporibus vniuerſalibus morborum. *Cap. X.*

SCire autem operepretium eſt, alia quidem eſſe particularia acceſsionũ ſingularium tempora, alia vero in vniuerſum totius morbi, & q̃

plures ſane in intermittentibus ſunt eiuſmodi inuaſionum partes, pauciores in continuis, quæ ex dierùm interuallo acutius premunt, duplo autem minores in continentibus febribus, quæ æquali vſque ad exitum tenore affligunt, numerantur. Salubres autem morbi quatuor tẽpora vniuerſalia habent, quæ cruditatibus & coctionibus optimè inter ſe diſtinguũtur. Nã exitiales quidam in principio, quidam in augmento, quidam in ipſo vigore perimunt. Ex ijs enim nullus quatuor tempora habet. Si quidem fieri nequit, vt vigore elapſo, diminutoque morbo, victaq; illius vehemẽtia, homo in declinatione eius pereat, vt latius lib. 3. de criſ. cap. 5. Galenus oſtendit. Quanquam enim interdum morbus, cùm moritur homo, leuior eſſe appareat, non tamen tunc vera eſt declinatio, ſed falſa potius, & ficta, vtpotè quæ à natura vincente nequaquam accidat. Neque enim alia de cauſa tunc declinare videtur morbus, quàm quod virtus iam euicta non amplius morboſis reluctetur. Cæterùm, vt de ſingulis ordine agamus, principium varie à Medicis vſurpatur, nempe trifariam. Primò pro prima inuaſione morbi exacta, & impartibili, & quæ latitudinis expers eſt. Secundo pro ſpatio temporis, antequam inuadat ſecũda acceſsio. Tertio pro toto eo tempore, quo nullæ coctiones in excrementis apparent. Horum modorum primus eſt reijciendus omnino à Me

dico, propterea quòd ſub ſenſum nõ cadat, quẽ Medicus non tranſgreditur, vt cap. 8. lib. artis medicæ, inquit Galenus: & Ariſtoteles cap. 7. lib. 3. de cœlo. Secũdus inartificioſus eſt: quoniam principium ſecundum latitudinem communi quadam & prompta imaginatione, in qua nullum adhuc eſt artificiũ, in prima acceſsione continetur. Atque idcircò quædam ſtatim, cum incipiunt, ſtatũ accepiſſe dicuntur, quemadmodum in lib. 1. de morb. vul. ſect. 3. tex. 10. vbi inquit Hippocrates, ſtatim enim cõtinua eſt, quibus incipiẽs floreſcit, ac viget. Nam verbum id, incipiens, hoc loco non dicitur de vero morbi tempore, alioqui repugnaret ei floreſcere, atq; vigere, ſed de eo, quod ſubſequitur principium, exquiſitè dictum, quod, vt plurimum, ad tertiũ extẽditur diem. Vt plurimum, inquam quia ad quartum vſque diem etiam prorogari poteſt, vt prorrhetico. 1. lib. 1. & aph. 12. li. 1. aduertit Galenus. Quarè verò frequentius tertia die terminetur hoc principium declarãdum eſt: quoniã morbi acuti vt retrò dictum eſt, magna ex parte bilioſi ſunt, qui per tertium diem repetũt, cuius periodi finis principium morbi hoc modo appellatur: quo ſanè etiam accipitur & ab ipſo Hippocrate prog. 5. lib. 1. Tertius modus artificioſus eſt, & primum morbi tempus ſignificat, cùm morbum in quatuor diuidimus tempora, principium, incremẽtum, ſtatum, & declinatio-

nem:

nem : & hoc principium tandiu durat, quandiu nõ apparẽt ſigna coctionis : & ita numero dierũ finiri ac terminari non poteſt hoc principiũ. idcirco vnicuique morbo ſuũ proprium initiũ eſt : & ſic ad multos etiam quaternarios porrigitur, & etiam ad menſes in ægritudinibus, quæ tardè concoquuntur. Cæterũ perfecti, & iam abſoluti principij euidentiſsimum, ac firmum admodum ſignum, concoctio manifeſta exiſtit. Porro augmẽtum vt Gal. inquit cap. 3. lib. 1. de criſibus, principium ſtati excipit & ad vigorem vſq; durat. Quod tribus cognoſcitur rebus, nempe hora, in qua fit acceſsio, eiuſdem lõgitudine & magnitudine. Ex hora quidem in qua fit acceſsio, ita cognoſcitur augmentum. Si acceſsio maturius inuadit, & pluſquam proportio poſtulat anteuertit, certiſsimum hinc argumenti iudicium colligitur. Ex longitudine hoc modo. Si acceſsio anteuertendo in longius extenditur tempus, augmenti notam eſſe nemo nõ animaduertit. Ex magnitudine hac ratione. Si acceſsio vehementius afflixerit, manifeſtè augmentum morbi adeſſe conijcimus. Proinde acceſsio plurimo tẽpore anticipãs, hoc eſt, conſuetam inuaſionis horam anteuertens, & longiùs & multò etiam vehementiùs affligens, ſtatu dignum ac certum morbi habentis acceſsionem, & per circuitus redeuntis, incrementum indicabit. Status eſt vehementiſsima morbi pars, cap. 1. lib. 1.

de criſ. Qui cognoſcitur, vt cap.3.eiuſdem libri ait Galenus, vbi hæc omnia in vtriſq; acceſsionibus æqualia, & ſibiipſis perquam ſimilia fuerint, ac in eodem ſtatu manſerint, perſeuerauerintque. Declinatio autem contrarijs augmẽto ſignis cognoſcitur: nẽpè ſi tardius, quàm conſueuerũt antea acceſsiones inuadant, ſi breuiori tempore durant, & prioribus meliores fiant, minusq; afflixerint. Poſſunt autem alij morbi, qui per circuitus nõ inuadunt, ex ſymptomatũ vehementia vel remiſsione, num in vigore, aut declinatione ſint, cognoſci, iuxta illud Hippocratis apho.30.lib.2.circa initia & fines, omnia imbecilliora, circa vero ſtatum omnia fortiora. Quibus autem notis hæc quatuor tempora in ſalubribus morbis diſtinguantur, exemplo inflammationũ, febrium, & vlcerum quoq; declarat Galenus cap.3.lib.de totius morbi temp. incipit namq; in inflammationibus per totum id tẽpus, per quod fluxio ſanguinis ad particulam deriuatur, latè meatus omnes & cauitates diſtendens (talis enim inflammationum generationis eſt modus) cùm autem putrore, ſanguis qui influxit, corripitur & fundi incipit propter calorem quãuis defluxio quieuerit, inflammationis tunc incrementum eſt. Vbi autem cruor in pus conuertitur, inflammatio viget, quo tempore & dolores augentur, & febres magis accidũt. At cùm exacte ſuppuratio, vel perfecta eſt,

vel

vel digeſta remedijs, & diſcuſſu per halitum materia conceſsit, ad declinationem maturaſſe inflammationem manifeſtum eſt. Nam & accidentia releuantur, & omnia leuius, & mitius ſe habere circa ægrũ videntur. Cæterum in febribus ſic diſtinguũtur. Totum id tẽpus, per quod morbus permanet incoctus, principium eſt. Cùm autem cruditatis ſigna remittũtur, & incipit ægritudo concoqui, augmẽto id tempus aſsignatur, quo coctiones in dies, & cõtinuò magis procedunt. Vbi verò omnibus numeris abſoluta concoctio eſt, ſtatum id tempus eſſe dicimus. Cùm autẽ accidentia mitiora iam ſunt, & leuior morbus, declinationem adueniſſe aſſerimus. In vlceribus diſtinctio accipietur hoc modo. A principio multę, & tenues, & crudę ſanies in particulam vlcere obſeſſam influunt, proceſſu pauciores, & craſsiores. In ſtatu non iam ſeroſæ illæ humiditates ab vlcere deſtillant, ſed tabo, & pure quodã tenui membrum apparet cõſperſum, cuius cùm fuerit minuta quantitas, & craſsitudinem fuerit adeptum, declinationem vlcerum adeſſe nequicquam ambigendum eſt. In inflammationibus oculorum ſic hæc tempora diſcernemus. Incipiẽte malo multa, & tenuis, & acris, & mordax ad oculum defluxio deriuatur. Profectu temporis minor, ſed tamen craſsior. In ſtatu lippitudines quædam (quas lemas vocant) adeo lentæ, & craſſæ conſpiciuntur, vt genas glu

tinent, & vix oculos aperire ſinant. Vbi verò declinatio adeſt, lippitudo cum craſſeſcit, tum ſeipſa minor euadit. In deſtillationibus ad fauces, & ad nares hęc omnia tempora ſic erunt diſtinguenda. Sub principium multa, & tenuia, & acria, & incocta purgãt, & educunt. Pauciora & magis craſſa cùm morbus increuit. In vigore autem nondum iam ſtiriam, quæ naſo propẽdeat, ſed mucum craſsiorem emungunt. Poſtremò id quòd emungitur, multò minus & craſsius & albopallidum eſt. Ita igitur in omnibus ſe res habere cognoſcitur. Circa principia omnia cruda ſunt, & incocta, & quãtò morbus principio propior eſt; quantò autem ad ſtatum magis accedit, decoctior omnino redditur. Nam in coctionibus, quæ à natura fiunt craſsities ſubſtantiæ plurimum commutari ſolet, vtpote quæ humores quoſcunque ad nutritionem ſolidarum particularum conuertere ſemper enitatur. Quo fit vt coctiones ſemper ingroſſent tum vrinas, tum alui excrementa: in ijs, qui nõ coquunt, adhęc & expuitiones, in ijs, qui à pulmonia, vel à pleuritide laborãt, ſed & purulentiam in vlceribus, & lippitudines in oculorũ epiphoris, præterea & pituitates in defluxionibus, & deſtillationib⁹, vel grauedinibus, ad nares. Omnia hæc quippe principio cruda & tenuia viſuntur, cùm autem coctiones procedunt, craſsitudinem ſubſtantiæ induunt, & acquirunt.

De

De particularibus morborum temporibus. Cap. II.

PARTICVLARIA verò tempora ſunt minores partes, in quas ſingulæ acceſsiones diuiduntur. Acceſsio autem nō eſt niſi tempus deterius totius circuitus, quòd à prima inuaſione vſque ad intermiſsionē exiſtit. Circuitus autē, qui Græcis periodus vocatur, non eſt niſi repetitio, ſiue reditus ab eodē ad eadē per ordinē, & circulum quendam factus. Vel breuius, ſimilis ad idem reditus, hoc eſt, vniuerſum temporis ſpacium à primo ſtatim inſultu vnius vſque ad inſultum alterius acceſsionis. Cuius quidem temporis duæ ſunt partes. Vna, quæ deterius eius tempus comprehendit. Altera, quæ remiſſionem, ſiue declinationem, & quietis tempus amplectitur. De quibus Gal. c. 3. lib. 1. de criſ. Cęterum Gal. c. 2. eiuſdem & lib. de morborum temp. cap. 5. & 8. in febribus intermittentib. ſex particularia tempora conſtituit. Primum quidem tēpus eſt, quo vel perfrictionibus, vel horrore, vel rigore per membra eunte ſubito corripitur æger, & moleſtijs quibuſdam capitur, & ęgrè fert, & contrahi in ſe, & horrere incipit. Secundum eſt inęqualitatis tempus, per quod calor cōtra tendit, & ab alio ad extimas partes reuocatur, quoad per totū ſit ęquabili diſtributione

ne diffuſus Tertium eſt incrementi tempus, cũ calor iam per omnia ſparſus, vires continuo ſuſcipit, & ſuccesſiuis incremẽtis adaugetur. Excipit poſt hęc vigor, cũ calor inęquali tenore perſtat, deinde declinatio, cum omnia hæc iã declināt, & calor fit minor, & per halitum digeritur, relinquensq́; thoracis partes ad ſummos pedes paulatim deſcendit, ſextumq́; tempus infebricitationis, & quietis ſuſcipit, quod ad reliqua tẽpora ſubſequitur. In febrib. autem continuis, quæ acceſsiones capiunt, quinque tẽpora reperiuntur: nam cætera omnia ferè ſunt paria, præterquam quòd ad infebricitationem non terminantur. In ijs igitur quæ rigorem, vel horrorẽ, vel perfrictionem inuadentes faciunt, facilis eſt priorum illorum temporum ab alijs dignotio. Sed tam in ijs, quàm in quibus nulla fit, cũ ingruũt, acceſſionis ſignificatio, tẽpus illud, quod ad quietem ſequitur, & quæ qualitatis ſtatum, præclarè ſyſtole, id eſt, pulſus contractio, circunſcribit. Nam etſi quædam ſint, quæ nec frigoris, nec rigoris imprimunt ſenſum, nec ſignificationem faciunt, quod eſt ceu quoddam claſſicum antecedens futuræ febris: in omnibus ijs tamen pulſus intrò citatiores, & frequentiores manifeſtò conſpiciuntur, quamuis & tardior & rarior non parum appareat dilatatio. In febrib. autẽ cõtinentib. quæ nec frigere, neque horrere cõpellunt, tres dumtaxat partes reperiuntur. Nã

calor

calor à principio ſucceſſiuè adaugetur quoad in ſummum vigorem perueniat. In ijs ſiquidē tria integra tempora perfectè pereunt: non enim ſignificationem, inuaſionemve cōmittunt, nec calor à principio intus colligitur, nec mox inæqualiter diffunditur, nec quies aliqua concedi-tur, ſed confeſtim ab initio annotationem acceſſionemve incompreſſam faciunt, hoc eſt, eam in qua nequicquam arteriarum ictus reciprocant ad interna. Cęterum quoniam Aetius ſer. 1. tetrab. 2. cap. 11. 12. 13. & 14. particularia tempora cuiuſque acceſſionis ex Galeno lib. 2. de criſ. perſpicuè ſuis notis, breuiterque depingit, non erit incommodum hic ea referre. Principium, inquit, febrilis exacerbationis, fermè eſt contractio extremarū partium omnium, & maximè naſi. Et quandoque etiam frigiditas totius corporis: & aliquando tuſsicula parum irritans, vna cum frigiditate irruens; Item oſcitatio, & partiū corporis extenſio, aut nauſea, aut vomitus, aut animi deliquium, & capitis dolor, aut alterius cuiuſdam partis, & in profundum ſomnum delatio: pulſus inſuper paruus, & cōtractus, tarde feriēs ac reſidens. Et ſymptomatum ad pręſentem morborum concomitantium irritatio. Iuxta augmentum exacerbationis, aliorum quidem accidentium incremētum, & vnio accedit, contractio verò & frigiditas ceſſant: & pulſus inæqualis emicat: & corpus calefit quidem, verùm

rùm non exactè. Iuxta vigorẽ exacerbationis, calor æqualiter diffunditur, & particulatim diſtribuitur, per totum corpus: & pulſus totã augmenti magnitudinẽ accipientes, ad ſubiectę materiæ proportionem extenduntur, itemq́; reliqua exacerbationis accidentia. Tunc verò iam tempus eſt ęgroto potum dare. Declinatio eſt vbi incipiunt aliqua, aut omnia prædicta accidentia minui: & pulſus ad ordinatum quodammodo motum deueniunt. Aliquãdo verò & humores exſudant: & calor nimirum contabeſcit. Quandoque etiam ſomni boni concurrunt, ſi longum tempus inter acceſſiones futurum eſt veluti in puris remiſsionibus fieri ſolet. Contingit enim in quibuſdam morbis, vt exacerbatio poſterior prioris declinationem excipiat, velut in febribus continuis apparet.

DE OPTIMA PRAEDICENDI RATIONE, LIBER II.

LVDOVICO LEMOSIO AVTHORE.

Quid ſit ſignum, & quot genera ſignorum. Cap. I.

MORBI in intimo corporis receſſu conditi, qui neque cerni, neque ſenſu vllo percipi poſſunt, ſolis ſignis intelliguntur, quib. tanquam rerum indicijs mens recta ratione ducitur, & in recõdita penetrans, quæcunque magna obſcuritate inuoluuntur ſic aperit, vt oculis ea cernere videatur, veluti Ariſtoteles cap. 1. lib. 1. de anima, dixit: cùm animæ eſſentiam perſcrutaturus, eã per ſigna, ideſt, operationes, ac effectus rimatur. Tanta eſt enim ſignorum neceſsitas, vt his ſublatis medicinæ fundamenta corruant, à quibus ſemper in philoſophia naturali, nedum in

medicina

medicina auſpicandum eſt, vt cap. 6. lib. 1. de Hiſto. Anim. tradidit Ariſtoteles. Signum autem, vt Ariſtoteles cap. 27. lib. 2. de ſyllogiſmo: & in Rhetoricis cap. 22. lib. 2. nil aliud eſt, quàm rei, quæ contingere debet, dignotio. Vel, ſignũ eſt, id, quo cognito aliud, quod ignotũ nobis erat, deprehenditur. Porrò ſignum ab indicio differt, prognoſtico. 41. lib. 3. quòd indicium dicatur de eo, quod perpetuum eſt, vnũ quodlibet indicans: ſignũ verò quod non neceſſariò nec aſsiduè, ſed magna ex parte indicat, vt etiã prorrhetico. 3. & 59. lib. 2. indicat Galenus. Signum itẽ rurſus ab indicio differt. Nã quod ex obſeruatione eſt, ſignum: quod verò ex demonſtratione, indicium certum dicitur. Signa autẽ genere duplicia ſunt: demonſtratiua, & prognoſtica. Demonſtratiuis præſens indicatur morbus: quæ ſuas partes habẽt. Alia enim ſunt propria, & inſeparabilia, quę pathognomonica, dicũtur, & quæ propriam rei eſſentiam perpetuò concomitantur: & conſtituunt, vt ſunt in pleuritide, acuta febris, ſpirandi difficultas, tuſsis, punctio lateris, veluti Galenus Aph. 12. lib. 1. & lib. 3. de morb. vulg. ſect. 3. com. 34. & prorrhethico. 4. li. 1. docet. Alia dicuntur ſigna aſſidentia, quæ aliàs cum morbo inuadunt, aliàs ſuperueniunt, aliàs neque omnino adſunt: proinde neq; propria, neq; inſeparabilia ſunt, ſed multorũ communia ſunt, vt locis citatis & ca. 5. lib. 1. de criſ.

Galenus tradidit. Signa verò prognoſtica non continuo, vt morbus inuadit, ſed aliquãto poſt tempore ſe proferunt: hincq; mox apparentia, & ſuperuenientia nuncupari ſolent. Ea genere quidem triplicia ſunt, alia coctionis, & cruditatis, alia ſalutis, vel mortis, alia decretoria. Et in vno quoq; genere alia ſalubria, alia inſalubria, alia neutra, de quibus minutatim erit dicendũ. Coctionis quidem & cruditatis ſigna ſunt, alui excremẽta, ſputa, & vrinæ: ſalutis ac mortis sũt, quæ cùm illis excernuntur, & in toto apparent corpore. Iudicationum verò nõ eſt vnum proprium, præcipuumq; genus ſignorum: ſed alio in tẽpore, & in alio morbo erunt critica ſigna, in alio vero affectu, aut alio morbi tempore erunt, vel ſymptomata, vel praua ſigna, aut nullo modo critica. Quocirca Hippocrates in ſecundo de morbis vulgaribus libro rectè cenſuit, critica non iudicantia, partim mortalia eſſe, partim difficulter iudicare. Ac ſigna quidem concoctionis bona ſemper ſunt, cruditatis, non bona. Nam ſi capitis dolorem, aut delirium, aut reſpirationis difficultatem, aut grauem ſoporẽ ſubeſſe videas: in ijs nihil firmum, nec bonum, nec malum prænoſcere poteris: ſicut nec etiam, ſi intuearis ſudores, aut copioſam alui, aut lotij excretionem, aut ſanguinis è naribus, aut ex utero, aut hęmorrhoidibus effluxionẽ. Imo verò ne ſi tumores quidem ſecundum aures, aut

alios

alios abſceſſus perſpicias. Cauſa eſt, quia hæc omnia & critica, & non critica eſſe poſſunt, Et ideò Galenus ca.83. lib. artis medicę hæc ſigna critica, neutra appellauit. Atq; id quidem duobus modis, vel quòd nullo modo, vel quòd male iudicationem faciant. Alterum verò genus eſt non modo ſignorum, quæ critica ſint, ſed quæ etiam cauſarum vim habeant. Hoc genere continentur vomitus, alui deiectiones, vrinę copia, ſudores, ſanguinis profluuia, tumores ſecũdum aures, atq, abſceſſus. Iam verò aliud quoque genus comperies, eorum, quæ vno eodemque tempore & ſigna erũt & ſymptomata. Hocque genus neque iudicationem affert, neque æquè, atq; illud, quod in coctionibus verſatur, fidum eſt, neque omnino infidum: ſed in hoc genere quædam ſemper bona ſunt, quædam mala. Quod Hippocrates declarauit, cũ dixit, mentem conſtare, recteq; ſe ad ea, quæ offeruntur, habere, bonum. Facilis quoq; reſpiratio, & integritas pulſuum in bonis habetur. Ita etiam facilis tolerantia, & facies beneuolentium faciei ſimilis, & decens decubitus, & corporis æqualitas boni conſulitur. Horum contraria, in malis ſtatuenda ſunt: quæ omnia ſunt in prognoſticis ab Hippocrate ſcripta diuinitus. Itaque ſigna coctionis fida omnino ſunt, ſiue ſint in morbis venoſi generis vrinæ, ſiue in morbis vẽtris, deiectiones, ſiue in morbis thoracis, ſputa. Signa

verò

verò decretoria omnia infida ſunt, ſiquidē ex ſe nullā habent certitudinem, quoniam eademmet ſigna, quæ oſtendunt bonam criſin, oſtendunt etiam malam, vt capitis dolor, morſus ventriculi, tremor labij inferioris, tam bonū quàm malum vomitum antecedūt. Signa verò ſalutis vel mortis, neq; ſunt ſigna coctionis, neque ſigna criſis, quæ non habent parem cum ſignis coctionis certitudinem, neque adeò ſunt infida, vt ſigna decretoria, verùm bona ex ijs ſemper ſunt bona, & mala ſemper ſignificant malum, vt cap. 14. lib. 1. de criſibus Galenus ſcripſit. Hippocrates etiam prognoſtico 39. lib. 3. inquit. Probè verò peritum eſſe oportet de indicijs certis, ac ſignis alijs: ſciēdumque, vt quouis anno, & quouis tempore, mala malum, bona bonum, denunciant. Qui locus Hippocratis eſt intelligendus de ſignis coctionis, & cruditatis, & etiā de ſignis ſalutis, & mortis. Signa verò decretoria, cùm nihil certi pronuncient, de illis non eſt Hippocrates intelligendus. Quod ſi Galen. cap. 14. lib. 1. de criſ. loquēs de ſignis prognoſticis, dicat, Quædam in vrinis, & alui excrementis, & ſputis apparent, qualia ſunt coctionis & cruditatis. quædam in diſpoſitione totius corporis inueniuntur, vt ſigna ſalutis & mortis: quædam in animalibus & naturalibus operationibus, vt iudicatoria, hæc vero non omnia fidelia ſunt in omnibus morbi tēporibus: & paulo poſt, ſub-

F iungit

iungit de ſignis ſalutis, & mortis: Atq; hęc quidem eſſe talia vt plurimum omnibus ineſt, ex quo loco facile colligitur argumentum, Si vt plurimũ huiuſmodi ſigna ſunt fidelia, nõ igitur bona ſemper bonũ, & mala ſemper malum pronunciabunt, dicendum eſt ſigna bona, & mala ſemper talia eſſe, qualia dicuntur, ſi per ſe ſola conſiderentur: & ſecundum naturam vniuſcuiuſque ſigni: ſi verò expectetur morbi euentus, in quo ipſa apparent, vt plurimum talia ſunt, propterea quòd contingit, vt à validioribus ſignis contrarijs vincantur. Si cui enim conualeſcendum eſt, inquit Galenus prog. 56. lib. 2. Omnia bona indicia adſint, neceſſe eſt: ſi moriendum, vel vnum adſit malum, ſufficiet. Hoc nãq; ſua malitia cætera bona euincit, vnde mors neceſſario ſequitur. Quod reſpiciens idem Galen. prog. 37. lib. 3. monet, vt non ſolùm in prędicendo ſigna bona cũ bonis, ac mala cum malis, ſed etiam mala cum bonis conferantur, & per hanc comparationem certiùs adhuc multò de morbi euentu pronunciabit Medicus. Et quamquam vnum ſignum exitiale ſuperet multa bona, non idcirco cenſendum eſt, prædictionem hanc eſſe altera certiorem: æqualem enim vim habẽt ſaluberrima ſigna ad præſagiendum ſanitatem, & lethalia ad præſagiendum mortem. Imò verò prænotio criſis optimæ multũ habet ſcientiæ, & firmitudinis, non optimæ uerò & adhuc magis

prauæ incertitudinis, & coniecturæ, vt lib. 3. de criſ. cap. 5. & 10. inquit Galenus. Sicuti enim inquit, in his eſt plurima certitudo & coniectura, ita in bonis ſcientia, & firmitas præualet. Cauſa huius rei hæc eſt: quoniam ſalus cognoſcitur per coctionem, mors verò per cruditatẽ: illa eſt certior: hæc verò incertior. Item ſignũ ex habitu ſumptum certiùs multò eſt eo, quod ex priuatione habetur. Quod reſpiciens Auicenna lib. 4. par. 2. ſect. 1. cap. 3. claudẽs ſigna optima, dixit, Et non fallit hoc. Et de prauis, ſubiunxit, O quanta timoroſa vidimus ſigna, & de profunditate ſomni, & caſu pulſus, & abſciſſione ſudoris. Hinc Galenus prog. 39. lib. 3. dixit, accidentia quædam de prauis in bona, & etiam de bonis in praua, mutari. Quod intelligendũ eſt, iuxta tempora, quibus acciderint.

De ſignis coctionis, & cruditatis. *Cap. 2.*

GALENVS prog. 26. lib. 2. & lib. 1. de criſ. ca. 15. oſtendit, ſigna, quæ à concoctione ſumuntur fidam, ac certam polliceri prædictionẽ: quoniam, vt Hippocrates inquit lib. 1. de morb. vulg. ſect. 2. tex. 47. coctiones iudicij celeritatẽ, futuramq; ſanitatem protendunt. Cuius proloquij rationem oſtendit Galenus. lib. 2. de ratione victus. 44. dicens, Verumtamen quoniam, & talia euincit natura, cocta quidẽ cõſueuit Hip-

pocrates vocare excrementa huiuſmodi, quæ à natura ipſa euicta ſunt, cruda verò quæ nõ ſunt euicta. Hæc ille. Cum ergo in coctione natura morbum vincit, fieri non poteſt, quin poſt coctionem futura ſalus non adueniat. Attentus.n. ſemper duobus his Medicus eſt, velut obluctatoribus nẽpe morbo & naturæ. Ac primũ quidem euadẽdum, vel pereundum homini eſſe, ex robuſtiore dignoſcendo diuinationẽ facit: deinde verò & præfiniti tem poris ex eo, quòd, quãtò alter valentior, intelligat. Neque eſt, quod mireris, ſi vtriuſque robur contẽplatus, inquit Galenus, cap. 18. lib. de cõſt. artis victorem cõpereris futurũ. Videmus enim nõ paucos gymnaſticos, ex primis motionibus, quibus inter ſe luctatores agitantur, qui victoriam adepturus ſit, antefari: ſæpe etiam ante victoriam, ſuccubiturum breui aduerſarium, illiq; mancipium futurum. Id porro agunt, cũ alterũ altero magno quodam diſcrimine robuſtiorẽ cernunt. Itaq; ſanitatem ac mortem non ex alijs meditationibus præſentiet Medicus, quã ex morbi, ac naturæ robore exactè cognoſcendo. Quantum verò alter alterũ ſuperet coctionibus, incoctionibusq; intelligitur. Has ipſas, ex proprijs excrementis, quę quidẽ in aluo ſunt, per infernè ſublabentia, quæ in vaſis, per vrinas: per ſudores verò, quæ toto corpore continentur. Sic & alias omnes, quæcunque in parte quapiam vna, pluribuſve

ribuſve conſiſtunt. Quæ in thorace quidem,ac pulmone per ea,quæ extuſsiuntur: quæ in veſica,vel renibus,per ea,quæ in vrinis deferuntur. Iecoris autem ima, & meſenterium quo modo prædita viribus ſint,ex ijs,quæ per ima deſcendunt,noueris: & per ea,quæ vomũtur,ſuperior venter ac ſtomachus. Quæ per palatum,vel per nares & aures excernuntur, quo modo affectũ robore cerebrum ſit, declarabunt. Enimuerò cõmune in omnibus eſt,non prius diſſolui morbum poſſe, quam aliquod in decedentib. excrementis coctionis iudicium apparuerit: ita, ſiue aures,ſiue oculi, ſiue fauces malè habeant: vel (vt ſemel dicam) coctiones omnes celeritatem iudicationis, ſecuritatem ſalubrem ſignificant. Cruda autem,& incocta, & quæ in malos cõuertuntur abſceſſus, infectas iudicationes,vel labores, vel tempora, vel eorundem recidiuas protendunt. Quæ omnia animaduertens ipſe Gal. cap.3.lib.3. de criſ.in hunc modum ſcriptum reliquit,primum quidem,& maximum inter omnia eſt cõſiderare coctiones ex vrinis,& alui excrementis,& ſputaminibus. Siquidem ego millies cùm,dum criſes fierent,intereſſem,neminẽ vnquam vidi intereuntem, qui præcedentibus coctionibus criſim habuiſſet. Et cap.5. eiuſdem libri inquit. Neque enim, vel animo concipi poteſt, quòd poſt morbi exquiſitam coctionẽ criſis mala ſequatur. Exquiſita verò coctio fit tem

pore ſtatus: & nullum eſt mortis periculum tẽpore ſtatus elapſo, quantum iudicio aſſequi poſſum. Et tamen quidam ſunt, qui putant ſe vidiſſe multos ægrotos in declinationibus perijſſe. Sed, ſi experientiæ, vel rationi credere oportet, noui ipſos alia ratione, quàm morbi, interijſſe. Omnes ſiquidem erroribus interiere, præcipuè quidem ſuis ipſorum: ſed & aliquando medicorum. Sic quidem experientia teſtatur neminẽ vnquam vi morbi in declinationibus perijſſe, ſed adhuc magis ratio. Neq; enim poſſibile eſt, vt, poſtquam cauſæ morboſæ iam coctæ ſunt, ac iam natura ſuperauerit, æger moriatur, modò recta curatio à Medicis adhibeatur. Vbi.n. natura ſuperior euaſit, & debellauit, & reſtitit vehemẽtiori morbi conatui, &, quæ infeſtabãt, expugnauit (hoc enim eſt ipſa coctio) fieri non poteſt, vt deinceps ſuccumbat. Quòd ſi à morbo natura non vincatur, mortem ſubſequi nullo modo contingit: ſiquidẽ nil aliud mors eſt, niſi omnimoda naturę proſtratio. Vbi verò ipſa perdurat, dominatur, ac vincit, hominẽ neceſſe eſt liberari. Hæc igitur cauſa eſt, cur inter ſigna prognoſtica, quæ coctionis ſunt prę cæteris firmiora, ac certiora ſint. Verùm enimuerò pręceptum hoc non eſt tam tutum ac firmum, vt multas exceptiones non patiatur, quibus exceptis, proculdubio conſtans manebit. Prima eſt, vt poſt cõcoctionẽ ſequatur excretio. In mor-

bis

bis enim venoſi generis, vbi expultrix facultas nō cōſtiterit, fieri poterit, vt poſt coctionē non ſequatur excretio. Nā licet maioris ſit virtutis onus aliquod conferre, quàm eijcere, ac morbū concoquere, quā expellere; fieri poterit, vt poſt coctionem natura laceſſita nō poſsit expellere, & inde mors ſequatur. Huc reſpiciens Hippocrates prorrhetico. 24. lib. 2. dixit, & vrinæ coctæ malę: ad quas, ſcilicet, nulla ſequitur excretio. Galenus etiam prognoſtico. 67. lib. 2. agēs de abſceſſibus pectoris, inquit, non ſolùm eſſe neceſſe morbum eſſe concoctum, ſed etiam rectè creationem excerni, ſi in ſanitatem iturus ſit æger, vt latiùs Galenus cap. 8. lib. 3. de dieb. decretorijs explicat. Ijs adde, quòd ſi duo genera morborum coniungantur, vt inflammatio, & & febris, vnum quodque ſuas expoſcit iudicationes, ſeu excretiones, vt Zoilus lib. 2. de morbo. vulga. ſect. 2. qui poſt puris emanationem ſudore opus habuit ad ſalutem, quoniā, ſcilicet, febricitabat. Anaxion quoque lib. 3. de morb. vulg. ſect. 3. præter ſputorum reiectionē, criſim per ſudorem eſt paſſus. Craſtitonax verò, & ancilla pictoris li. 1. de morb. vulg. ſect. 2. com. 84. periere, quoniam licet ſuppuratio fuit cōcocta, cauſæ febrium, quæ intra venas continebantur, erant incoctæ. Quamobrem Hippocrates rectè præcipit in morbis extra venas vrinas inſpicere: ileum enim patiebatur apud Tiſamenū mu-

lier, cuius vrinas inſpiciebat Hippocrates, li. 3. de morb. vulg. ſect. 2. com. 6. & Galenus, inquit, parua igitur ex vrinis, vt ſint bonæ ſalutis ſic habentium eſt ſpes: ſed non paruum, ad exitiũ momentum ſi prauę ſint. Nota eſt autem huius ſen tentiæ cauſa: nam quamuis cocta ſit vrina, poteſt non ſuppurari inflammatio, & abſque ſuppuratione non liberabitur æger. At verò ſi vrina mala fuerit, peſſimum eſt indicium, quòd oſtendit naturalem facultatem minimè conſtare per corpus vniuerſum. Et quemadmodũ ſi poſt coctionem non ſequatur excretio, malum eſt, ita, ſi ante coctionem excretio fiat, damnanda. Quoniam hic eſt ordo naturæ, quẽ Galenus tradit, Aph. 22. lib. 4. & Aph. 22. lib. 1. Primum concoquit, ſecundò ſecernit, tertio expellit. Quando igitur natura expellit, ſignum eſt ipſam viciſſe. Quando verò prius expellit, quã concoquit, arguit redundantiam excrementi, vel vires imbecilles, vel acrimoniam humoris, aut illius malitiam, vel morbi ſęuitiam, vt Galenus ad finem lib. 4. de præſ. ex pul. & aph. 38. lib. 4. & alibi ſæpe aduertit. Hinc eſt, quod lib. 1. de morb. vul. ſect. 2. Galenus ſudores inter initia factos condemnauerit. Et lib. 1. de morb. vulg. ſect. 2. text. 35. & prorrhetico. 6. lib. 2. alui profluuia ſine coctionis notis lædere palàm docuit, dicens. Vbi multa ſit crudorum humorum copia, abſceſſus fiunt: qui parui ſi ſint, nihil conducunt: ſin autẽ

magni

magni, vires ijs non ſunt pares. Nam quod etiã hoc loco vacuationes per effluxum, abſceſſus vocet, ꝓxima oratione clarè ſignificat. Et com. 37. inquit, Qui procedunt morbi à concoctionis difficultate, & copia crudorum humorum, nullum ab excretionibus conſequuntur emolumentum. Dixit enim multum violentas confeſtim opprimere vires: at quæ tales non ſunt, nihil iuuare. Quæ cum etiam duplices ſint, nihil proficient, quæ concoctionem non habent adiunctam. Quia ſcilicet, hi etiã multi relinquuntur, nihil cõmodabit, abſque concoctione quicquam. Denique excretiones, quæ ſine coctionis notis euenire ſolent, nullo anteà coctionis ſigno indicatæ, ſymptomaticæ à Galeno Apho. 22. lib. 4. appellantur. Neque qualiſcunque excretio bona eſt, ſed ea ſolũ, quæ morbo reſpondeat, & conueniat. Competet autem, ſi in ardente febre, vel ſanguis è naribus profluat, lib. 1. de morb. vulg. ſect. 1. tex. 17. vel poſt vehementem rigorem ſudor multus, & calidus per vniuerſum corpus emanet: aut per vomitum, vel per aluũ aliquid bilioſum æger excernat. Cùm enim ardens febris, non fiat, niſi ex flaua intra vaſa putreſcente, vt omnes iam dictæ excretiones, per quas, vel bilioſus ſanguis expurgatur, vel bilioſa excrementa vacuantur, illi conueniant neceſſe eſt. Pari ratione, & febris tertiana per vomitum, & deiectionem bilioſam, & ſudores

bilio-

bilioſos è toto corpore manantes indicari ſolet. Et ſic de alijs erit dicendum. Adde quoq; vt in die iudicatorio talis excretio fiat:& ab aliquo contẽplatorio anteà ſit indicata, vt progn. 22.lib.3.inquit Hippocrates. Neq; temerè adiunxi,quòd ab aliquo indice ea excretio indicetùr: quoniam pernicioſa ſine ſignis leuãtia mortem indicãt,prorrhetico.17.lib.2. de quib. infrà dicetur. Secunda exceptio eſt, niſi continua ſit concoctio, non prænunciabit ſalutem, quia ſignificat virium imbecillitatem,nõ potentium vſq; ad finẽ pugnare aduerſus morbi materiã. Quare mane,& veſperi ſunt vrinæ contemplandæ, vt intelligatur coctionis perſeuerantia. Si verò Galenus lib.1.de diebus decret.& aph.13. & lib.3.de criſ.cap.4. ex notis coctionis in prima die ſtatim iudicat morbum extra quartum diem non ſolui, non perpendens coctionis continuitatem,id fecit, conſiderans inſuper ſpeciẽ morbi,vehementiam,& morem,quibus adiunctis non erat obſcura prædictio. Cæterũ. Si tanta eſt vis coctionis ad ſalutem futurã, & celerẽ iudicationem, cur ſcribit Hipp. lib. 1.de morb. vulg.ſect.3.tex. 24. Metonem ex quadam febre die quinto iudicatum fuiſſe: & inquit Galenus in com. abſque vrinarũ coctione id factũ fuiſſe? Die quinto,inquit, è dextra nare affatim ꝓfluxit ſanguis, ſudauit,iudicatus eſt. Et de quo magis mirandũ eſt, quod die quarta vrinã lethalẽ,

nimirum

nimirum nigram habuerit Melon. Item adoleſcẽs ille, de quo Galenus cap. 13. lib. de præcog. criſim habuit per fluorẽ ſanguinis narium, cùm adhuc morbus crudus eſſet. Anaxion quoque lib. 3. de morb. vulg. vigeſimo ſudauit, febre liberatus eſt, cùm adhuc vrinæ tenues eſſent. Illa quoq; Lariſſę virgo in eodem libro, licet tenues vrinas haberet, ſudore liberata fuit. Sed quid aliũde exempla quærimus, cùm ipſi noſtris temporibus in febribus præſertim puncticularibus, multos viderimus ritè iudicatos: non modò cum cruditatis, ſed & cùm lethalibus ſignis nũc per abſceſſum, aliàs verò excretione, nũc ſãguinis, nunc deiectione leuatos magna vi morbi: poſtea morbi reliquias paulatim concoxiſſe, & ſic ad ſanitatem perueniſſe? Nihil igitur inconuenit, iuuari quoſdam huiuſmodi criſibus: licet id rarò eueniat. Rara autem euentu, neque ſub artis limite, nec diſciplinæ alicuius comprehenduntur. Hinc fit, vt Hippocrates, & Galenus huiuſmodi criſes abominentur, quòd, ſcilicet, plerunq; malum potius & damnum afferant, quam vtilitatem.

De ijs, quæ è pectore excreantur, nimirum ſputis. Cap. III.

COCTIONES, ac cruditates in ſputis, deiectionibus, & vrinis cernũtur, de quibus ſingulatim

gulatim erit dicendum, hinc ſumpto initio. Signa poſt apparentia, vt ait Gal. cap. 5. lib. 1. de criſ. quędam ſunt veluti propria, quædam communia omni morbo: veluti propria vt in morbis venoſi generis, vrina, in morbis ventriculi, & inteſtinorũ, deiectio: in morbis thoracis, ſcreatio. Signa communia omni morbo ſunt, vt conſtare mente, bene cubare, & quæ ex ſomno & alijs dicta ſunt ab Hippocrate in prognoſticis. Saliua ergo excrementum eſt glandularum, quę ſub lingua reperiuntur, Vt Gal. inquit c. 6. lib. 2. de ſemine: quam lingua ſibi aſsimilat, eodem aph. 39. lib. 5. teſte. Cuius duplex eſt vſus. Vnus eſt ad ſapores diſcernendos, cum ipſa ſit guſtus medium: alter verò ad humectandum os, cum fuerit ab ipſa voce, & clamore exiccatum? Hac enim de cauſa glandulæ in multis corporis partibus, vt lingua, faucibus, oculis, vtero, & alijs creatæ fuerunt. In ore igitur eſt ſaliuæ generatio, veluti ſputi in pectore. Hoc autem duplex eſt, vnum in ſanis reperitur, quod excernitur ex pulmone per tuſsim: quo ſemper caruit Antonia Druſi, quæ nunquam expuit, vt Plin. cap. 19. lib. 7. ait. Alterum verò in ægris, quod etiam ex pulmone per tuſsim expellitur: aliquando verò per aluũ, & vrinas, vt lib. 6. de locis affect. cap. 3. inquit Galenus. At hoc nihil aliud eſt, quàm pars humoris peccantis, & morbum efficientis veluti ad finem lib. 2. de diff. febr. declarat Galenus.

lenus. Hinc ex coloribus ſputi cognoſcit Galenus humorem ſuperabūdantem. Spumans quidem cùm expuitur, pituitoſus eſt, pallidus, cum bilioſus, niger, cùm melācholicus, ſicut & ruber cum ſanguis eò defluens purus fuerit. lib.6. de morb.vulg.ſect.3.com.52. apho.33.lib.6.cap.2. lib.5.de locis affectis. Duplex autem eſt ægrotātium ſputum, vnum bonum, alterum, non bonum. Quod bonum eſt tale eſt, quale eſt hominum integra valetudine agētium. Sputum enim cum fuerit exquiſitè ſimile illi, quod euenit ſanis, integram ſanitatem inſtrumētorum, quibus vis ſpirandi eſt demandata, ſignificat.cap.7.li.1. de criſ. Hoc ergo vt ait Galen.aph.12.lib.1.tum perfectæ coctionis ſignum erit, quando album fuerit, & læue, & æquale, & conſiſtentia neque nimis humidum, neque nimis craſſum. Quòd mediocriter craſſum ſit, indicat eſſe probè coctum: quæ enim cocta ſunt, craſsiora euadunt, vt Ariſtoteles lib.4.meteo.cap.1.tradidit, & Galenus lib.4.de ratione victus 4.& lib.7.methodi cap.6. Album etiam debet eſſe, quia natura à putrefacientibus cauſis prohibita non potuit aſsimilationem, quam moliebatur, vt in cibo perfectam aſſequi: aſſecuta eſt tamen qualemcunq;, vt coloris fiat ſimilitudo, quando ſubſtantiæ aſſimilari non potuit. Hinc eſt, quod colorem album, qualis eſt ſolidarum partium accipiat pus, ſedimentum vrinæ, & ſputum, quod illis reſpondet.

det.lib.1.de criſ.cap.18.lib.4.de ratione victus. 68.& 78.aph.47.lib.2.& lib.5.de ſimp.9.Debet inſuper ſputum eſſe æquale, ac læue, vt de vrinæ ſedimẽto, & pure inquit Hippocrates. Aequale dixit, ideſt, ſibi ſimile, vt lib.1.de diff.feb.cap.6. declarat Galenus, quoniam omnes eius partes vult eundem colorem, odorem, & cõſiſtentiam obſeruare. Læue etiam, quod tactu læuorem repręſentat, vt Galenus prog.21.lib.2.explicat. Si ergo ſputũ circa initia ſtatim appareat, morbum abbreuiat: ſi verò poſtea appareat, producit. Circa initia, inquit aph.12.lib.1.id eſt, primis tribus diebus, ſtatim, id eſt, copioſe, vt ipſe Galenus cap.7.lib.1. de criſ. & lib.1.de ratione victus.32.& lib.1.de morb.vulg.ſect.3. com.10. interpretatur. Et hoc eſt, quod prognoſtico.43. lib.2.dixit Hippocrates in hunc modum. Screatio in omni dolore, qui affligat circa pulmonẽ, & coſtas, citò, promptèque ſcreetur, neceſſe eſt. Vbi verbum, citò, ſignificat inter initia ægrotationis: prompte verò pro eo, quod eſt facilè ac propenſe dictum. Cùm enim ita redditur ſputũ aliquantulum iam concoctum eſt, ideo craſsius, & facilius expuitur: quod enim planè tenue eſt, & incoctum in parte figitur, & non expellitur. Tuſsiet igitur ſtatim homo, non tamen omnino ſtatim ſpuet: ſed ſiquidem multum, ac craſſum ab inflammatione defluxerit, cum tuſsi expuet, ſi vero paucum & tenue, irritabitur quidem ne-

ceſſariò,

ceſſariò, ita vt tuſsis moueatur: non tamen expuet, anteaquam collectum ſimul, atque concoctum ad multitudinem, craſsitudinemq́ue peruenerit, vt Galenus docet cap. 10. lib. 2. de criſ. & cap. 9. lib. 4. de locis affectis: & cap. 24. lib. 1. de ſimp. In morbo ergo laterali principium eſt, quando nihil expuitur, aut humidum, aut crudum: augmentum, cum paucum, & coctum: ſtatus, quando copiosè citò, & prompte: & declinatio, cum æque coctũ, in minori tamen copia & ſine dolore. Et huius exemplo diſce reliqua. Porrò ſputum nõ bonum multiplex eſt, ſpumoſum, ſcilicet & flauũ, & rufum, & rubrum, & pallidum, & nigrum. Quæ genera ſputorum, non ſputa propriè, ſed ſputamina, & expuitiones appellantur, lib. 1. de criſ. cap. 5. Si autem prauum educitur ſputamen, periculum imminere ſignificat. Si autem malignũ fuerit, mortem minatur. Sputum verò ſubflauum, ſubrufum, leniter ſpumans, & tenue, ſolam cruditatem, malum verò inſigne nullum denunciat. At ſyncere flauum, rufum, ſpumoſum, pallidum viſcidum, rotundũ periculum protendit. Omnium autem pernicioſiſsimũ eſt nigrum. cap. 10. lib. 2. de criſ. Omnis enim humor purus, excepto ſanguine, vitiũ quoddam ſubeſſe teſtatur, quippe qui ab inflammato calore ducat originem. prog. 47. lib. 2. Vnde morbus lateralis, in quo ſputum cruentum eijcitur mitiſsimus eſt, in quo ſanguinem non

mittit

mittit Galenus libro 6. de morbis vulga. ſect. 3. com. 44. & lib. 3. de hum. commen. 32. Quod ſi Galenus prognoſt. 51. lib. 2. ſputum rubrum periculũ præſagire dicat, intellexit de rubro alijs coloribus admiſto, non verò de ſyncerè rubro, vt dictum eſt. Quòd autem Hippocrates prognoſt. 47. lib. 2. tradidit ſputũ viride admodum, & ſpumans, malum eſſe, ſpumãs enim valde ſyncere non ſolum malum eſt, ſed cæteris deterius, cùm in gutture ebullit, quo moribũdi etiã conſtante adhuc mente raucum murmur edunt, ac ſonitum reciprocantem, cum quo nemo è morte euadit: hũc ſonitum oremon vocant Græci: Luſitani Cirrado. Hiſpani dicunt cum hunc ſonitum audiunt, ya tiene el pecho leuantado, y el gorgollo. Cum enim vocalem arteriam occludi contingat, ſpiritus, qui confertim erumpere geſtit, nactus anguſtum meatum, collapſamque fiſtulam, gargariſmo quodam prodit, ac raucum per leuia murmur efficit, ſcatebriſq; arentes deſerit artus. Conglomeratus itaque ſpiritus, ſpumaque turgida commiſtus, ſonitum excitat, reciprocãti maris ęſtui aſsimilem. Neq; temere ſupra adiunxi, valde ſpumanti, quoniam ſpumãs ſimpliciter ſolam pituitæ abundantiam ſignificat. lib. de conſtitu. artis medicæ cap. 17. & cap. 10. lib. 2. de criſ. Ergo ſputum non bonum, eſt crudum, aut periculoſum, aut lethale. Crudum ſubflauum, ſubruffum, leniter ſpumans, &

tenue. Lethale nigrum, viride admodum, liuidum, ſpumãs, valde fętidum. Periculoſum, pallidum eſt. Refert enim Galenus lib.3.de morb. vulg.ſect.1.com.4. duos cognouiſſe cũ ſputo pallido ſanos, quorum alter tabidus euaſit: alter verò ſanus. Sed ipſe ſenior narrat cap.7. lib. 4. de locis, complures ſanos vidiſſe cũ hoc ſputo, & omnes contabuiſſe. Sputum etiam album, glutinoſum, & rotundum periculoſum eſt, & tale interficit lib.6.de morb. vulg. ſect. 3. com. 36. & prog.46.li.2.Poſteà vero lib.4. de locis affectis. cap.8.inquit, omnes hoc ſputo citò perijſſe.Sputum etiam flauum periculoſum eſt, prog.46.lib. 2.Cur ergo prog.44. laudat ſputum admodum cum flauitie commiſtum? Et lib.1.de criſ.cap.5. legit Galenus integram ſententiam, dicẽs, Sputum oportet in omnibus doloribus, qui ſunt circa pulmonẽ ac latera, celeriter expui ac facile, commiſtumq; videri vehementer flauum ſputo. Quoniam huius generis ſputa perfectã coctionem ſignificant: aliàs vehementer flauum portendit periculum, vt cap.6. lib. de totius morbi temp. inquit Galenus: & reliqua, quæ ſupra cõmemorauimus.

De deiectionibus. *Cap. IIII.*

EX ALVI quoque excrementis plurimùm ad dignotionem iuuamur affectuum earum

partium, quæ ſub ſepto ſtatim ſunt poſitæ, hoc eſt, ventriculi, inteſtinorum, lactium, fellis, veſicæ, & ſimarum partium iocinoris: quòd hæ partes per eam viam ſua excrementa expurgare ſoleant. Nunc vero neque de affectuum cognitione, neq; eorum eſſentia agimus, ſed de prædicẽdi arte: quæ hinc quoq; coniecturam facit earũ partium, quas diximus. In ijs itidẽ optimũ ſtatuimus, quod & coctum dicimus, & crudum, & prauum. Optimũ depingit Hippo. prog. 13. lib. 2. dicẽs. Deiectio optima eſt, ſi mollis conſtãsq; eſt, & ea tẽpore ſecreta: quo ſecunda valetudine aſſueuit: ſi copia ex ratione ingeſti cibi eſt. Si enim talis èxcernitur, inferior venter benè valet. Egeſtio itaque optima, vt etiam declarat Galenus cap. 11. lib. 1. de criſ. tribus iudicatur, nempe concretione, ſiue conſiſtentia, modo, & tempore, quo reddi ſolet. Conſiſtentiam, ſecundum naturam habent, quæ nec prorſus duræ, vt lapides, nec admodũ liquidæ, vt diffluere poſſint, ſed eatenus molles ſunt, vt compactę permaneant. Eſto autem earum modus ijs, quę aſſumpta ſunt, cõueniens, ac tẽpus etiã, quo ęger excernere conſueuit. Adſint quoque & color, & odor, quibus ſecundum naturam eſſe ſolet. Miratur tamẽ Galenus cur Hippocrates has duas poſtremas notas in prædicto prognoſtico non ſcripſerit: quas cum poſteà prog. 17. addiderit, addens, vt etiã præter illa, deiectio ſit ſubruffa,

nec

nec grauè olens videtur damnare Hippocratem quod debitum ordinem non ſeruauerit, cū omnes notæ bonæ deiectionis eſſent ſimul adiungendæ. Licèt idem Galenus lib. 1. de criſ. aliter Hippocratem interpretetur: quoniam per tria priora ſignificauit ventriculum, & inteſtina bene ſe habere, per reliqua duo, etiam cætera naturalia viſcera. Sit ergo deiectio ſubſtātia mollis. Celſus lib. 2. cap. 3. mollis, ſed figurata, inquit. Si tamen comparetur deiectio hominis ad reliqua animalia, humida eſt, quoniā humidiſſimis rebus vtitur, & ipſe plurima humiditate abundat, Ariſt. ſect. 10. Quæſt. 60. authore. Vnde optimè Celſus dixit lib. 1. cap. 2. ſi qua intemperantia ſubeſt in cibatione, deterior eſt in potione, quàm in cibo. Cæterū Hippocrates in ſuis notis non addidit, læue, vt fecit in vrina, & pure, quia per illud verbum, cōſtans, intelligitur. Si vero excretionis ſeruetur tempus, quod fuerat in ſano corpore, ex eo liquet neq; coctionis tarditatem adeſſe, neq; vllum potentiæ, vel retinentis, vel expellentis errorē. Nam ſi tardiùs, quàm oporteat, excernatur, coctionis, aut motus, qui per inteſtina defertur tarditas oſtenditur: ſi autem citius potentiæ retinentis debilitas. Neq; enim id euenit propter robur alteratricis, cū fieri non poſsit, vt, qui ægrotat, acutè præſertim, ventrem habeat robuſtiorem, quàm ſanitatis tēpore, cum benè cum eo agatur, ſi nō

multò ſit imbecillior. Verum expulſio, quæ cõſuetum præuenit tempus, inquit Gal. ca. 2. li. 3. de ſympt. cauſ. vel de grauato ventre, veluti à multo aſſumpto: vel demorſo, & cõpunćto, veluti à mordacibus: vel tanquam alienum ac minime familiare à moliente, incidit. Non oblitis ſcilicet, nobis cum multum aſſumptũ dicimus, triplicem id habere generationem, vel propterea quòd virtus imbecillior ſit, quàm priùs, vel quòd ſupra mediocritatẽ ſit, quod aſſumptum eſt, vel vtriuſque occaſione. Extra verò iam dićta celerẽ efficit deiećtionem, humidorũ quoque ac magis glutinoſorum ciborum ſumptio, vtpotè promptius delabentium: maximè ſi qui eos ſumpſerunt, poſteà lentè, inambulẽt, ita vt ij quidem concutiantur, nequaquam autẽ ante tẽpus digerantur. Seriùs autem quã ex conſuetudine excernit imus venter, vel propter inteſtinorum imbecillitatem, vel habentẽ eorum ſenſum, vel ob ciborum paucitatem qualitatemve. Quippe, quæ imbecilla ſunt, propellere non valent. At minor fit, quã pro multitudinis ratione comeſtorũ deiećtio, cũ ex ijs in corpus plus eſt digeſtum. Cõtra pluſquã proſumptorũ portione deijcitur, aliàs ob digeſtionis defećtum, aliàs confluentibus ſupernè aliquibus in ea, quę circa ventrem ſunt, loca. Aſsiduè autem excretiones fiunt, vel propter imbecillitatem, vel demorſum. Cęterum naturalem deiećtionem ſub-

ruffam eſſe, ſuſcipientem de iecore bilem decumbẽtem in ventrem, modicam quidem qualitate, paucam verò quantitate, clarũ eſt, & omnibus Medicis cõſpectum. Si enim ſyncera, aut multa decumbit bilis, ruffam reddit, aut flauã deiectionem. Si verò nullo modo permeat, ad inteſtinum, vt in arquatis, cãdida deiectio erit. Horum ergo primum ſi circa initia, biliosiorẽ morbum oſtendit: ſi verò declinationis tẽpore, corpus integrè expurgari, ſignificat. Deniq; deiectio ſit non admodum graueolens, quia aliàs maximã corruptelã ſignificaret. Huiuſmodi autem digeſtionis optimę ſigna magis explicabuntur, ſi aliquot obiectionibus, & dubijs fuerint oppugnata: quod vbi fecerimus, ad deiectiones præter naturam ſermonem conuertemus. Primum ergo eſt cum excrementa alui ſolum ſignificent ventris inferioris, & ventriculi concoctionem, vel cruditatẽ. Cùm, ijſdem excrementis, quàm ſępe febres & alij morbi acuti iudicentur, & arte noſtra ſanentur, vt quotidie experimur. Niſi eſſet, quòd deiectio optima ſignificat tres ventris virtutes vigere, alteratricem, retentricem, & expultricem, & quando talis fuerit, robur maximum in ea parte ineſſe ſignificabit: & nihil in eam decumbere ex viſceribus circum iacentibus. Quæ verò habet pręternaturam, ſignificat ventrem interdum ſolum eſſe affectum, ſæpe verò decumbẽtis aliun-

de materiæ in eum, indicia habet. Atque hæc multiplicia ſunt, eo quòd iecur non ſolum ſua ipſius excrementa ichoraſque & humores præter naturam demittit in ventrem, ſed etiam corporis totius: quandoquidem venter per id omnibus corporis partibus copulatur, ac per illud recipit excrementa earum: quæ quandoque decumbunt purgantia omne corpus, aut partem vnam, aut duas, aut plures pariter: ſępe verò accidentia ſint indicantia affectionem, aut corporis totius, aut partis alicuius, aut aliquarum. Quod reſpiciens Hippocrates prog. 16. lib. 2. dixit corpulẽtam reddi deiectionem, morbo eunte in iudicationem oportet. Quibus verbis cõmendat Hippocrates deiectionum craſsitiem, vbi humiditas, ac tenuitas priùs fuit à principio illius ſymptoma: ſiquidem reductio ad mediocritatem ſanatio eſt. Si ergo aquoſa, & tenuis ab initio fuerit deiectio, & poſteà reddatur corpulenta, id eſt, craſsior, (quia coctionẽ ſignificat) iam morbus tendit in iudicationem, & finitur. Etenim aluus in quouis morbo profluens ſine quidem coctionis ſignis, quæ ſæpius audiuiſti, inquit Galenus prorrhetico. 58. li. 2. nihil iuuat. Si verò implacidius operata fuerit, præter id, quod nihil iuuat, noxam etiam attulit: cum his vero iuuat, magiſq;, ſi contriſtãs humor vacuetur: atque adhuc magis, ſi æger poſt vacuationem placidior ſit, certiuſque cum in die iudicatorio

torio apparuerit quippiam, quod per indicem ſignificatum fuerit. Ac lumbricos quoq; tereteseunte iudicationem morbo deſcēdere vna cum deiectione idoneū eſt, vt Hippo. prog. 18. lib. 2. ſcripſit. Quem locum Paulus lib. 4. ca. 57. ſic declarat. Sed per febrium initia orti, ſubſtantiam ex ſubiecta corruptione retinent: in ſtatu, ex malitia morbi: in declinatione, toto ad melius mutato. Etenim Hippocrates memoriæ mā dauit bonum eſſe indicium teretes lumbricos prodire cum morbus ad iudicationem tendit, qui ſubitò etiam intereunt. Aetius quoque tetrab. 3. ſer. 1. cap. 39. ſic etiam tradidit, Circa initia enim morborum generati, ſubſtantiam ſuā ex ſubiacente corruptione capiunt: circa vigorem verò ex malitia morbi: circa declinationē autem ex permutatione omniū in melius, qui ſanè citius ſeparantur: natura enim ipſos, reliquorum excrementorum inſtar, foras propellit. Cenſentur autem peiores ex ipſis, maiores minoribus, paucis multi, & albis rubri, viuentes etiā mortuis deteriores. Hæc ille. In ijs verbis Aetij relatis ſolum id interpretatione indiget, quo pacto verū ſit viuentes lumbricos eſſe mortuis deteriores, cū præter id, quòd Auicennæ repugnet, maiorem corruptelam videantur indicare mortui, quàm viui, ideoque periculoſiores. Niſi eſſet, quòd viui ſunt deteriores ſicut ſignum, licet ſecuriores, ſicuti cauſa, euadant.

Vbi aduertendum eſt ex Galeno lib. 1. de criſ. ca. 11. quòd ſignificatio ſigni ad facultatem eſt referenda, veluti ſignificatio cauſæ ad humorẽ. Loquens.n. illic Gale. de retento excremento, ſubiunxit, non eſt autẽ hoc neq; ſicuti ſignum, neq; ſicuti cauſa, bonũ. Sicuti ſignũ quidẽ, quoniã vim expultricẽ nominatam, ac propulſoriã debilẽ eſſe ſignificat: ſicuti cauſa autem, qm̃ ibi quędã ſupfluitates intus remanent, quas potius emitti oportebat. Quapropter ſignificationes ſigni, & cauſæ poſſunt variari, nec ſemp bonũ, aut malũ portendere, ſiquidẽ datur in ęgritudinib⁹.

Bonum, vt cauſa, & vt ſignum,
Bonum, vt cauſa, & non vt ſignum.
Bonum, vt ſignum, & non vt cauſa.
Malum, vt cauſa, & vt ſignum,
Malum, vt cauſa, & non vt ſignum
Malum, vt ſignum, & non vt cauſa.

Quæ omnia in præſagiẽdo maximè ſunt cõſideranda, & ſignificatio ſigni ſemper anteponenda eſt. De bono, vt cauſa, & vt ſignum, locutus eſt Hippocr. in 2. parte aph. 25. lib. 5. quando dixit, eryſipelas ab interiorib. ad exteriora verti eſſe bonũ. Vbi Gal. aduertit, non ſolum eryſipelas, ſed aliud quodcunq; quod ex profundis, & principalioribus partibus transfertur ad cutem bonum eſſe ſignũ, ac cauſam, debemus exiſtimare. Si verò cõtra ad interiora & profunda tranſmutetur, malũ eſſe, & ſignum & cauſam dicimus,

vt in prima parte aphoriſmi indicauit Hippocrates. Vigilia etiam admodum excedens mala eſt, & ſignũ & cauſa, vt aph.3.lib.2.inquit Galenus. Plurimum etiam partes ad vmbilicum & imum ventrenſitas extenuari & contabeſcere, malum eſt, & tanquam cauſa, vt idem aph.35. eiuſdem ſect. docet. Hippocrates quoque aph.17. lib.6. inquit, lippientem alui profluuio corripi bonũ. Et Galenus in com. inquit, Hoc non dicitur ab eo tãquam bonum lippientium ſignum, ſed tanquam cauſa: quia humorum abundantia ſimul euacuatur, atque ad inferiora retrahitur. Neq; illud tacendum eſt, apud eundem Galenum aliquando cauſam, & ſignum, ad humorem morbificum referri, vt conſtat prognoſt.49. lib.2. vbi ſic ait. Porro alia ab his eſſe indicia vtroq; modo praua, tum quia ſigna, tum etiam quia cauſæ ſunt. Signa quidem, quoties ex difficilioribus fiant affectionibus: cauſæ verò, quoties ipſa rurſus alias committãt prauas affectiones: quibus nihil ad facultatem referri poteſt. Cæterum incoctum excremẽtum eſt tenue & album, & aſperum, & humoris expers, & comeſtorum ſeruat qualitatẽ. Tenuis enim & aquoſa deiectio, cruditatis indicium eſt prog.20.lib.2.& lib.4. de ratione victus com.4. Quæ ſi ſub finẽ morbi contigerit & multa, lethalis eſt, vt Hermocrati euenit lib.3. de morb.vulg.ſect.1.tex.12. Aliàs efficit, quæ cętera cruda, & inconcocta excrementa

faciunt,

faciunt, vt lib. 1. de morb. vulg. ſect. 2. tex. 46. nullum ſcilicet iudicium, aut prauum, aut dolores, aut diuturnitatem, aut mortem, aut recidiuas. Tertium prẹter hæc eſt excrementorum genus, quod non ex ciborum fit diſpoſitione, ſed ex confluentibus, ad ventrem ex toto corpore ſuperfluitatibus quod aliquid poteſt indicare, veluti id quod paulò antea purum rufum dicebamus. Sed hoc quidem, quando rufæ, amaræq́; bilis humor impermiſtus & multus ad ventrem fluxerit, exiſtit. Quod ſi itaque circa initia rufa vehementer fuerit, bilioſiorem morbum indicat. Sin in declinatione talis excernatur, corpus probè expurgari ſignificat. Viridis egeſtio, æruginoſæ bilis nota eſt, & caloris innati ſignificat extinctionem, ſeu vehementis conſumptionis indicium, veluti Galenus prog. 21. lib. 2. docet. Nigra deiectio ab atra bile ſyncera tingitur, veluti à cauſa materiali, prognoſtico. 22. lib. 2. Et lib. 1. de criſibus cap. 11. dixit eſſe indicium atræ bilis, vel ſanguinis cuiuſpiam in eo loco perufti. Quibus verbis cauſam efficientem deiectionis nigræ explicuit. Docuit etiam duplicem eſſe deiectionem nigram: vnam, quæ fit à melancholia naturali, quæ eſt veluti fæx ſanguinis: alteram, quæ fit ab atra bile. Vtriuſque naturam declarat Galenus lib. 2. de nat. facult. c. 9. in hunc modum, dicens, Rurſus nigra longè malignior ea quoque quam quæ naturalis eſt, red-

ditur.

ditur. Nomen tamen tali ſucco nullum eſt indi tum: niſi quòd aliqui, vel radentem eum, vel acidum appellarunt, quoniam, ſcilicet, acris in morem aceti fit,& corpus animalis radit,etiam terram,ſi ſupra eã ſit effuſus, quandamque cum bullis veluti fermentationem,ebullitionemque excitat,vbi ſcilicet, adſcititia putredo nigro ibi ſucco naturaliter ſe habenti acceſsit. Mihique videtur veterum Medicorum plerique id,quod è tali ſucco naturaliter ſe habet, quod & infra deijcitur, & ſæpe ſupra fluitat,atrum vocare ſuc cum, non atram bilem. Quod verò exuſtione quapiam ac putreſcẽtia in acidã migrauit qualitatem, id atram nuncupare bilem. Hæc ille. Quibus docuit diuerſum eſſe humorem melancholicum ab atra bile. Vtraque tamen deiectio peſsima eſt, quæ ab humore fit melancholico, ita ab Hippocrate aph. 21. lib. 4. docetur, Deiectiones nigræ ſanguini atro ſimiles & ſponte procedentes, ſiue cum febre, ſiue ſine febre malæ: quòd, ſcilicet, nũquam non à cauſa mala vel frigida vel calida proficiſcantur. Quippe calor ſanguinem in iecore adurit. Frigus verò calorẽ natiuum extinguit, idque fit, vt ſubindè ſanguis nigreſcat. Quæ autem ab atra bile, ita apho. 22. eiuſdem ſectionis ab Hippocrate declaratur. Quibuſlibet morbis incipientibus, ſi atra bilis, vel ſupernè, vel infernè exierit, lethalis eſt. Generatur enim atra bilis nõ niſi ex humore melancho-

lancholico putrefacto, aut à flaua bile immodicè exuſta. Quapropter ſi deorſum per inteſtina feratur, abradit ea, & exedit, dyſenteriasque lethales efficit. Hinc eſt, quod aph. 24. eiuſdem libri dicat, difficultas inteſtinorum ſi ab atra bile inceperit, lethalis eſt. Si verò ſurſum impetũ fecerit, radit & exulcerat vẽtriculum ac gulam, & in cõſenſum cerebrum, aliasque corporis partes rapit. De vtroque autem humore loquens Galenus cap. 3. lib. de atra bile, dixit. Ego verò, cum ab adoleſcentulo apud Pelopem preceptorem notas vtriuſque humoris didiciſſem, tum eas per totam vitam meam ad id vſque temporis obſeruaſſem, ſemper exacte bilis atræ humorem lethaliter excerni, nigrorũ autem euacuationem non infrequenter bonis auſpicijs fieri, cõſpexi: dubitat tamen Galenus, qui fieri poſſit, vt quod noxium eſt egeratur, & lethale ſit, cum potiùs ſaluberrimum eſſe deberet. Et reſpondet aph. 22. lib. 4. quòd quando aliquis incipit morbus, ſi quid excernitur, nihil tunc excernitur nature ratione, ſed ſunt omnia ſymptomata earum, quæ præter naturã ſunt in corpore diſpoſitionum. Quo enim in tempore à cauſis morbum facientibus natura grauatur, & adeſt cruditas humorum, tunc aliquid vtiliter euacuari eſt impoſsibile: ſiquidem oportet coctionem præire, ſubſequi verò diſcretionem, & poſtea euacuationẽ, vt bona ſit criſis, ſiue iudiciũ.

Quan-

Quando igitur poſt morbi coctionem aliquis humor vitioſus excernitur, tunc corpus à natura expurgatur. Et propter hoc atra bilis, & alius humor omnis huiuſcemodi, vbi ſigna coctionis in morbi proceſſu apparuerint, bonam ſignificat euacuationem. Si verò aliter excernantur ſine ſignis coctionis, exitialis eſt caſus. Quare cum in morbi principio ſemper ſint ſigna cruditatis, mala erit humorum talium euacuatio. Excretiones itaq; prædictæ, & ſi per ſe prauæ ſunt, tamen vbi à concoctione apparuerint, bonę eſſe ſolent, ſi præterea cum ægri tolerantia, excernantur, vt Hippocrates aph. 47. li. 4. docet. Hinc aph. 21. lib. 4. eiuſdem libri dixit Galenus, Plurimas verò huiuſcemodi deiectiones in peſtilenti hoc morbo longo conſpeximus, quæ non magis in ijs, qui exitio proximi erant, quàm in ſaluandis apparebant, non tamen vel in principio, vel incremento morborũ conſpiciebantur. Noxium ergo quando in principio excernitur bonum eſt, vt cauſa, malũ autem vt ſignũ, quoniam oſtẽdit naturalis facultatis imbecillitatẽ, cuius robur indicatur poſt coctionẽ, excretione. Quare ab initio quidem nunquam ad bonũ fiunt huiuſmodi deiectiones, vtpote magnam viſceris læſionem oſtendentes: ad morbos verò conſiſtentes ſequuntur ſæpius, natura ſuperfluitates expurgãte. Aſſumpto tamẽ medicamẽto, quod vim habeat purgandi nigra, talia deijci nihil

nihil mirum, vt Galenus apho.21. lib.4.aduertit. Si verò liuida fuerit deiectio internarũ partium validum frigus, ac veluti mortificationem monſtrat, vt lib.1. de criſ.cap.11.indicat Galenus. Hæc vbi modica modicè permiſcetur ab atra bile, prog.22. lib.2. Quare minus mala eſt hæc deiectio, quàm nigra. Pinguis verò, vbi nihil pingue fuerit aſſumptũ, colliquatæ pinguedinis, ab igneo calore, & conſumptionis totius corporis indiciũ eſt. Sed ne in pingui deiectione error contingat, aduertendum eſt aliquot ſimilia excrementa à ventre excerni, veluti pus, humor crudus, inteſtinorum adeps, pingue aſſumptum, à quibus deiectiones morboſæ pingues differunt. Primum, quia paulatim expelluntur: quemadmodum per vrinam aphor.35. libro 7. Deinde, quod pingues deiectiones aliquid fœtent, quod in cæteris non reperitur excrementis, niſi putreant. Huius itaq; deiectionis pinguis duæ ſunt differentiæ. Vna eſt iam dicta, quæ progn.21. lib.2.& cap.11.lib.1.de criſ. deſcripta eſt. Hæc mala eſt, ſed non lethalis, alba, & fętore non manifeſto. Altera eſt colliquatio lethalis, crocea, fętore maximo prędita, quã habuiſſe Parium quendam in Thaſo refert Hippocrates lib.3. de morb. vulgarib. ſec.3.tex.72. ideoque obijt. Et de hac prognoſt.22.loquitur Hippocrates. Viſcida, & glutinoſa, niſi & hæc ex cibi natura talis ſit, colliquationis indicium

eſt.

eſt. Sed quæ quidem pinguis eſt, ex adipe fit liquato: quæ vero viſcida, ex ipſis ſolidis animãtis partibus contabeſcẽtibus, adeoq; priori deterior exiſtit. Nimis fœtida haud exiguã putrefactionem denunciat: modo illi ex cibo aſſumpto non accidat. Quippe in iam dictis omnibus egeſtionibus attendendum, num vel cibi talis naturæ, & qualitatis eas inficiẽtes fuerint: vel inteſtina ob innatam ſibi imbecillitatem defluxione laborare cõſueuerint. Stridens egeſtio (quæ ſic à ſono, ſeu crepitu, qui inter egerẽdum excitatur dicta eſt) flatuoſi ſpiritus in eo, quod egeſtum eſt copiam cum tenui aliqua humiditate, inſtrumenta verò in vnum coacta, & quodammodo compreſſa, atque in anguſtiam redacta oſtendit. Hinc eſt, quod Hippocrates prog. 24. lib. 2. dicat. Optimum eſt flatum abſque ſono & crepitu exire. Sed eum tamen præſtat cum ſono prodire, quàm ibi reuolui. Et ſic quidem prodiens hominem, vel dolore affligi, vel delirare arguit, niſi ipſe fortaſsis de induſtria crepitum emittat. Siquidem doloris magnitudine adiguntur, vt ad ea, quæ faciunt non aduertant. Cæterum ſi flatus nec minimũ abundat, & vaſa, per quæ defertur admodum ampla ſunt, in ijs ſine crepitu egreditur. Neque enim abſolutum frigus, neque vehemens calor flatus generare poteſt. Hic enim vincens ea, quæ complectitur, cibum extenuat, minimèq; ad flatuũ procrea-

tionem

tionem idoneos efficit, illud verò neque extenuat, neque conficit, neque diſſoluit cibum. Calor autem parum validus, vt cibos quodammodo diſſoluit, ita non exquiſitè conficit, quare ſubinde flatus neceſſario exoritur. Quod in externis etiam rebus videmus. Frigidiſsima enim cõſtitutio, ac calidiſsima, aerem purum & ſerenum efficiunt, media verò nebulas parit, vt copioſius Galenus lib.3.de ſymp.cau.c.2.oſtẽdit: & aph.11.lib.4. & aph.72. lib.5. flatus itaque ſi ſine ſonitu excernatur, optimus eſt, quoniã ſignificat facultatem expultricem robuſtam eſſe, quæ ad ignobiles partes detruſit quod expellendum erat, & coctricem non valde debilem, quę multum extenuauit. Si verò cum ſonitu excernatur, maior imbecillitas concoctricis ſignificatur: melius verò eſt, quoties erumpit cum ſonitu, quàm ſi condatur ac reuoluatur. Si autem cauſa flatus eſt robur expellendi, præſtat maior ſonus, & ſi cauſa eſt flatus, craſsitices, deterior eſt. Qui autem inuoluntariè excernitur peſsimus eſt: nonnulli enim flatum cum ſonitu, deuorato pudore, excernunt. Alij verò diligerent prius mori, quàm aliquid tale committere. Hos igitur quoties audiẽtibus multis demittunt flatum, ſcire oportet è duobus alterum, aut nõ ſatis intelligere, quæ gerant: aut propter vehementiam doloris agere aliquid cõtra arbitriũ, & voluntatem. In alijs verò, qui præſentes par-

uipen-

uipendant, nullum malũ ſignificare flatum cũ ſonitu cenſendum eſt. Spumoſa deiectio fit, vbi aliquid, quod feruet, vel flatuoſus ſpiritus cum humiditate pugnat. Id quod manifeſtum fit ex ijs, quæ elixantur, & ex mari quod à vento violenter agitatur. Nam in hoc vehemens ventorum flatus, aquã in multas tenues partes illam concutiendo atterit: in illis nimius calor ſpumã excitat. Galenus prog.20.lib.2.poſuit aliud exemplum, in lebete ex polentis præ copia caloris, vbi legendum eſt, in lebetibus ebullientibus, aliàs, quid Galenus velit dicere, prorſus ignorabis. Cæterum ſpumoſæ deiectiones deteriores sũt, ſi ſequãtur ad alias leuiores, veluti omne malum ſymptoma deterius ſi leuiori ſuccedat: indicat enim morbum adhuc futurum grauiorem. Quod autem Galenus ſcripſit prorrhetico.1.lib.3. nunquam vidiſſe ſpumãtem deiectionem ſine febre exacerbata, nõ aduerſatur eidem Galeno prorrhetico.21.lib.1. dicẽti, talem deiectionem oſtẽdere bilis feruorem, quia non neceſſariò febris in poſterum acrior eſt futura, licet in tempore ſpumanti deiectioni ſemper iungatur febris acris. Quòd autem ſpuma, tum propter frigiditatem, tum propter caliditatem fiat, indicium faciunt tum venti in aquis ipſis ſpumã concitantes, tum efferueſcens ea, quæ in lebete eſt caliditas, cuius etiã cauſas aph.43. lib.2.& aph.30.lib.7.& prog.47.lib.2.inuenies.

Varia egeſtio, corpus varijs ac multiplicibus affectibus obnoxium eſſe, & ijſdem quidem diuturnis & malignis ſignificat. Quare temporis ſpacium ad concoctionem requirunt, vt fuſiùs c. 11. lib. 1. de criſ. & prog. 23. lib. 2. declarat Galenus. Quòd ſi Hippocrates aph. 14. lib. 2. dixit. In profluuijs alui mutationes excrementorum iuuant: intellexit de coloribus bonis & non de prauis, & ideo ſtatim ſubiunxit, niſi ad mala mutatio fiat. Et aph. 21. lib. 4. iterũ repetit, & quanto colores praui fuerint, deterius. Quare ſi mutatio fiat aut in colorem nigrum, aut liuidum, aut colliquationis, & putredinis ſigna adſint, tunc enim exitium potius, quàm ſalutem ſignificabunt. Aſſumpto etiã medicamento quod vim habet purgandi nigra, talia deijci nihil mirum. Sic igitur multi deiectionum colores pręter naturam, ſponte quidem euacuati, multarum atq; malarum in corpore diſpoſitionum ſunt ſigna: à medicamẽto autem ducti vim habente plures humorum ſpecies euacuare, nihil abſurdum ſignificant, veluti Galenus aph. 21. lib. 2 mõſtrauit. Sed de deiectionibus ſatis.

De vrinis, Quid vrina, & eius vſus. Cap. V.

VRINA, vt ait Galenus lib. 3. de morb. vulg. ſect. 1. com. 6. & lib. 1. de natu. facul. cap. 15. non eſt niſi ſanguinis excrementum in caua vena con-

na contentum, & à renibus attractum, atq; hinc per vrinarios meatus delatum. Vel breuius, Vrina eſt ſanguinis colatura, ſiue ſeroſior eius pars à renibus attracta. Eſſe autem vrinam, ſanguinis totius excrementum, & non renum, oſtendunt aliquot vini congij à quibuſdam poti, & emicti, vt Galenus cap. vlt. lib. 1. de facult. natu. docet. Hinc eſt, quòd non in renibus, ſed in hepate gignatur vrina: poſtea verò in venis elaboratur, quarum auxilio fit, vt perfectam formam ſuſcipiat, vt tradidit Galenus cap. 12. lib. 1. de ſanit. dicens, Quòd autem in venis & arterijs excrementum aceruatur, eiuſmodi planè eſt, quale in lacte concreto ſerum. Et apho. 77. lib. 4. dixit, Cùm enim ex venis vrina veniat, in renibus autem percoletur, in veſica verò aggregetur: quicquid in ea præter naturã apparuerit, aut venas, aut renes, aut veſicam malè ſe habere indicabit. Vt hinc omnibus perſpicuũ euadat, de ijs, quæ in iecore, vaſis, renibus, veſica ac meatibus vrinarijs ſunt, nullũ planè neque manifeſtum, neq; euidens haberi ſignum, præter ſolam vrinam. Quod reſpiciẽs Galenus prog. 26. lib. 2. Et prorrhetico. 2. lib. 2. in hunc modum ſcripſit. Vrinæ partium hepatis, renumq́; & veſicę affectiones indicant, vaſorumq́ue ſanguinem cõtinentium, & virtutis ſuccos generãtis, tum robur, tum imbecillitatem. Et in prognoſticis, Vrinę, inquit, non iudicãt in morbis, qui ſine febre affligunt,

aut in cerebro, aut in membranulis, aut in thorace, aut in pulmone: tanta autem eſt vis vrinę in febribus acutis, vt ſoli ipſi credendum ſit, vt ait Galenus lib. 6. de morb. vulg. ſect. 1. com. 10. Proinde ad iudiciorum dignotionem, & prædictionem, quandoquidem cõcoctionem, aut cruditatem eorum, quæ in vaſis cõtinentur, cap. 7. lib. 2. de diff. febrium, ſummè conferre ſolet, vt non temere Galenus cap. 12. lib. 1. de criſ. de vrinis tractationẽ inſtituerit. Quapropter reprehenſione digni ſunt, quotquot in vniuerſum vrinarum inſpectionem atque cognitionẽ tanquã incertam, & inutilem damnant. Hac enim ratione non tantum Hippocratem & Galenum, qui multis in locis harum mentionem faciunt, tanquàm eos, qui rem nullius vſus attigerũt, & interdum ex profeſſo tractarunt, irrident, ſed & rationi, & experientiæ aduerſantur, quæ vrinarum inſpectionem plurimùm in nonnullis morbis momenti habere teſtãtur. Atqui iam dictis non minus reprehenſionem merentur, magna noſtri temporis Medicorum pars, qui nullum non morborum genus ex vrina cognoſci poſſe cenſent. Valde enim inepti ſunt, qui ex vrinæ inſpectione omnia prædicere conãtur, quòd ſcilicet, inſcitiam, aut verius ſtultitiam ſuam hac ratione omnibus planam faciunt. Eruditis primùm, & intelligentibus, vt qui eorum dũtaxat, quæ in iecore, vaſis, renibus, veſicæ, & vrinarijs

meatibus ſunt, vitiorũ notam eſſe vrinam ſciãt. Vt, itaque merito ridentur, qui ex ſputo de ijs malis, qui vel renes, vel veſicam infeſtant, pronũciant: ita certè ij quoque riſu omnium digni sũt, qui ex vrina de thoracis vitijs certi aliquid prædicere nituntur. Plebeis etiam pulchrè ſe ridendos exhibent, dum non rarò ea ex vrinæ inſpectione diuinẽt, aut certè etiam affirmẽt quæ ſciunt eſſe vaniſsima. Quare eos, qui veritatis amantes ſunt, artemque ſine ignominia exercere volunt, hortamur, vt legitimum vrinæ inſpiciendæ vſum, iterum introducere adnitantur, nec aliorum more illa ad ſordidũ quęſtum abutantur. Quod facient, ſi ex illa tanquam ex tripode deinceps vaticinari deſinent, & pro nota duntaxat vnica, & nõ quidem omnium, ſed eorum, quę in iecore & vaſis ſunt, malorum corporis, vtantur. Reliquos impoſtores ac ſtupidos aſinos, qui pluris ſordidum quæſtum faciunt, quẽ quotidie ex lotij inſpectione ac diuinatione cum ſumma ignominia, coniuncta faciunt, quàm veritatem ipſam ęſtimãt, nihil moramur, vtpote quos ne Muſæ ipſæ, ut alicubi ait Galenus, ſanare poſsint. Omittamus etiam eos, qui ex urinæ inſpectione, mulierem utero gerere, fortunæ auxilium implorantes, diuinare nõ erubeſcant. Et eos quoque, qui ex urinis aliundè allatis, ſæpènumero triduanis, & uehementia aeris ac crebra mutatione uehementiſsimè per-

turbatis, tamem proterue nullaque præmiſſa eius rei præfatione atque admonitione, iudicare, & tanquàm in ea omnia, veluti in ſpeculo quodam appareant, magno ſupercilio pronunciare audent.

Qualis eſt vrina optima in ægrotantibus. *Cap. VI.*

QVEMADMODVM in deiectionibus, ita in vrinis quoque regula ſanorum vſi, de ægrotis indicia ſumemus. Principiũ enim artis prognoſticæ eſt, vt retrò eſt dictum, ſimilia & diſsimilia contemplari: ſic enim quantum vnumquodque à naturali habitu declinauerit, facilè cognoſcemus. Proinde, qui in vrinarum iudicio, & inſpectione ſe exercitare cupit, huic neceſſarium erit, vt primum omnium mediocrem & optimam vrinam, ad quam omnes reliquę, tanquam ad regulam & normam atque amuſsim ſunt comparandæ, ſępenumero intueatur. Niſi enim quis initio ſaluberrimam, & optimam vrinam, veluti ſcopum quendam, in quem perpetuò intentus ſit, & ad quam omnes reliquas exigat, ſibi ob oculos ponat, vt de reliquis, quæ à mediocri illa recedunt rectè iudicet, fieri non poteſt. Depinxit autem Galenus optimam vrinam cap. 12. lib. 1. de criſ. ijs ſanè notis: quòd ſubrufa, & ſubflaua ſit, & ma-

gis

gis quidem ſubrufa, quàm ſubflaua, craſsitudine mediocris, ſubſidentiam habens albam, leuem, & æqualem, & multam, non diuulſam, quæ denique vrinis bene ſanorum hominũ, vbi concoctio ſecũda perfecta fuerit, ſimillima ſit. Subrufa, inquit, debet eſſe magis, quàm ſubflaua, q̃a magis ſolet tingi ex portione bilis permiſta, libro 4. de vſu part. cap. 6. vnde ſubrufum oritur, quàm ex ſanguine permiſto, ex quo ſubflauum ortũ habet. Qualis nimirum euaderet, ſi aquam ſero ſanguinis & bile flaua perfunderes. Hæc etiã modicè crocea dicitur à Galeno prog. 30. lib. 2. veluti modicè pallida lib. 1. de morb. vulg. ſect. 3. com. 81. & lib. 10. de ſimp. cap. de ſudore. Appellatur quoque ſublutea prorhetico. 1. li. 2. Vbi ita inquit, Sola quidem vna eſt inculpata, quæ colore quidem ſubluteo mediocriter fuerit, & ſubſtantia moderata, quæ, ſcilicet, tũ craſſæ, tum tenuis vrinæ medium obtinet. Et lib. 2. de ſanit. tuenda cap. 2. inquit Galenus, vrina coctionis perfectæ tempus indicat, quæ rufa, bilioſaq́; eſt. Quod etiam Ariſtoteles ſect. 1. q. 52. docuit. Sæpius igitur, vt commemoratũ eſt, vrina hęc optima & ꝑ omnia mediocris, vrinæq́; ſanorum ſimillima, nouitio Medico inſpicienda eſt, vt, ſcilicet, cũ aliquam ab hac ipſa declinaſſe viderit, ſtatim ab optima & exquiſita ſanitate hominẽ hunc cecidiſſe ſtatuat, ac pronunciet. Non temerè verò adiectum eſt, ab optima & exqui-

ſita, quòd nimirùm hic non de ea, quæ latitudinem habet, ſed de ea, quæ ſumma & inculpabilis eſt, ſermo fiat, quæ vtiq; vrina cæterarũ veluti ſcopus, aut norma eſt, ad quam perpetuò ſunt referendæ. Eſto igitur homo exactè ſanus, & vigens ætate, & tẽperatura corporis mediocris, qui veſcatur cibis boni nutrimenti, & temperatis, exerceat ſe neque diminutè, nec præter modũ, ſitq; in regione & anni tempore temperatis: & (vt ſummatim loquamur) in omnibus eius rebus ſit mediocritas, medio & diuiſione carẽs. Huius viri vrina eſſe vult ſubrufa, vel ſubflaua, vel ſubcrocea, vel ſubpallida, ſubſtãtia mediocris, atq; proportione reſpondens ei, quod bibitum eſt, in qua nulla innatet bulla, neq; tuberculum aliquod ſubſideat, ſedimẽto ſit albo, læui, & æquali: neque quicquam cũ hiſce complicetur, ex ijs, quæ ſolent inferri ſimilia capillis & ramentis, & eiuſmodi generis. Hæc vrina optima eſt, & ſecundum omnia mediocris, atq; ſana. Quæ verò aliquo modo ab hac defecerit, hoc ipſo ab optima, & pura ſanitate decidiſſe intelligatur. Neque ignoramus ſanitatis ipſius magnã eſſe latitudinem, atq; aliqua eorum, quę rectè reiecta ſunt à regula vrinarum, in vrinis eorum, qui ſimpliciter ſani ſunt, apparere poſſe. Veruntamen ſcire oportet orationẽ præſentem non eſſe de ſanitate, quæ valitudinẽ habere putatur, ſed de ſanitate ea, quæ pura & inculpa-
bilis

bilis eſt. Hæc enim ueluti depicta, certiſsimè no ueris, quanto quis ab ea receſſerit. Cùm itaq; demonſtratum ſit, quæ nam ſit urina eorũ, qui temperati, atque omni ex parte mediocres habentur, decens erit, ſi nos ueluti à quodã ſigno certiſsimo (quod in omnibus eſt mediocritas) profecti, paſsim diſceſſerimus, ut iudicare per ſigni diſtantias ualeamus, quo pacto ægritudines ſe habeant, atque dignoſcere decenter, in quibus labor ſuſcipiendus ſit. Neq; ſat eſt urinam corporis ſani, ac temperati exactè cognoſcere, ſed etiã urinã laborantis, cùm ſanus erat, ut Hippocrates monet. Verũ quia hoc difficile ſcitu eſt, ideo præceptum in corpore ſano generale conſtituit Galenus. Debet quoque urina hæc craſsitatem mediocrem habere: nam, quæ hac ipſa craſsior eſt, aut tenuior, coctionem imperfectam ſignificat: ſiquidem altera nondum in humorem conuerſa eſt, altera uerò adhuc conturbata eſt. Faciliùs autem acquiritur color bonus in urina, quàm conſiſtentia optima: propterea quòd color ex portione bilis permiſtæ procedat: ſubſiſtentia uerò à calore natiuo adaucto, qui difficiliùs in ægrotantibus reperitur. Colorem etiam prius urina recipit, quàm ſubſiſtentiam: cùm utrũnque accidens urinæ ſit, unde temerè à noſtratibus Medicis ſubſtantia appellatur. Quòd autem color præcedat ſubſiſtentiam, oſtendit urina illius uirginis, quæ

Abderæ

Abderæ in ueſtibulo templi ægrotabat lib. 3. de morb. uulg. ſect. 3. tracta. 78. quæ tenuis erat, ſed boni coloris. Atque lotium ſanè hominis benè ſani, hoc item precario poſsidet, ut primò quidem mox, ut ſanguificatio perfecta eſt, emingatur habens hypoſtaſim albam, multam, læuem, & æqualem, quæ nil aliud eſt, quàm humor crudus congeſtus in corpore. Quo autem diutius in inędia, & eſuritione homo perſtiterit, tanto, & bilioſior, & rufior euadat. Nam omne, quod eſt acre & pingue in ſanguine, totum id in bilem flauam conuertitur. Vbi uero lautius & opiparè uiuitur, urinæ largum ſedimentum obtinent, ubi parcius, exiguum, ubi tenuiter, nullum. Et Hyeme quidem multum, Vere autem paucum. Deniq; pueri, & qui uitam inertem agunt, & otio deditam, ij omnes copioſam in lotijs ſubſidentiam emittunt, alteri ob ſatietatem, & ingluuiem nimiam (uoraces nãq; pueri) & quia augendo & nutriendo corpori citius alimentũ corripiatur, quàm confice re uentriculus poſsit, multum de crudo humore exagerant, in alteris autem ob pingue, & altum otium & ignauiam, cui ſe tradiderũt totos. Cæterùm in ijs, qui ob ſatietatẽ, & plenitudinem, & quietem nimiã febricitant, niſi hypoſtaſis multa alba, lęuis, & ęqualis adſit, appareatve, à morbo expeditũ iri, nõ licet. At qcũq; ob inędiã & ieiuniũ & labores graues, quos tulerũt,

febri

febri ſunt correpti, ijs ſatis ad ſalutem eſt, ſi nubecula alba & ſuſpenſa vtilia apparuerint, vt à morbo euadãt, priuſquam aliquid in vrina ſubſideat. Nam & ſani, qui victu exquiſitiore vtuntur, & laborant magis bilioſiores, & rufo colore infectas vrinas obtinent, & quæ de ſedimine modicum omnino habeãt. Hæc omnia dicta refert Galenus cap.12. lib.1. de criſ. quæ etiam repetit cap.46.lib.de vrinis, ita dicẽs, In febrilibus morbis maximè, ſignificatio ex vrina exiſtit vtiliſſima. Quoniam verò omne, quod eſt præter naturam ab eo, quod ſecũdum naturã inuenitur, à naturali exordiamur. Vrina ergo optima hominis ſani, & temperati, ſubrufa, aut ſubflaua, & craſsitie mediocris, & manens talis colore, qualis excreta fuit, hypoſtaſim habẽs per omne tempus, læuem, æqualem, & albam, epotorum quantitati reſpondentem. In mulieribus naturalis vrina colore albidior, quàm virorũ ſit oportet, hypoſtaſimque habeat exuberantiorem. In puerili ętate ſatis craſſam hypoſtaſim ob ingluuiem puerorum, & inordinatos, ac intempeſtiuos motus. Læuem vero hypoſtaſim vocauit Hippocrates coniunctã & indiuulſam, inſinuans. Aequalem eſſe dicit, quæ ſemper in totum ſimilis mingitur, ita vt non alternis diebus cocta & cruda appareat, quæque hypoſtaſim aut liquorem totum æqualẽ poſsideat. Quærimus ergo in vrina naturali colorem, conſiſtentiam corporis, & ea,

quæ

quæ in liquore continentur, veluti nebulam, ap pendiculum, & in fundo hypoſtaſim. Manifeſtū igitur, ſi aliquid horū in vrina immutatum fuerit, cruditatem in venis indicari. Optima ergo vrina in ægrotantibus eſt illa, quæ ſimillima eſt ſanis, ſubrufa, aut ſubflaua, albam, læuem, æqualem habens hypoſtaſim: minus talis, quę appen diculum habet læue & album & æquale: hac adhuc minus perfecta, talem nebulam habens. In quibus etenim flatus in fundo craſſus ac crudus inexiſtit, ſi paucus ſit, cōcedit materiam in profundum matulæ abire, ſi verò redundantior ſit crudus in fundo ſpiritus, ad ſuperficiē liquoris euehit hypoſtaſim, conſtituitque vocatam nebu lam. Quanto igitur ſpiritus plus valet diſſecare & ſubleuare hypoſtaſim, tantò crudior fit vrina. At verò in exquiſitis tertianis & in ephemeris aut nebula ſola, aut appendiculum ſæpè ſufficit ad morbi ſolutionem, interdumq; & vrina benè colorata ſola. Ergo in vrina quod in imo con ſiſtit ſedimentum dicitur, quod in medio ſublimatum, ſeu appendiculum, quod in ſummo nubecula appellatur, vt prognoſt. 26. & 36. lib. 1. ſcriptum eſt. Sedimentum autem vrinæ in ſanis nihil prorſus aliud eſt, autore Galeno prog. 42. lib. 1. quàm alimentum naturæ refugiens confectionem. Vt enim lac in mammillis, & in genitalibus ſemen, vi naturæ producuntur: ſic & in vrina ſedimen, quod quadātenus ſolidioribus

aſsi-

aſsimilatur partibus, nempe conceptaculorum tuniculis, neruis, copulis, ac membranis, cartilaginibus, oſsibusque. Eadẽ itaque cauſa, quæ efficit, vt pus candidum, nec malè olens appareat (victoria, inquam, natiui caloris cõcoquentis, & in membrorum naturam aſsimilare tentantis) eadem, inquam, ſedimen producit in vrina optimum, album, læue, & æquale. Hinc facilè colligitur in venis generari ſedimen, aliàs non eſſet album, ſed rubrum ſi in iecore procrearetur, quod optimè docuit Galenns cap. 12. lib. 1. de criſ. dicens, Quantum autem ad vſum refert, facillimum inuenire eſt, ꝙ vrinarũ, quę ſecundũ naturam ſe habent, terminus eſt in optimè ſanis corporibus primũ exquiſitæ coctionis tempus. Ergo locus generationis ſediminis venæ ſunt, materia autem humor crudus confectionem refugiens, vt etiam cap. 11. lib. de plen. inquit Galenus: & cap. 12. lib. 1. de criſ. & lib. 1. de alim. facult. cap. 2. & 25. & lib. de vrinis ad finem. Cæterùm in morbis nil aliud eſt, quàm pars humoris morbum efficientis, quę iam concocta eſt, vt Galenus claris verbis docet cap. 6. lib. 2. de diff. febriũ, aliàs de morbi ſtatu minimè iudicaret. Perfecta igitur coctio eſt, vt cap. 17. li. 1. de criſ. inquit Galenus, quando in vrina ſubſederit aliquid album & læue, & æquale & cõtinuum. Debilis autem coctio eſt, quãdo ex aquoſa mediocriter ſubpallida facta fuerit: & quidem, ſi tur-

bulenta

bulēta apparuerit, & talis permãſerit, hæc quoque occultæ & debilis coctionis eſt ſignum: & rufa etiam ac tenuis ex eodem genere eſt. Sed nihil horum iam principium eſſe finitum oſtendit: hoc enim manifeſtius indicium ſemper expetit, vel ſolam nebulam albam, aut ſuſpenſionē æqualem, continuam, atque albam. Et quidem rubens nebula, & ſubſidentia talis, & ſine ſubſidentia bene colorata vrina, & craſsitudine mediocris, principij finem manifeſtat. Quare nebula morbi principiū indicabit, appendiculum, augmentum, ſedimen, ſtatum. Hinc Galenus cap. 18. lib. 1. de criſ. diuiſit coctionem in debilem, manifeſtã, & perfectam: & ſolùm hanc fieri in tempore ſtatus docet, veluti cap. 7. lib. 3. de præſ. ex pulſ. reliquas autem, in prioribus temporibus, vt Aetius quoq; ſer. 1. tetrab. 2. c. 29. ex Galeno cap. 47. lib. de vrinis, demonſtrat: quem locum integrè ſupra tranſcripſimus. Neque id ita preſsè intelligēdum eſt, vt aliquando ſuſpenſa morbum non iudicare, credamus, docuit nanque Galenus lib. 3. de morb. vulg. ſect. 1. commen. 4. appendiculum morbum quoque iudicare, quod fieri non poteſt, ſine perfecta coctione, vt etiam cap. 12. lib. 1. de criſ. Galenus ipſe tradidit. Quod appendiculum ſi non deſcendit, id fit, ob flatum in eo incluſum, vt Galenus progno. 36. & lib. 3. de morb. vulg. ſect. 3. cõ. 83. ſcriptum reliquit. Quare etiam in tertianis ex-

quiſitis & in diarijs febribus nubecula ſola, vt Galenus dixit, aut illud in medio pendens ad morbi ſolutionem ſuffecit. Maximi ergo eſt momēti in vrinis forma ſedimēti, vt lib. 1. de morb. vulg. ſec. 3. cõm. 23. Galenus aduertit. Sępè verò albus color eius, quod in vrina diffuſione fert, idiotas decipit, ut ſubſidentiam bonam putent, quæ bona non eſt. Contingit enim crudum ac album humorem unà cum urina excretum ſubſidere, & bonæ ſubſidentiæ imaginationem exhibere. Quandoque uero hepate, aut renibus affectis, pus excernitur cum urina, & ſubſidens decipit artificem. Verùm primum diſtinguendum eſt, an homo antea affectos habuerit renes, aut hepar, aut aliam quandam partem pęr urinam expurgari ſolitam. Deinde etiam graueolens reperitur urina pus habens. Crudus uerò humor à bona ſubſidētia diſtinguitur, per inęqualis ſubſidentis ſubſtantiam ſeu compagem. Non enim cohærens ſibiipſi manet, ſed in paruas uelut arenulas diuiditur: & omnino nõ læuis eſt, quemadmodum uera ſubſidentia. In bonis igitur urinis, primum ſupernè apparet nubes: deinde ſubdeſcēdens facit id, quod in medio pendet: in fine uerò ſubſidens in fundo uaſis, nimirum ubi perfectè fuerit cocta. In crudis uerò humoribus, ſtatim ab initio ad fundũ uaſis multa copia ſecedit, una cũ hoc quòd mali coloris eſt tota ſuſura. Poſtea uerò etiam paulatim con

coctus

coctus ac attenuatus, circa medium fuſuræ urinæ conſpicitur, & facit id, quod in medio pendet. Cùm autem amplius attenuatus fuerit ac concoctus, in ſuperficie diffuſionis urinæ conſiſtit, & nubeculam facit, decipitque idiotas, ut putent morbum ad deterius procedere.

De prædictione ex coloribus vrinarum: & primùm de vrinis albis. *Cap.* *VII.*

QVATVOR ſunt potiſsimum, quæ in urinarum inſpectione contemplanda ueniunt, nempe color, conſiſtentia, quantitas, & contenta. Et cùm inter hæc primum occupet locum color, ordinis ratio poſtulare uidetur, ut hoc loco de colorum differẽtijs & earum prędictionibus dicamus. Præcipuorum autem in urina colorũ octo ſunt differentiæ, albus ſcilicet, pallidus, rufus flauus, ruber, uiridis, liuidus, & niger. Si qui uerò reliqui ſunt, ſub iam dictis cõprehenduntur. De ijs ergo ſingulatim erit dicendum. Incipiendum autem ab albis: album enim eſt corporum ſimplicium, quod eo demõſtratur, quod nullo colore alio infecti ſint. Diuiduntur autem urinæ albæ in plures ſpecies per differentias magis & minus: quas Actuar. lib. de diff. urinarum cap. 8. sũmæ albedinis, & remiſſæ albedinis appellat: illius generis ſunt aliæ cryſtalleæ, aliæ niueæ, aliæ ut aqua pura: huius uerò, aliæ ſunt la-

ctex,aliæ glaucæ,& aliæ charopæ. Omnes genere albæ ſunt,ſummam indicantes humorum cruditatem, & cōcoctricis facultatis imbecillitatē, de quibus loquēs Galenus cap. 12. lib. 1. de criſ. in ſumma hæc inquit: Summè cruda eſt, exactè aquoſa, veluti deſperatę concoctionis venoſi generis,accidens. Quando autem celeriter deſcenderit, diabetes, vt Græci appellant, efficitur. Verùm hæc ſanè inter vrinas crudas deterrima eſt.Succedit autē ipſi,tenuis admodum,& aquæ modo ex albida. Huic vicina eſt alia vrina,quæ multis in morbis apparet, tenuis admodum, & albæ propinqua. Alba igitur vrina in ijs,qui ſani ſunt, ſemel apparens, ſignificat multam vini potionem,præſertim vini exilis,& iudicij huius fidem facit ipſa vrinæ multitudo.Hinc Galenus lib.6.de morb.vulg.ſect.5.commen.15. ſic ſcriptum reliquit: Vrina ei nonnunquam, quod epotum eſt,in colore ſimilis apparet,neque maturatis, neq; in ſanguinem rectè verſis cibis, cum quibus & ipſe potus cōmutatur. Et paulò poſt, Quando igitur lotium rei potæ colorem retinuerit, ſi aquæ, aut alicuius albi,tenuiſque vini potus fuerit, aqueum, albumque conſpicitur. Hippocrates lib.2.prædictionum ita inquit,Cæterùm vrinam iuxta potionis copiam mingere oportet, & ſemper æqualem, & quàm maximè aceruatim,& momēto paulò craſsiorem, quàm id, quod in potu acceptum fuit. Si verò fuerit

aquoſa & copioſior, quam pro eo, quod bibi imperatum eſt, ſignificat hominem non obedire, ſed copioſiori potu vti. Quod ſi hæc vrina quantitate ſit mediocris, & hypoſtaſim proportionalem contineat, indicat frigidam quãdam intemperaturam hepatis. Et ſi hypoſtaſis ſit multum obſcura & occulta, ipſa verò vrina multũ alba, demonſtrat ſenectutem, vel ſecundum naturam, vel ex morbo. Quinetiam alba vrina in hydropicis prouenit, quæ videtur continere hypoſtaſim diuerſam, atque crudam. Nihilo quoque minus in ijs, qui patiuntur obſtructionem aliquam in viſceribus internis, atque renibus exit vrina alba, atque tenuis. In albis igitur coloribus, maximè cryſtallo, & aquæ ſimilibus aliquis ſummam cruditatem ex frigiditate naturæ ortam, aut maximam obſtructionem vaſorum, prę ſertim vrinas ſecernentium, aut bilis tingentis ad alias partes, traductionẽ cognoſcere aliquis poſsit. Vrinam verò, quæ albedinem remiſſam oſtendit, præſertim quæ vergit ad glaucum, & charopum colorem, non facilè dixerit propter flauæ bilis ad alias partes traductionem, ſed potiùs ad debilitatem virtutis alterantis & concoquentis humores fieri, nemo prudentium inficias ire poterit. Cum autem vrinæ rufæ, aut rubeæ, aut vineæ, aut aliquo colore tinctæ proceſſerint in febre vehemente, ſi in eiuſmodi albos colores mutatæ erint vrinæ, atque adhuc febris

man-

manſerit vehementior, neque aliquod inſigne criſis ſignum aderit, decenter noſſe poteris futuram eſſe phrenitidem, atq; eo peiorem, quo pręmonſtrati colores, fuerint peiores. Neq; omnino mẽtitus fueris, ſi rurſus tinctis vrinis pronunciaueris phrenitim ſolutam eſſe. Siquidem vrinæ albæ demonſtrant bilem, quæ chyma tingit, attolli ad caput, ad quæ perſeuerãs additionem afferre poterit paſsioni mortem. Vrinæ verò ſi iterum coloratæ fuerint, arguunt ſolui paſſionem mẽbri promouentis primũ ſenſum, conuerſa rurſus bile verſus infernas partes corporis. Hinc Hipp. aph. 72. dixit, Quibus vrinæ albę ſunt, & perſpicuæ, malæ: præſertim verò in delirantibus apparent. Et Gal. in cõm. inquit, vrinæ tales extremam cruditatẽ ſignificant, quare & morbos longos ſignificant: quædam verò ex ipſis cum anticipauerint vires diſſoluere, ſunt pernicioſæ, veluti in delirijs. Nullum enim vidi delirãtẽ, in quo talis vrina apparuerit, ſaluatũ. Melius ſiquidem eſt, vt ſicuti totus morbus eſt bilioſus, ſic & urinæ appareant bilioſæ. Aquoſæ autem urinæ (tales enim ſunt albæ, atque perſpicuæ) magnam cruditatẽ oſtendunt, & præterea flauam bilem ad caput totã rapi. Cæterùm Galenus prorrhetico. 2. lib. 2. uidetur dictis aduerſari, cũ inquit, Rurſus & in præſentia memoria tenere tyrones oportet ipſos, nullum in urinis eſſe ſignum, quod delirium portendat: nõ bene

igitur ſupra dictum eſt ex urinis albis phreniti-dem eſſe præſagiendam. Dicẽdum eſt, per ſe ex urinis albis non poſſe de phrenitide pronunciare: ſi uerò ſequantur ad urinas rufas, aut rubeas, in febribus maximè ardentibus cõſonum erit rationi, humorem ad caput tendi, unde prædictio non incongrua erit. Neq; ignorare oportet eiuſmodi urinarũ colores in ſenibus, ſignificare modica quædam mala: iuuenibus uerò & uigentibus deteriora, eò magis ſi cõtenta nulla ſpectentur: & ſi quæ ſpectantur ſint praua, minusq́ue cõ uenientia. Namque in ſumma cruditate, & frigiditate, atque longa quadam debilitate, atque pręter hęc in immodicis obſtructionibus apparere ſolent. Quapropter Hippocrates prognoſtico. 33. lib. 2. dixit, In pueris aquoſa, deterrima eſt. Quoniam, ut inquit Galenus in cõmen. in eis omnia concoquentur ocyſsimè præ robore facultatis alterantis. At concoctio craſsiorem reddit non ſolùm urinam, ſed etiam deiectionem, quoties benè in uẽtre concoquatur: & item ſcreationem in pulmonia, & coſtali atq; pituitam per deſtillationes & grauedines, necnon per lippitudinem, & pus in ulceribus. Si igitur in pueris manere uideas plurimũ temporis urinam aquoſam, ita ut nullã habeat mutationem ad corpulẽtius, indicium exitiale eſt. Itẽ progn. 32. ſcripſit, exitioſior uerò urina eſt, ſi aquoſa. Galenus in cõm. inquit, Vrina aquo-

ſa, te-

ſa, tenuis quidem conſiſtentia, colore uerò candida, eſt ſummam indicans humorum cruditatem, concoctricis verò facultatis debilitatem. At certè hæc vrina non videtur exitioſa, cũ tantum ſit cruda: ſigna autem cruditatis, vt Galenus apho. 12. lib. 1. monet, diutinũ quidem ex neceſsitate morbum ſignificant: ſed quantum in ipſis eſt, neque moriturum, neque euaſurum è morbo hominem oſtendunt. Niſi eſſet, quod in acutis morbis ſit exitialis, propterea quod extrema cruditas in pauco tempore concoqui non poteſt, ſicut & frigidus ſudor, aph. 37. lib. 4. Quibus adde, quod Galenus non ſolum dicit aquoſam vrinam ſignificare cruditatem, ſed etiã virium imbecillitatem: ex quibus ad cruditatẽ collatis, poteris mortem præſagire. Et ideo Galenus ipſe aph. citato, dicta verba ſubiunxit, Tibi verò priùs ratiocinanti, & ægroti vires expendenti, etiam ex ijs licet præcognoſcere. Si autem Galenus lib. 1. de morb. vulg. ſect. 3. in hiſtoria vxoris Philini, dixerit, vrinas tenues, & decolores tempus ad concoctionem vrinæ deſiderare, non tamen eſſe omni ex parte exitiales. dicendum eſt, illic Galenum non loqui de vrinis ſumme crudis, ſed de illis dũtaxat, quæ decolores ſunt. Denique in initijs, & incrementis febrium eiuſmodi colores vrinarũ ſunt mali, præſertim quò vehementiores ſunt febres: apparet enim in hiſce multitudo materiæ auge-

ri putrefacta in febrium verò declinatione apparentes ſignificant ſalutem, eò potiùs, ſi multitudo vrinarum exierit. Illud enim arguit aut multitudinem cruditatis humorum cumulari, aut tingentem humorem vergere ad alias corporis partes: hoc verò arguit declinationem febris, præſertim cum vrinæ, quæ præceſſerunt, fuerint magis rufæ. Oportet igitur prorſus, vt Medicus, qui eiuſmodi res conſiderauerit, & ſolers, & peritus, & doctus ſit. Glaucus, color eſt, qui veluti cornu pellucidum exiſtit. Charopus, qui ſubalbidis cameli pilis, aut vngui vocato lapillo ſimilis eſt.

De prædictione ex vrinis pallidis. *Cap. VIII.*

POST albam vrinam ſubpallida, quam nonnulli ſubſpiceam nominant, ſubſequitur: Cuius color ſimilis eſt aquæ, cui ſpicei, aut ſubpallidi humoris aliquid admiſtum eſt. Proxima huic eſt pallida, quam alij ſpiceam vocant. Hęc apparet, vbi plus bilis ſeroſæ humiditati miſcetur. Cùm autem cōcoctio præceſſerit, tunc plus tincturæ accedit, & fit ſubrufa, quæ non puro auro ſimilis eſt. Conſtat ergo inter vrinā ſubpallidam & ſubrufam magnam eſſe latitudinem penes maiorem & minorem tincturam, & ita inter hos terminos, huiuſmodi colores reperiuntur, ſubpallidus pallidus, modicè pallidus, ſubflauus,

flauus, ſubaureus, ſubcroceus, ſubrufus, & alij. Quapropter poſt albam ſubpallida eſt, quæ ſignificat coctionē excitari: cùm verò vrina magis tingitur, capitq́ue ſubſtantiam mediocrem, tunc apparet ſubaurea, & ſubcrocea, qui colores ſunt perfectæ coctionis, ſignificātes toti corpori ſanitatem certam ineſſe: aurea vero & crocea intenſionem quandam præter naturam caliditatis oſtendit. Quinetiam aurea ſignificat intenſionē caliditatis potiùs per materiæ quantitatē, quàm per defectum materiæ. Crocea vero contrario modo ſe habet: nanq; aurea apparet ob multorum ciborum & medicinarum acutarum ſumptionem, obq́; ebullitionem ſanguinis ab ira. Item ob intemperaturā quandā vergentem ad calidum in viſceribus: accedit quoque ob affectum quendam ſimilem. Crocea verò apparet ob mœrorē, ob curā, ob vigilias, ob ſolis æſtum, ob laborem, atque ob alia, quæ vt rubeam & tenuem bilem aggerunt in corpore, ità naturalis humiditatis defectum quēdam efficiunt. Cæterū ſubpallida, & pallida vrina, vt ait Actuarius lib. 1. de preuidentia vrinarū, cap. 3. in febribus non ſpectatur. Etſi contigerit, vt cū hiſce vrinis adſint febres, hę imbecilles, ac facilè ſolubiles ephemeræ quædā eſſe poſsūt. Sed ſi ardētiores febres p̄ceſſerint, vrinæq́; eiuſmodi poſt apparuerint, ſignificāt febrem ſolui, atque corporis habitudinem iam cōcedere ad fri-

UNIV BIBLIOT DIGIONA

gidiorem qualitatē, quæ alteratione orta, à decente diæta corrigitur, atque confirmatur. Vrinis autē ſubrufis, & ſubflauis, inquit, neſcio, an quicquam magis ſanitatem poſsit ſignificare in iuuenibus, atque adoleſcentibus corporibus.

De prædictione ex vrinis rufis, & flauis. Cap. VIIII.

COLOR pallidus, rufus, & flauus ex miſcela bilis cum ſero proueniunt: nam & amara bilis aliquando rufa apparet, aliquando flaua, ſæpius autem & pallida tibi videtur. Siquidem alba & turbulentior facta ſit, rufa: ſi vero ſplendens ſit & purior, veluti carbo incēſus, flaua, vt libro ſecundo, de ſimplic. cap. primo, dixit Galenus. Rufus autem in medio eſt albi & flaui, eodem Galeno cap. 3. lib. 2. de temp. teſte. talis color apparet ijs, qui morbo regio ſunt affecti, vt Apho. 2. lib. 4. inquit Galenus. De hoc ergo colore in vrina ſic prædicit Hippocrates prognoſtic. 30. lib. 2. Dum vrina tenuis fuerit, ac rufa, crudam eſſe ſignificat ęgrotationem. Galenus in commen. ait, Vrina naturalis modicè crocea eſt, vtpotè ex humore conſiſtens concocto, qui flauę bilis parum recipit. Hæc vbi modum excedat, aut admodum ſyncera permiſcetur, vrina rufa apparet. Ergo, ſi adeò talis colore eſt, vt etiam tenuis ſit, crudam eſſe ſignificat ægrotationem. Idem quoque

que Galenus capit. 12. lib. 1. de criſ. hunc locum ita interpretatur: nam & ex ipſis ſanis, qui multum laborant, & pauciori cibo veſcuntur, ſunt vrinæ bilioſiores: quare neque ſimpliciter Hippocrates vituperauit vrinã rufam, ſed, quãdo ſimul cum rubedine habuerit ſubtilitatem. Ita igitur inquit, Donec rufa fuerit vrina, ac tenuis, morbum crudum ſignificat. Liquet autẽ, quòd neque aliquid ſubſidet huiuſmodi vrinis: neque enim contingit, vt, quæ tenuis ſufficienter fuerit, vel ſi multo tempore quieta ſteterit, aliquam recipiat ſecretionem: adeò vt craſsior pars, quæ in ipſa pendebat, ſubſideat: tenuior verò ſuperferatur: nam hoc ſolum aduenit ijs, quæ aliquam craſsitudinem habent. Hæc Galenus. Quare vrina rufa nunquam erit cocta, niſi craſsitudinem habuerit. Ideo cap. 17. eiuſdem libri, dixit eſſe vrinã rufam ſignũ debilis, & occultæ coctionis: cuius etiam meminit lib. 3. de morb. vulg. ſect. 1. com. 4. Color flauus, vt dictũ eſt, nitidior, & purior, atque ſplendeſcens eſt, in quo ſcilicet vis quædam ignea emicat, quẽ fuluum (ni fallor) nominare poſſumus. Quantum verò flauo rufum eſt albius, tantum pallidũ eſt albius rufo: quantò rurſus minus album eſt flauum, quàm rufum, tantum flauo rubicundum: quia & ſanguinis color nonnunquã flauior exiſtit, nonnunquam rubicundior apparet: vnde & ſanguinem ipſum aliquando flauum, aliquando

rubrum

rubrum dicunt. Nunquam verò ſanguis maximè flauus eundem habet cum bile flauiſsima colorem: ſed eſt illa quidem flauior, ſanguis verò rubicundior. Nã, qui apprimè flauus eſt color, medius eſt inter bilem ac exquiſitum ſanguinẽ in ijs, qui ſecundum naturam ſe habuerint: quare, ſi vterq; humor in ipſo coniungatur, nunquã fiet exquiſitè flauus, ſed ſeipſo tamen magis flauus. Lotium autem flauum, ac tenue, vt inquit Galenus lib. de vrinis cap. 7. non ſolum crudam affectionem, verùm etiam materię penuriam oſtendit, vt in iuuene ieiuno. Subindicat deinde multam caliditatem in profundo parare bilem, vti in tertiana, vigilias, curas. Aetius tetrab. 2. ſer. 1. cap. 32. & 33. de vtraque vrina flaua, ſcilicet, & rufa, ſic loquitur. Attenuis in ſubſtantiæ cõpage vrina, & fulua colore, melior eſt, quàm pallida. Et tamen reprehenſione non caret propter ſubſtantiam. Rufa vrina cruditatem indicat, non mortem. Verùm tempore opus habet ad concoctionem: eſt enim ex ſanguine ſeroſo, nondum valdè cõcoctionem adepto, neq; proprium colorem: & propterea diuturniorẽ morbum ſignificat. At in febribus continentibus, ob ſanguinis multitudinem conſiſtentibus, excernitur vrina rufa, & craſſa, & ſubſidentia rufa, & colore, & fuſuræ compage, & ſubſidentia cruda.

De

De prædictione ex vrinis rubris. Cap. X.

GALENVS facit tantum tria genera iſtarum vrinarum:eas nanq; diuidit in rubras, ſubrubras,& impenſè rubras, ſeu prærubras, prorhetico.31.lib.1.Et prorrhetico. 25. lib. 2. De quarum prædictione ita Galenus in hoc poſtremo loco inquit, Volo autem, vt memoriæ mandes,quæ de ſubrubentibus vrinis in prognoſtico dicta ſunt,his verbis, Vrina ſubrubeus ſi fuerit, ſedimentumq́; tum ſubrubrum, tum læue, hæc priore quidẽ diuturnior,ſed valde ſalubris. Subrubens igitur vrina, cuius meminit in prognoſtico, ab impenſè rubra, de qua nunc agit, valdè diſtat. Nempè, quod impenſè rubra cruda, & incocta ſit,ſupra explicauit. Subrubentẽ verò commendat quidem tanquàm ſalubrem, ſed diuturnioris temporis ſignũ eſſe ait. Quod verò rubens vrina in medio tum impẽsè rubrę, tum ſubrubentis conſtituta, medium tum laudis,tum vituperij obtineat, palàm eſt omnibus. Hæc ille. Quibus docuit vrinam rubentem ſecuriorem eſſe morbum, præſagire: minus, ſubrubentem, & adhuc minus, per rubentem. Quod vt facilius intelligatur de ſingulis erit dicendũ. Primùm de ſubrubeis, quas in prognoſtico 27. lib.2.& lib.de iudicationibus Hippocrates inſinuauit, morbum prædicere diuturniorem, ſed ſalutarem.

ſalutarem. Salutaris, inquit, quia materia benigna eſt, nec humida nimis, aut acris, aut putrida, aut tenuis, aut aquea, aut craſſa, ſed ad ſanguinis ideam, in quo ſibi bene natura complacet, proximè accedat. Diuturnior verò, quia humidioris, & item ſeroſioris, eget concoctione. Si igitur ſpacio temporis concoctio fit, meritò talis vrina ſignificat, vt diuturnior, quã primi, morbi ſolutio futura ſit. Talẽ vrinã habuit Cleonactides lib. 1. de morb. vulga. ſect. 3. & prorſus iudicatus eſt, licèt tarde. Ruber etiam color nõ niſi à ſanguine fit, quare ſimiliter hæ vrinæ crudum morbum portendunt, ſed ſalubriorem: veluti de ſubrubeis dixit Hippocrates. Cur ergo, dicet aliquis, Hermocrates lib. 3. de morb. vulgar. ſect. 1. perijt, cum has vrinas habuerit? Reſpondet Galenus in hunc modum. Rubrę verò ſpacio longo laboraturum hominem, non tamẽ planè moriturum arguunt: vt in commentarijs in librum præſagiorum, & prædictionum planũ fecimus, vbi eius libri reprehendimus authorẽ. Nam quæ alia de occaſione ægrotantibus accidrũt, quia ad aliud refert, errat. Iam in ijs commentarijs prolixius ſumus tum phrenitidis peculiaria ſigna perſecuti, tum quòd in libris Hippocrates citra cõtrouerſiam germanis, de quibus præſagia ſunt, vniuſcuiuſque facultate ſigni exactè, & ſigillatim explanauit. At de rubris, vel prærubris vrinis verbum nullum fecit: ſed

de

de ſubrubra vrina, cum mentionem facit, ſimul prærubrarũ vim indicauit. Atque adeò de ſubrubris vrinis hæc ſcripſit verba: Si vrina fuerit ſubrubra, ac ſubrubrum, quod ſubſidet, diuturniorem hæc quidem morbum, quàm prima, ſignificat, ſed admodum tamen ſalubris eſt. Cum ergo ſit ſubrubra, præter cæteras ſalubris quidem, longius tamẽ quàm prædictæ trahat, quas ocyus dixit morbum exoluere: quæ magnopere ſunt rubra, longius ſignificabunt ſpacium, cæterùm non mortem, quantum ex ſe ipſis, neque delirium. Et paulò poſt, Quare ratio cõuincit, vbi amplior ſemicrudus ſanguis per vrinam expellatur, rubram cum hanc efficere, atque ideo diuturnum fore morbum, quod requirat, ſcilicet, ad concoctionem longius ſpacium ſanguis: ſiquidem ſpacio temporis fiunt concoctiones, at non erit talis morbus, vt ab vrinis exitioſus, neque phrenitidi obnoxius. Hæc ille. Inſtabit quoque in hunc modum. Si vrinæ rubræ ſanguinem redundare in venis ipſis demonſtrant: atqui omnis ſanguinis corruptio praua eſt, vt c.6. lib. de bono, & malo ſucco tradidit Galenus, nõ igitur ſecuritatem præſagibit vrina rubra, ſed potiùs periculum. Niſi eſſet, quòd vrina rubra non ſignificat ſanguinis putredinem, ſed eius feruorem, aut abundantiam, vt cap. 8. lib. de vrinis. Et prognoſtico. 34. lib. 3. oſtendit Galenus. Huc reſpiciens Actuarius lib. 1. de præuidentia

vrinarum

vrinarum cap.4. dixit, Vrinam rubram in ſenibus longitudinem morbi, aut mortem prænunciare. Quia, cū in ſenibus copia ſanguinis non reperiatur ob ætatem, ſupereſt, vt imbecillitatē retentricis facultatis, ſanguinem non continentis, aut immodicum febris feruorem, ſignificet. Neq; etiam vrina rubra videtur morbi longitudinem prædicere, cùm Hippocrates aphor. 71. lib.4. dicat, Quibus ſeptimo die fit criſis, ijs nubecula rubea quarto die in vrina apparet: quibus ſanè verbis indicat Hippocrates, vrinam rubram, celerem morbi determinationem præſagire. Huic verò dubio Galenus in cōm. reſpondet, dicens, Niſi morbus valde vehementer moueatur, ſeptimo die nō finietur: cuius vehementiæ nubecula rubea eſt ſignū, quæ cùm rarò appareat, rarò quoque talis morbi determinatio ſequetur. Perrubra verò vrina cruda, & incocta cæteriſq; deterior, vt ſuprà dictum eſt: ſub qua vrina vinea, & paſſea, apud Actuarium continentur. Reſtat modo, vt dubium quoddam diſcutiamus, quod eſt, Cur ſi maior copia ſanguinis, quàm bilis in coropore reperitur, vrina non appareat perpetuò rubra? Huic dubio reſpondet Actuarius lib.1. de cauſ. vrinarum. cap.6. Primū quidem, natura non niſi ſuperfluum reijcit, cuius generis haud quaquā eſt ſanguis. A ſanguine igitur vrina non poteſt in ſanis corporibus, mediocritatem ſaltem ſeruantibus humoribus,

colore

colore permutari. Quinetiam, ſi natura tot machinatur pro nutritione animalis, atq; ſemper deſit à completa non parum abſurdum eſſe videtur, ſanguinẽ vnà cum urinis excerni. Adde, ſanguineo rubeo cum vrina ſubalbida confluente, oportere vrinam appetere ſub rubeam ſecundum naturam: at hoc à ſanitate tantnm recedit, quantum rubeum appareat. Quinetiam quidnam prohiberet ſanguine ſemper abundante, vt non etiam ſemper vrinæ eiuſmodi ſpectarentur, quales ſecundum naturam eſſe, ratione demonſtratum eſt. Præterea experimur ingeſtis alimẽtis bilioſis, bilioſas generari ſimul vrinas, non autem cruentas, licèt vnà ſanguis quoque augeretur à bile: ergo in ſanis corporibus efficitur illa vrinæ aſsidua verſus pallidum tinctura, à ſanguine minimè.

De prædictione ex vrinis viridibus, & oleaceis. Cap. XI.

APVD veteres verbum hoc chlorum, vt declarat Gale. progn. 7. lib. 1. & progn. 20. 21. 39. & 47. li. 2. & lib. 2. de ratione victus com. 22. & lib. 6. de morb. vulg. ſect. 2. com. 17. & pallidum colorem, & viridem ſignificat. Viridis autem apud eundem Galenum tantum duplex eſt lib. de atra bile. cap. 2. & apho. 1. lib. 5. & progn. 39. li. 2. porraceus ſcilicet, & æruginoſus. Vterque

que

que in ventriculo, & vaſis gignitur, vt in hoc po ſtremo loco Galenus indicat. In ventriculo, inquit, ob eſculentorum cruditatem, in vaſis verò ob nimium incendium atque aſſationem, vt ſtatim oſtendemus. Quòd ſi Galenus lib. de atra bile cap. 2. & lib. 2. de temp. cap. 6. dicat, in ventriculo ſolùm bilem porraceam gigni, intelligẽdus eſt, ſanitatis tempore: quo reliqui colores, illo prauo excepto, nequeunt procreari, vt lib. 3. de morb. vulg. ſect. 2. com. 8. & lib. 3. de alim. facult. cap. 39. oſtendit ipſe Galenus. Quando autem tempore ſanitatis fit in ventriculo bilis hæc porracea, non eſt cauſa aduſtio, aut ingens calor, ſed alimentorum cruditas, & eorum qualitas, vt lib. 2. de temp. declarauit. Cęterũ in vaſis cùm generatur ſemper cauſa eſt aſſatio, & maximus calor, vt prorretico. 10. li. 1. Galenus ijs verbis indicat. Flaua autem bilis cum ſuprà modum aſſatur, primũ quidem in æruginoſum migrat ſuccum, deinde in nigrum: ſupra modũ autem aſſatur propter febris magnitudinem. Et paulò poſt. Aeruginoſus igitur humor, ſiue per vomitum, ſiue per ventrem inferiorem, ſiue per ſputa, ſiue per vrinas apparuerit, & ſuccum, ex quo ortum habet, & morbum vehementer, tum calidum, tum ſiccum eſſe demõſtrabit. Et lib. 1. de criſ. cap. 12. Color verò viridis, inquit, Fit in tranſitu ad nigrum, & quoddam veluti principium nigri. Nam, ſi morbus malignus fuerit, &

vomitibus & alui excrementis, & vrinis viridibus, poſt modũ nigræ ſuperueniũt. Et ca. 11. dixerat, Viride autem eſt ęruginoſę bilis indiciũ. His adde quæ ipſe progn. 39. lib. 2. & lib. 10. de ſimpl. cap. de felle, ſcriptum reliquit. Ex quibus omnibus facilè colliges ſemper calorem immodicum eſſe cauſam excrementi viridis in ægrotantibus. Excrementi, dixi, quoniam in facie poteſt apparere color uiridis à frigore natus, ut Galenus prognoſtico. 7. lib. 1. declarat. Porro ex vrinis viridibus licebit prædicere in hũc modum. Vrina uiridis in pueris nuper natis conuulſionem, aut paralyſim prænunciat, prognoſtico. 34. lib. 3. Vrina uiridis in febre non intermittente lethalis eſt. Vrina uiridis repente in homine ſano apparens cum cordis morſu, uenenum ſumpſiſſe ſignificat: mortemque non longè abeſſe prænunciat. Actuarius prædictionem urinarum oleacearum uiridibus urinis iungit, de quibus etiam nos hic pauca dicemus. Oleacea nãque urina, quæ colore oleo ſimilis eſt, & quæ ueluti oleum mingitur colliquationis eſt ſignum, ut cap. 12. lib. 1. de criſ. docet. Quod reſpiciens Hippocrates progn. 35. lib. 2. ſcripſit, Si pingue deſuper natans, araneorum ſpeciem referat, damnandum eſt, indicat enim conſumptionem. Et aph. 35. lib. 7. dixit, Quibus autem ſummum eſt pingue, & cõfertum: ijs renum dolor & morbus eſſe acutus ſignificatur. Galenus

in commen. inquit, Siue alui excrementum, ſiue urina pinguis fuerit, ex colliquatione adipis fit, non magis in renibus, quàm in toto corpore exiſtentis; quare non propriè morbi renalis eſt ſignum, ſed commune omnis adipis ab igneo calore colliquati. Hinc Parius in Thaſo lib. 3. de morb. vulg. ſect. 3. hanc urinam oleoſam habuit, & perijt. Vxor quoq; Dromeadæ lib. 1. de morbis uulga. ſect. 3. cum hac urina perijt. Cur autē Hippocrates de pingui ſubſidente non egerit, declarat Galenus in hiſtoria Parij in hunc modum, Nos uerò pinguitudines fluitantes uidimus frequenter, uerùm nunquam excretam talem prorſus urinam, neque in medio pinguia pendere, quominus ſubſidere. Nam ità eſt cō-paratū natura omne pingue, ut reliquis humoribus inuehatur. Quo etiā in loco Galenus docet non ſemper oleoſam urinam fieri ex liquefactione, ſed etiam ex humoris proprietate, aut crudi ſi pallor ſubalbeſcat, uel bilioſi, ſi in flauū uergat. Ideoq́ue, inquit, equidem talem ſæpe urinam nullo ægri detrimento redditam cōſpexi, imò uerò interim planè è contrario, in morbi concoctione. Quod autem Galenus lib. 4. de ſanit. tuenda. cap. 4. ſcripſit in hunc modum. Ergo, ubi crudus planè is eſt, utique tenuis aquoſaq́; urina cernitur, nihil, nec quod ſidat, nec quod pendeat, in ſe habens. At, ubi is concoctus eſt, hæc in urina apparent, atque etiam nu-

beculæ

beculæ quædam deſuper tenues ſuperſtant, ue-luti quod in ſummo lacte colligitur (Græcè γραῦς dicitur) & quod in ſummo refrigerati iu-ſculi concreuit, non aduerſatur progno. 35. li. 2. propterea, quod in prognoſtico loquitur Hip-pocrates de ægrotis, in quibus ex conſumptio-ne oritur illa pinguitudo innatans in urina. In lib. de ſanit. tuenda, agit de ſanis Galenus. In quibus, inquit, cum humor coctus eſt, apparet nubecula quædam, quam ipſe comparat pingui tudini illi innatanti in ſitu & in ſubſtantia, non uerò in pinguedine ipſa, ut multi hactenus cre-diderunt. Illa item nubecula indicat coctionē perfectam, ut in bilioſis, ueluti cap. 12. li. 1. de criſibus Galenus explicuit.

De prædictione ex vrinis liuidis, & nigris. *Cap.* XII.

COLOR autem liuidus eſt tantum frigidita-tis effectus, ut lib. 1. de criſ. cap. 12. indica-uit Galenus. Proinde eſt maximum uirium im-becillitatis ſignum, ut li. 1. de morb. uulg. ſect. 2. commen. 75. ſcripſit. Quod reſpiciens Hippo-crates ungues, ac digitos liuidos celerem mor-tem præſagire ſcripſit prognoſt. 8. lib. 2. Vnde Philiſcus perijt lib. 1. de mor. uulg. ſect. 3. Item adoleſcentulus, qui in Medacium foro decum-bebat lib. 3. de morb. uulga. ſect. 3. Quo in loco

Galenus inquit, mortis apertum eſſe ſignũ extranearum partium liuorem, ac frigus. Is autẽ color liuidus ſemper malus eſt in febribus, vt Galenus lib.6.de morb.vulga.ſect.1.comm.29. docet. Si vero excrementa liuida abundè excernantur cum virium robore bona erunt, vt Hippocrates apho.47.lib.4.tradidit. Cæterùm vrina nigra ob ſerum bilis atræ vnà cum excremẽtis aquoſis emittitur, vt prorrhetic.4.li. 1. dicit Galenus. Et cap.11.lib.1. de criſ.dixit, eſſe indicium colorem nigrum atræ bilis, aut ſanguinis peruſti. Fit autem vrina nigra, progno. 29. lib.2.Et lib. 1.de criſ.cap.12.aut ob vehementẽ frigiditatem, aut propter exuperantem calorẽ. Si quidẽ igitur prius micta fuerit liuida vrina, deinde ſic nigra fiat, frigiditatẽ cauſam habet. Si verò flaua præceſſerit, & poſteà nigra inuenta fuerit, ab ampliore nimirum caliditate ſuperaſſata nigra facta eſt, vt Galenus cap.23. lib.de vrinis, & Aetius tetrab.2.ſer.1.cap.44.Scire autem operępretium eſt, quòd & in febris quartanæ declinatione, & in melancholici delirij ſolutione vrinæ apparent nigræ, ac craſſæ, quibus ægri liberantur, vt ego millies expertus ſum in ſorore quadam mea, quæ cùm ſępius melancholica fiebat mictu vrinarum nigrarum liberabatur. Splenicis autem vt plurimũ talis vrina mingitur, & liberantur, veluti contigit Herophonti lib.3. de morbis vulgar. ſect. 3. Item in menſiũ

ſupreſsio-

ſupreſsione apparent huiuſmodi vrinæ,& incolumes reddunt mulieres, quibus mulier in Thaſo lib.3.de morb.vulg.ſect. 3. fuit liberata. Et Galenus in com.inquit,Vrinæ vero color, licet eſſet niger,nihil attulit periculoſi, quòd retenti menſes eſſent melancholici. Contingit etiam, vt narrat Heraſiſtratus, vt cùm mulier febribus teneretur, videreturq; iam melius habere, & opinio eſſet,eam cito conualituram, ecce repente vrinæ nigræ ſuperuenerint, quæ inter peſsimas & omnium iniquas numerantur,nullum tamen homini illi periculum impendit,aut corriuatum eſt, quia cum dies purgationis inſtent, nec fiat purgatio,per vrinas excerni, & euacuari humorem (quod fœminæ illi vſu venit) ſaluberrimum eſt. In febribus autem acutis, nunquàm talis vrina non magnum aliquod malum dabit,vt cap.12.lib.1.de criſ.indicat Galenus,& progn.29.32.& 33.lib.2.Hippocrates prius tradiderat. Peſsima igitur,inquit Galenus,eſt omnis vrina denigrata,adeò, vt neminem vnquam ſeruatum viderim ex ijs,qui talem vrinam minxerunt. Minus verò pernicioſa, ſi ſolũ id, quod ſubſidet,nigrum fuerit: atque adhuc minus, ſi ſolum id, quod in medio iacet: ac multò minus etiam nebula. Ratio eſt, quoniam vrina nigra, aut ſignificat frigiditatem interficientem, aut caliditatem vrentem. Vnde inter ſigna lętalia febris ardētis, Hippocrates li.1.de morb. vulg.

ſect.2.tex.75.vrinas nigras, collocauit. Et cum ijs vrinis mulier quædam, quæ apud frigidam aquam in Thaſo ægrotabat, lib.3.de morb.vulga.ſect.3.tex.73.perijt. Item Apollonius Abderæ, cum ijs vrinis quoque obijt, ibidem, tex. 84. Et Eraſinus quoque obijt lib. 1. de morb. vulg. ſect.3. Quòd ſi in eodem libro Hieropytus, & Nicodemus cũ ijſdem vrinis fuerunt liberati: & Galenus de Heropyto inquit, Vnum verò habebat æger periculoſum ſignum, vrinarũ tenuitatem & nigritiem. Item lib.1. de morbis vulg. ſect.3. Meto fuit liberatus, qui per totum morbi tempus vrinam nigram pariter, & tenuem minxit. Item Herophon liberatus eſt, & Galenus in commen. inquit, Hic præter expectationem ſuperſtes fuit, quem, ſcilicet, primis diebus meritò moriturũ ſuſpicatus eſſes: etenim nigra minxit. Item Epicratis vxor cum eadem vrina ſuperſtes euaſit. Et nos etiã ſæpe multos vidimus cum vrinis nigris à principio morbi, in febrib' puncticularibus liberatos, non ſine magna medicinæ laude. Quod reſpiciens Auicenna, prudentiſsimè dixit, lib.4 par.2.ca.85. Scias, quòd non verificatur iudicium de morte, ob nigredinem coloris in vrina in ægritudinibus acutis, licèt in ſeipſo ſit ſignum malum, quãuis aſſocientur ei alia ſigna mala, interim, quod vides virtutem fortem, & potentem facere euacuationes diuerſas. Hæc ille. Quare non eſt mirandum

virtutem

virtutem robuſtam, ac fortem ſigna alioquì lę-thalia ſuperare, & maximè ſi excretiones liuidę ac nigrę confertim excernantur, vt apho. 47. lib. 4. dixit Hippocrates. Si alio modo vrina nigra excernatur, etiam abſque alijs ſignis, pernicioſa eſt, prorrhetico tertio. lib. 2. Et cap. 5. lib. 1. de criſib. Denique vrinæ nigrę in turbulentis, & peruigilibus apparentes, phrenitidē arguūt, prorrhetico. quarto. lib. 1.

De prædictione ex vrinæ conſiſtentia. Cap. XIII.

GALENVS cap. 12. lib. 1. de criſ. diuidit vrinæ conſiſtentiam in tres partes, in mediocrem, tenuem, & craſſam. Mediocris eſt, quæ neque craſſa, neque tenuis, ſed in harum medio exiſtit. Hæc ſemper bonum prænunciat. Quæ ſi nacta fuerit optimum colorem atque contentū, celere iudicium, & futuram ſanitatem prædicit, vt ſuprà de optima vrina oſtenſum eſt. Tenuis autem eſt, quæ à mediocri craſsitudine diſceſſit. Eius autem duæ ſunt differentiæ. Quædam enim tenuis & pura excernitur, ac poſteà ſemper talis permanet. Altera verò tenuis quidem mingitur, at paulò poſt perturbatur. Eſt autem vtraque cruda, ac concoctione vacat: vt Galenus lib. 3. de morb. vulga. ſect. 3. com. 5. in hiſtoria Hermocratis, & lib. 4. de ſanita. tuend. cap. 6. oſtendit. Differunt autem quòd prior nondum

cœpiſſe concoctionem, atque adeò ſummã cruditatem ſignificet, altera verò iam cœpiſſe denotat. Nec enim alia de cauſa conturbatur, niſi quòd flatuoſi cuiuſdam ſpiritus copia feroſo liquori permiſcetur, veluti muſto iam feruenti accidit. Nam idipſum feruens iam perturbatur, adeoq; concoqui incipit. Quapropter praua quoque hæc altera vrina exiſtit, quoniam longiori tempore, & forti virtute, ad concoctionẽ indiget. Licèt autẽ vrinæ ſint tenues, ſi habeant bonum colorem, ob coloris bonitatem ſalutem promittunt, vt Galenus lib. 1. de morb. vulg. ſect. 3. com. 27. ſcriptum reliquit. Qui autem tenuem, crudamq; diutius vrinam mingunt, ſi cętera, vt in cõualituris, indicia fuerint, in ijs abſceſſum ad ſedes infra præcordia expectare oportet, vt progn. 34. lib. 2. tradidit Hippocrates, quæ ſententia fuit comprobata in Pythione, & Hermocrate. Et iterum progno. 65. citati libri confirmat Hippocrates. Et quemadmodum tenuis vrina præſagit futurum abſceſſum, ſic, craſſa, multa, & alba ab abſceſſu liberat, apho. 74. libro 4. Quòd ſi Galenus prorrhetico. 71. lib. 3. agens de vrinis prædicẽtibus abſceſſus, inquit, oportet igitur eas neque prorſum incoctas, neque abſolutè concoctas eſſe, vbi natura abſceſſum molitura fuerit. Non ergo tenues, & crudę vt in prognoſtico dicebat, abſceſſus portendẽt. Niſi eſſet, quòd prognoſticum intelligeretur de

ſecunda

ſecunda differentia tenuis vrinæ, quæ iam concoqui incipit, ideoq́; ex ea præſagitur abſceſſus futurus. Ex relatis tamen prognoſticis Galenus colligit ſequentia præcepta ex natura virium, & humorum ſumpta ad prædicendum.

Vis valida, humores calidi, criſis per euacuationem.

Vis valida humores frigidi, criſis per abſceſſum.

Vis debilis humores calidi, ferè interimit.

Vis debilis humores frigidi, paulatim interficit.

Craſſa vrina eſt, quæ iuſto craſsior eſt, & à mediocri craſsitudine recedit. Hæc ferè ſemper conturbatur, vt Galenus cap. 12. lib. 1. de criſ. docet. Quæ verba repetit lib. 3. de morbis vulgar. ſect. 1. commen. 5. dicens, At enim cum craſſas etiam fuiſſe indicet, nec ſubſediſſe vrinas, planè ſunt illæ ex conturbatis, & turbidis, vt ſolet hic appellare, quæ ſemper turbationem annunciãt multo præditam ſpiritu flatuoſo, vt muſtum. Ferè ſemper dixi, propterea, quòd vrina aliquando craſſa eſt, & boni coloris, quæ ſanitatẽ propinquam denunciat, quippe corpus per illã expurgatur, vt prognoſtico. 32. lib. 2. indicat Galenus. Neque etiam turbata vrina, ſtatim craſſa eſt, quoniam aliquando reperitur vrina multa, & perturbata ſimpliciter, vt lib. 3. de mor. vulg. ſect. 3. comment. 15. Aliquando in febribus vrinæ perturbatæ ſunt, veluti iumentorum, ex quibus dolores capitis vel adſunt, uel aderũt, aph. 70. lib. 4. Et li. 4. de ſanit. tuenda ca. 6. Hunc Ga-

lenus

lenus lib. 6. de morb. vulg. ſect. 5. comment. 15. ſcripſit in hunc modum, Vrinæ quidem iumentorum lotio ſimiles eliquationem non indicāt, vt Sabinus cenſebat: nam in aphoriſmorū explanationibus id genus urinas eorum eſſe explicauimus, in quibus humor, qui crudus uocatur, plurimus abundat, & à calore fuſus eſt. Hinc. n. ipſum in ſpiritū verſum flatuoſas exhalationes ad caput ſubmittere contingit, unde & dolores capitis excitantur. Procreatur autem in vrinis craſsities, aut propter feruorem, & flatū ex feruore natum, Galeno aphó. 69. li. 4. authore. Aut propter bilis & pituitę permiſtionem, ueluti in morbo regio contemplamur. Aliquando propter expulſionem humorum cum urina, ut li. 3. de morb. uulg. ſect. 3. com. 15. dictū eſt. Triplex autem eſt urinarum turbidarū differentia, quia uel cum tales mictæ fuerint, paulò poſt reſidēt, uel ſemper ſimiles permanent, uel puræ quidē minguntur, poſteà uerò conturbantur. Praua quidem ex dictis, tertia: minus autem, prima: media uerò inter utranque ſecunda. Quoniā, quæ ſtatim quidem reſidet, parum aliquid inæqualis turbulentiæ ſupereſſe demonſtrat, quæ uerò ſemper manet ſimilis, uigere adhuc, quæ eſt in ſanguine, agitationem oſtendit: quæ uerò extra conturbatur, debet incipere concoqui: quare optimo iure ea peſsima eſt, nā & longiore tempore, & uirtute forti indiget ad concoctionem

ctionem. Sed quæ turbulenta mingitur, ſtatimque ſubſidentiam bonam habet, morbum haud ita multò poſt concoquendum ſignificat: atque idcircò mitior. Hinc Galenus lib. 3. de morb. vulg. ſect. 1. commen. 5. dixit, Siquidem conturbatæ, ſed dum depoſitæ ſunt ſubſidentes, conco ctionis alicuius indicant initium, potiſsimum vbi illico ſubſidant. Et apho. 70. lib. 4. inquit, Nonnullæ igitur tales vrinæ longo tempore ma nent perturbatæ, nonnullæ verò citò ſedimen craſſum habent, & citò morbum ſolutum iri ſignificant. Et lib. 4. de ſanita. tuenda cap. 6. idem Galenus repetit. Ex quibus verbis, non eſt colligendum, perfectam adeſſe coctionē, licèt mor bus eat ſolutū, ſed eſſe coctionis initiū, ex quo ad ſolutionem morbi peruenitur: & quantò ſub ſidētia celerior fuerit, tantò ocyor erit ſanitas. Illud autem aduertendum eſt, quòd licèt tenuitas ſemper ſignificet cruditatem, craſsities autē aliqua coctionis initium; ſi conferatur craſſum in vniuerſum tenui, ſemper craſſa vrina tenui eſt pferenda: aliqua tamē craſsities magna ſcilicet eſt tenui exitioſior, ideo Hippocrates prognoſtico. 32. lib. 2. damnat craſſam vrinam ſi cū nigra coniungatur. Vrinam nigrā, inquit Galenus, quò fuerit craſsior, eò deteriorem haberi obſeruauimus. Medio autem loco ſe habet ſecunda vrina: nam ea, vt quæ vigente fit conturbatione, quantum malitia differt ab ea, quæ adhuc

huc futuram perturbationem ſignificat, tantum ſuperat eam, quæ iam quieſcentem obtinet, vt Galenus cap. 12. lib. 1. de criſib. inquit. Et apho. 70. lib. 4. ſic ait, Quæ verò non reſident (deturbatis loquitur) ſi vires affuerint, longum fore morbum oſtendunt, ſi imbecillitas adſit, ægri mortem prænunciant. Quid ſi conturbatio manens fiat à frigore externo? Diſtinguetur vna ab altera, quoniam quæ conturbata mingitur non clareſcit ad ignem, veluti ea, quæ à frigore conturbatur: ideoque illa mala eſt, propterea, quod conturbatio non ab agente innato calore, ſed à vincente febrili generatur: & ſi lethalis fuerit, nunquam ſubſidebit. Vrina autem, quæ tenuis mingitur, & poſteà foris turbatur cruda eſt propter flatus craſsi redundantiam. Indicat autem naturam incipere concoquere. Hæc de turbatis vrinis. Craſſa ſimpliciter vrina exceſſum abundantiamve materiæ & humorum ventriculum, inteſtina, & iecoris cauas partes implentium oſtendit. Hæc ſi in febre ſpectetur, vbi tenuis præceſſerit, ſtatim futuram declinationē monſtrabit. Nāque hoc caſu videtur natura ſuperaſſe materiam. Proinde eò melius, ac tutius, quò citius, vel plus craſsitudinis inerit, ſymptomata diſſoluentur, naturales excretiones augebuntur, vrinæ ad proprium colorem & cōſiſtentiam reuertentur. Si verò vnà cum febris acceſſione vrinæ craſſæ apparuerint, quæ aut ſemper

aliquid

aliquid craſsitudini addant, aut ſaltem non attenuentur, conijcere oportet virtutis imbecillitatem, & humorum multitudinem, ita vt metus nõ exiguus ſit, ne natura penitus ſuperetur, & occumbat. Si verò iterum tenuetur, cum melioribus coloribus, remiſsio expectanda eſt. Cęterùm craſſa, & alba vrina maximam crudorũ humorum copiam indicat. Atque hæc aliquando in laborioſis febribus apparens abſceſſu liberat, quemadmodum hiſtoria quadam lib. 6. de morbis vulg. ſect. 4. tex. 2. Vrina craſſa alba, qualis Archigenis, in laborioſis quartanis interdũ exit, & liberat ab abſceſſu. Craſſa & lactea in fine veniẽs, calculos in veſica, vel renibus oſtẽdit. Craſſa & ſubrubea, maximè ſi talem ſubſidẽtiã habuerit, longos portendit morbos, & à periculo immunes, vt ex progn. 27. lib. 2. dictum eſt. Indicat enim optimi humoris, nempe ſanguinis, non exquiſita ratione confecti abundantiã, adeoq; ſine periculo eſt, tamen quia ad concoctionem longiori tẽporis ſpacio eget, ideò diuturniorem quoq; fore morbũ ſignificat. Craſſa & rubea ſanguinis copiam monſtrat, veluti incontinentibus. Craſſa, & nigra, melancholici humoris vacuationem, præſertim, vt dictum eſt, in declinatione quartanæ & melancholiæ apparuerit, oſtendit.

De

De prædictione ex vrinæ contentis. Cap. XIIII.

TRIA contentorũ genera in vrina exiſtunt. Quod in imo conſiſtit, Sedimentum, ſubſidentia, & ſubiectũ nominatur; quod in medio ſublimentũ, ſuſpenſio, & ſublime: quod in ſummo nubecula appellatur, vt prog. 26. lib. 2. Vbi quoque aduertit propriè nubeculam appellari, quod in ſumma ſuperficie vrinæ natat, & ipſum ſemper in libris de criſibus, & alijs hoc verbo ad hanc rem ſignificandam vti, licèt Hippocrates aliquando ſublimamentum, nubeculam appellet, vt prog. 29. & 36. lib. 2. & lib. 3. de morb. vulg. ſect. 1. com. 4. Et ſi penitiùs Hippocratem inſpiciamus, nõ temerè locutum fuiſſe, inueniemus: ſiquidem quod craſſum eſt ſublimamentum nominat, quòd verò tenue, nubeculam. Rationem diuerſitatis horum contẽtorum iam in retrò dictis aperuimus. Reliquum eſt, vt ſingulorum ſignificationes oſtendamus, quò illis ad prædicendum Medicus commodè vti poſsit. In contentis autem haud ſecus atque in vrinæ liquore tria ſunt conſiderãda, nempe color, ſubſtantia, & quantitas: de quibus à colore orſi, ordine diſſeremus. Quæ igitur vehementer alba ſunt, hæc aut pituitoſi humoris ramenta ſunt, aut pus ſummè concoctum, quod ab aliqua parte interna laborante ſecretum eſt. Et ſi ſit prius

album,

album,& ſupremam regionem occupet, læueq; ſit,nondum æquale: imò hodie coctum ſit,cras minimè,tale imbecillitatem oſtendit, atque nõ valere omnino ex æquo materiam coquere. Etenim vrinę cruditas,& concoctio alternantes aliquos indicabunt humorum concoqui, aliquos permanere crudos,vt lib.1.de morb.vulga. ſect. 3.com. 23. Galenus prodidit. Quæ autem mediocriter alba ſunt,hæc ſanguinis probè concocti excrementa exiſtunt. Subpallida, & pallida minus bona ſunt: veluti ea, quæ à colore, qui ſecundum naturam eſt, declinant. Flaua etiam mala ſunt, vt quæ exauctam eſſe in ſecunda coctione flauam bilem indicant. Subrubea & rubea cruditatem quandam, & defectum coctionis,adeoq; morbi diuturnitatem innuunt. Viſuntur etiam interdum propter ſanguinis multitudinem: aut quia retentrix facultas præ imbecillitate optimos humores effluere ſinit. Cruenta non elaboratum omnino eſſe ſanguineum humorem,præſertim ſi copioſa ſint,ſignificãt. Viridis,liuida, & nigra omniũ peſsima ſunt. Mortificationem facultatis vitalis, aut melancholicum humorem,qui vel aliundè in venas confluxit,vel in ipſis genitus eſt, ſignificat. Orobea, hoc eſt,eruo excoriato ſimilis, tũ apparet ſubſidentia,vbi abſumpto iam adipe, caro conſumi cęperit. Significat itaque vel vniuerſi, vel renũ duntaxat colliquationem. Si enim febribus ta-

lis

lis apparuerit ſubſidentia, vniuerſum corpus: ſin citra febrem renes tantum liqueſcere indicat. Præterea, inquit Galenus cap. 12. lib. 1. de criſ. Si vel farinæ hordei craſsiori, vel ſquāmis, vel furfuribus ſimiles ſubſidētias habuerit, vel nigras, vel virides, vel liuidas, vel fœtidas, præter id, quod quęcunque tales ſunt, cruditatem habent, etiam aliquæ ſunt pernicioſæ. Nam farinæ hordeaceæ craſsiori ſimiles, duarum ſunt diſpoſitionum indicia, grandis ſcilicet colliquationis, & caliditatis æſtuoſæ, quæ ſanguinem adurit. At, quæ ſquammas repræſentant, ſunt vaſorum partes ſuperficiales, quæ ſcilicet, omnino reſoluuntur, ac colliquantur. Ita & furfureę: præterquam quòd quantū hæ craſsiores, ac minores ſunt, tantum ſquammis ſimiles, latiores, ac tenuiores his ſunt. Nigræ verò ſubſidentiæ, vel excedentem caliditatem, atque igneam oſtēdunt, vel ex frigiditate vehementi extinctionē. Sic enim & extrinſecus noſtri corporis partes nigro affici colore videmus, partim ſcilicet ex nimio calore, vt qui ſe ſoli æſtiuo expoſuerunt: partim ex vehemēti frigore, & ueluti mortuas, quemadmodum in ſenibus, aut quibuſcunque alijs ſupra modum refrigeratis. Hæc Galenus ex Hippocrate prog. 28. lib. 2. Particularius de vrina referente ſedimentū ſpeciem farinæ craſſioris, agit Hippocrates apho. 31. lib. 7. Et lib. 3. de morb. vulga. ſect. 1. in hiſtoria illius, qui in

Dealcis

Dealcis horto iacebat. & lib. 1. eiuſdem operis ſect.3. in hiſtoria Sileni. De furfurea autẽ agit Hippocrates apho.77.lib.4. Hactenus de cõten torum colore: nunc de ſubſtantia eorum dicendum. Contentorum autem quorundam ſubſtãtia mediocris, aliorum tenuis, nõnulliorũ craſſa. Vrinarum nãque, quę ſecundum naturam ſunt, contenta conſiſtentia ſunt mediocria, alba, leuia, & æquabilia. Tenuia cõtenta, quæ pura ſunt, neque facilè matula cõmota aſſurgunt, magnam naturæ in ſecunda decoctione imbecillitatem indicant. Ferè enim cum albis, & aqueis vrinis apparent. Præterea, tenuia contenta. Crudos etiã humores, ſed attenuatos monſtrant. Siquidem natiuus calor roboratus omnem intra venas ex cruditate craſsitudinem attenuat & diſsipat. Craſſa verò contenta, craſſorum, atque crudorum humorum in uenis copiã denotant. Talia quoque interdum à iudicatione apparent, at qui à prioribus differunt, quòd, ſcilicet, nullum malum colorẽ habeant, & à vigore morbi appareant. In principio namque & augmento tanquam praua ſuſpecta eſſe debent, præſertim ſi colores mali acceſſerint. Peiora autem contenta viſcida & mucoſa ſunt, quapropter in vrinarijs inſtrumentis quandoque detenta, non paruum homini dolorem afferunt. Quinetiã puri ſimilia ſunt, viſcoſitate tamen, & quod malè non oleant, à purulentis diſtãt. Pus,

L quum

quum & ipſum viſcidum aliquid habeat, digno ſcitur tamen, quod dolor laborantis loci præceſſerit, ſanguinemq; prius mingi contigerit. Quid etiam ex locis contentorum ſit prædicendum, dicendum eſt. Subſidentia, quæ ad fundũ matulæ ſedere uidetur, nihil noui ſignificat. Cruda uerò atque diuerſa ſpecie, prauitatẽ naturæ: diuerſa uerò partium poſitione, oſtendit ſegnitiem ipſius minus aſſurgentis aduerſus rebellionem humorum nocentium, ità, ut opus ſit & tempore & robore. Quod uerò leue, tenueque tertium contentorum locum occupauit, nõ mediocrem capiti læſionem adeſſe ſignificat, habens rationem inter contenta nubium. Sublimia ſi praua ſint, loci tamen differentia modeſtiora ſunt, quàm quæ ipſis ſubſident: ſin alijs rationibus bona fuerint, tum loci ratione ſola recedunt à perfecta bonitate, quòd à ſpiritu adulterino leuia redduntur. Nubium quæ bonæ ſunt, omnino qua nubes ſunt, non parum ſi receſſerunt verſus diſtantiam à loco, qui eſt ſecundum naturam, multo quoque indigent tempore. Quæ verò prauæ ſunt, eò modeſtiores videntur reliquis, quo magis abſtiterunt à loco, qui ſecundum naturam eſt, quique ſubſidentijs ſecundum naturam debetur. Bona contenta, quò inferiùs deſcenderint, fundo tamen excepto, eò meliora. Praua contenta, & quæ ipſis inſunt, quò ſuperius cõceſſerint, eò minus mala.

la. Vbi contenta, quæ ſecundum naturam ſe habent, fuerint ad ſuperficiem vrinæ multo ſpiritu euecta, prauus in capite, neque is quidem exiguus, affectus continetur. Sic in ſublimibus affectum noſces adeſſe per partes corporis ſimili poſitione habentes, habita proportione totius altitudinis vrinæ ad corporis altitudinem. Hæc autem ſunt hypocondria, viſcera, & thorax. Spiritus, qui cum vrina excernitur circa primam concoctionem genitus, ſi tenuis fuerit, & quantitate mediocri, bullas quaſdam inflat in vrinæ ſuperficie, mox autē refrigerata vrina diſsipantur. Sin craſsior & maior ſpiritus ſit, bullæ non ſtatim diſſoluuntur, ſpirituum potius in ventre generatorum ſigna. In crudis & incoctis humoribus, ſi contenta apparuerint concocta, multis ſpiritibus generatis ſublimantur, multo calore multam materiam denſatam diſſoluente. Vbi verò iam à natiua caliditate domita fuerit materia cruda, paulatim deſcendunt contenta. Spiritus alienus quò fortior fuerit, eò magis verſus ſublimes partes materiam propellit. In ſumma altitudo vrinæ, corpori proportione reſpondet, ideoq; ad quas partes latitudinis vrinæ declinauere contenta, eas in corpore affici indicio ſunt.

Quid ex vrinæ quantitate, & contentorum prædicendum ſit. Cap. XV.

VRINAM iuxta potionis copiam mingere oportet, & ſemper æqualem, & quàm maximè aceruatim & momento paulò craſsiorem, quàm id, quod potu acceptum eſt. Si autẽ vrina fuerit aquoſa, & copioſior, quàm pro eo, quod bibi imperatum eſt, ſignificat hominem non obedire, ſed copioſiore vti potu, aut nõ poſſe renutriri, quãdiu talem vrinam faciunt, vt Hippocrates lib. 2. præd. ſcriptum reliquit. Vrina autẽ multa interdũ nihil boni ſignificat, quòd nonnunquam abundantis in corpore ſeroſi humoris, ſint vrinæ ſymptomata, lib. 3. de morb. vulg. ſect. 3. com. 41. Multa etiã vrina erit, ſi aluus natura ſicca fuerit. Nã ſi aluus, præ malo, quod illi accidit, excrementa, quæ aliàs ſecundum naturam ſe habente homine ad eam deferuntur, vacuare haud poterit, ad vrinæ meatus, tanquã vicinum illi locum, impetu facto transferũtur. Atque hoc eſt, quod Hippocrates aph. vlt. lib. 4. dixit, Mictio noctu copiosè facta, exiguam deiectionem ſignificat. Multum quoque redditur vrinæ, propter vſum medicamentorum vrinam cientium in hydrope, præſertim anaſarca, multa quoque vrina redditur, quòd habitus totius corporis aquoſo ſanguine refertus ſit. Multum etiam

etiam mingitur, vbi reliquarum corporis vacuationum, maximè ventris deiectio, nulla præceſſit. His enim omnibus impeditis, vt ad vrinæ loca detrudantur eſt neceſſe. Contrà, pauca vrina mingitur ob ſicciores cibos, potus paucitatem, vehemens exercitium, & id genus alia, quæ corpus quomodolibet exiccare conſueuerunt. Itē, propter cibaria, & medicamenta lentore participantia, atque vrinæ meatus obſtruentia. præterea propter humorum craſsitiem, & tenuitatem obſtruere potentium, & propter alui multam deiectionem. Cum enim natura omnia totius corporis excrementa per conſueta vacuationis loca excernat, ſi fortè alter alterũ vacuatione ſuperauerit, vt per alterum minus vacuetur neceſſe eſt. Febris etiam vehementia cauſa eſt, cur paucior exeat vrina. Hæc enim omnem corporis humiditatem abſumit, vt hoc nomine per vrinam multa excerni nō poſsit. Poſtremò, ob excretricis, quæ in renibus cæteriſq; vrinæ excretioni famulantibus vaſis eſt, facultatis imbecillitatem, quæ functionem ſuā obire nequit. Item ſi contenta quantitate mediocria fuerint, probantur. Sin multa, vt multum nutrimentum corpori diſtribui, ità robur quoddam alteratrici facultati adeſſe monſtrant. Nam quando multa eſt elaboratio naturæ circa alimentum, multa quoq; fieri excrementa eſt neceſſe. Sæpe etiā accidit, vt quæ per cutis, aliosq; corporis mea-

tus excrementa tranſeunt, cõſuetis vijs præcluſis, ad veſicam regurgitent, augeantq́; excremẽta. Pauca verò contenta, vel ob inediã, vel exercitia, vel obſtructiones, vel tardas cõcoctiones redduntur. Si enim alimenta deficient, quod per inediam accidit, excrementa quoque deficere oportet. Exercitia verò excrementa attenuant, & vt per latentem tranſpirationẽ diſsipentur efficiunt, vt hoc nomine pauca eſſe contenta neceſſarium ſit. Obſtructiones autem, vt tenuia tantum tranſeant, & craſſa remorentur, & adhæreant, efficiunt. Per tardas autem concoctiones pauca fieri contenta, notius eſt, quã vt multis doceri debeat. Tenuia contenta quantacunque ſint, caloris natiui debilitatẽ, vt contenta hoc nomine ad mediocritatẽ peruenire nequeant, indicant, aut crudorũ humorum, roborato natiuo calore, attenuationẽ. Vbi enim materiæ craſsitudinem attenuauerit, diſsipaueritque, eiuſmodi contenta apparere eſt neceſſe. Quod ità cognoſces. Nam ſi modicè matulam vacuaueris, ipſa contenta citò eleuantur, atque leuitas diſsimilis redditur. Non facilè autẽ eleuantur quæ ex caloris debilitate fiunt. Contenta multa, aut craſsiora in morborum initijs atque augmentis, præſertim ſi febris non contemnenda adſit, humorum copiam arguunt, quæ ad concoquendum firmitate virtutis, tempore, & fortuna bona indiget. Conijcies autẽ inde an-

guſtias meatuum eſſe circa thoracem, vtpotè ar ctato à multitudine humorum ſepto tranſuerſo. In vigore autē febris, & declinatione, contenta illa ſalutaria, & bona ſunt.

Quid ex innatantibus in vrina ramentis, capillis, & alijs corpuſculis in vrina ſparſis prædicendum ſit. Cap. XVI.

RAMENTA interdum in vrinis ſubſident crematos ab vrente calore humores indicantia. In vrina quoque capillis ſimilia natare ſolent, quæ renum vehementem calorem, aut craſſorum ciborum, caſei nimirum, & eruorū vſum ſignificant, vt apho. 76. lib. 4. oſtendit Galenus. Capilli autem illi, in ijs vaſis potiſsimum procreantur, quæ à renibus ad veſicam deſcendūt, adeò vt quāta vaſorum internorum longitudo eſt, tanta humoris ſpiſsitudo, & aſſatio fiat, quę capillis ſimiliter extenditur. Nuper autem, inquit Galenus, quidam talia corpora tam longa mingebat, vt incredibilis longitudo videretur: nam quædam ex ipſis ad dimidium cubitū extendebatur. Hic verò toto ferè anno, qui anteceſſerat, in vſu cibario habuerat orobum, & fabam, & ſępiſsimè caſeum tenerum, ac ſiccum. Et talia mingere contigit alijs omnibus, qui cibis craſsioribus veſcebantur. Tali igitur humore in renibus quodāmodo vſto, capillis ſimiles

ſubſtantiæ generantur. Quibus ſanè verbis perſpicuè Galenus docet, in renibus hos capillos, viſo ſcilicet, in eis craſſo humore, generari. Quinetiam paulò poſt capillos hos in renibus accipere conſiſtentiam ſcribit. At lib. 6. de locis affectis ca. 3. ipſe Galenus in venis hos capillos procreari videtur innuere, cũ inquit. Ea vero, quæ pilis ſimilia ſunt, Hippocrates quoq; cum vrinis excerni vidit, quemadmodum in aphoriſmis ſcripſit: ac ipſi etiam uidimus aliquando, quæ ſemipedis longitudinem æquarent, interdum etiam ijs longiora. Quæ nonnunquam adeò videbantur exigua, vt mirarer, quomodo in renum ſpacio talia poſſent conſiſtere: proinde ꝓbabiliùs mihi videbatur in venis huiuſmodi res procreari. Et paulò poſt. At, vbi pilos meiendo excretos vidi, tum ex colore, tum ex mole credidi dicentibus eos ex craſſa, lentaq; materia, quam calor calefecit, exiccauitq; in uenis conſiſtere: quãquam longitudinis ipſorum cauſam non intelligo. Reſpondendum eſt, materiam capillorum in uenis generari, conſiſtentiam uerò ac formam in renibus, vnde nulla eſt in dictis Galeni controuerſia. Aliquando ueluti carunculæ in urina natant, quæ ut lib. 6. de locis affectis cap. 3. Galenus atteſtatur, renũ exulcerationem oſtendunt. Id quod Hippocrates apho. 76. lib. 4. ijs confirmauit uerbis, Quibus cum urina craſſa carunculæ paruæ, aut ueluti ca

pil li

pilli unà exeunt, ijs à renibus excernitur. Si fur furea quædam exeun tcum urina, ueſicæ, uel uenarum, uel urinariorum meatuum ſcabiem indicant. Quæ ita diſtingues. Si tenuis fuerit urina, uenarum ſcabies notatur, quarum certè tunica ob febris uehementiam laborat. Si uerò craſſa, ueſicæ tunica ſignificatur. Hinc Hippocrates apho. 77. lib. 4. ſcriptum reliquit. Quibus cum urina craſſa, furfurea quædã ſimul exeunt: ijs ueſica ſcabie laborat. Quicunque repentè ſanguinem mingunt, his in renibus uenulæ ruptionem ſignificat. aph. 78. lib. 4. Sanguinẽ mingere rarò quidẽ, & ſine febre ac dolore nil mali ſignificat. lib. 2. de prædict. Quibus in urina arenoſæ ſunt ſubſidentiæ, his ueſica calculo laborat, apho. 79. lib. 4. Si ſanguinem, & pus, & ſquamulas mingat, grauisq́; odor fuerit, ueſicæ exulcerationem ſignificat, aph. 81. Et lib. 6. de locis affectis cap. 3. Item fœtidus urinæ odor, & grauεolentia, putredinem maiorem, aut minorem proportione ſignificant. Pus autem ubi fuerit, euidens alicuius internæ partis exulcerationis ſignum exiſtit. Et ſi progreſſu temporis fœtor, ac pus minuantur bonum eſt: ſin augeantur, malum. Si fœtori pus non fuerit coniunctum, alicuius particulæ mortificatio portenditur, ut in prædictione ex pure latius dicetur.

De

De prædictione ex ſudoribus. *Cap. XVII.*

HIPPOCRATES prognoſt. 26. lib. 2. quinque ſudorum genera, ad prædicendum in morbis acutis depingit, optimos, bonos, inutiles, peſsimos, malos. Optimos ſic deſcribit, Sudor optimus eſt per omnes acutos morbos, ſi per diem euenit decretorium, & integrè ſedat febrem. Ijs uerbis ſolùm duo requiſita optimi ſudoris tradidit, unum eſt: fieri in die decretorio, & alterum, integrè febrem ſedare. Talem ſudorem paſſus eſt Pericles lib. 3. de morb. uulg. ſect. 3. tex. 77. qui quarta die ſudauit copioſè, & à febre omnino liberatus eſt. Anaxion quoque die uigeſima ſudauit, & remiſit febris. Itẽ Nicodemus, & illa mulier, quæ in Thaſo decumbebat. Et lib. 1. eiuſdem operis Herophon, Cleonactides, Meton, & alij, qui in diebus iudicatorijs ſudarunt, & à febribus ſunt liberati. Hinc optimè dixit idem Hippocrates apho. 36. lib. 4. Sudores febricitanti ſi incęperint, boni, tertio die, & quinto, & ſeptimo, & nono, & undecimo, & quartodecimo, & ſeptimodecimo, & uigeſimoprimo, & uigeſimoſeptimo, & trigeſimoprimo, & trigeſimoquarto. Hi enim ſudores indicant morbos. Cæterùm Galenus uidetur huic prognoſtico aduerſari. Quippe, qui apho. 20. lib. 1. Et cap. 3. lib. 3. de criſibus, plures alias cõditiones

ditiones optimæ criſis tradidit, ſine quibus optimam fieri criſim negat. Primùm enim, inquit, melior eſt iudicatio, quæ fit per euacuationem inferiorem, quàm quæ per abſceſſum: deinde per quam humor noxius, aut redundans, quàm per quam alius quiſpiam euacuatur: tertio loco, quæ recto fit tramite, quàm quæ non recto, ſic enim ipſe appellat, quæ recto fit ductus, & poſt has, quæ facilè toleratur, deinde quæ cum coctione & decretorio die. Hæc enim omnia adeſſe conuenit, perfectæ iudicationi: cui ſi quid horum deſit, vel plura, neque abſoluta, neque integra fuerit iudicatio. Quod ſi hæc vera ſunt ad optimam iudicationem, duæ conditiones ab Hippocrate traditæ, non ſat erunt. Primum reſpondeo Galenũ loqui de criſi, quæ fit per locum peculiarem, ideò tot requiſita eſſe neceſſe ad optimam criſim docuit. Hippocratem verò de criſi generali, & totius corporis, qualis eſt, quæ per ſudorem fit, quæ vt optima dicatur, illis dũtaxat duabus conditionibus indiget. Deinde dicendum mihi videtur, ſub ijs duabus, alias omnes contineri, quæ ad ſudorẽ ſpectant, vt Galenus in expoſitione prognoſtici innuere vult. Inſtabit tamen nõ temere quiſpiam, ex dictis ſequi, vnam ſolùm conditionẽ ſufficere, nimirum febris ablationem: quoniã, ſi hæc adfuerit, nil aliud expectabimus. Reſpondeo imò expectari, vt in die iudicatorio fiat ta-

lis criſis, ne iterum morbus reuertatur, & ideo ſignum infidum exiſtimat talem febris ablationem eſſe, niſi in die iudicatorio accidat. Quod reſpiciens Hippocrates apho. 27. lib. 2. inquit, quę non ex ratione leuant, his fidendum nõ eſt: quia recidiuam facere conſueuerunt. Et progn. 22. lib. 3. ſcripſit, Si quibus febris deſinit, nõ cũ indicijs ſolutionis, neq; in diebus decretorijs, recidiuam expectare. Et prorhet. 17. lib. 2. pernicioſa, dixit, ſine ſignis leuantia mortem indicant. Et hæc eſt cauſa cur Galenus inter requiſita optimæ criſis non enumerauit ablationem febris, quoniam potius cõſiderabat criſis cauſas, quàm eius effectum, qui aliundè prouenire poterat, idcirco eum deſpexit. In commodis igitur ſudoribus has limitationes oportet conſiderare, vt inquit Galenus prorhetico. 21. lib. 3. vt ſi ex morbi coctione fuerint, ſi per vniuerſum corpus, ſi diebus iudicatorijs, ſi febres & ſymptomata ſedauerint. Si fortè obijcias ſudorem potius eſſe laudandum in die non iudicatoria, propterea, quòd maius robur naturæ præſagiat, cùm eo die ſuffragio caruerit, die, nimirum naturam ipſam auxiliante: reſpondendum eſt imò potius imbecillitatem virium prædicere, ac ſignificare, quoniam expectare minimè potuerunt. Hæc de optimo ſudore. Bonus etiam eſt, inquit Hippocrates, ſi ex toto corpore prodeat, faciatque; vt æger ferat faciliùs morbũ. Addit

quoque

quoque Galenus, vt in die iudicatorio fiant, in quo natura imperfectè iudicauit, & non abſolutè, ac perfectè, vt in optimo. Si autem ſudor eueniat & non in die iudicatorio, ſi ex eo leuetur æger, dicetur non malus, vt Hippocrates prorhetico. 22. lib. 3. aduertit. Videtur autem Hippocrates apho. 38. lib. 4. Sudorem particularem laudare, cùm inquit, In qua parte corporis ſudor eſt, ibi ſignificat morbum eſſe, vt videmus optimo euẽtu contingere in podagra, chiragra, capitis dolore, ventre, & alijs: nã veluti, quando per totum animalis corpus extẽditur, ex toto eſt neceſſe, vt æqualis fiat euacuatio: ſic quando in parte, particularis ſufficit. Tum, ſubiungit Hippocrates ſudorem inutilem, dicens, Si vero nihil tale efficiat nequaquam vtilis eſt: ideſt, Si verò in die decretoria ſudor fiat, qui neque ſedet febrem, neque morbum leuet, inutilis ſanè huiuſmodi ſudor eſt, quoniam iudicatoria, quæ non iudicant partim difficulter iudicãt, partim verò lethalia ſunt, vt exemplo ſudoris non minuentis febrem, declarat Galenus prorhetico. 33. & 34. lib. 2. Illud autem declarandum in hoc loco erit, quando decretoria non iudicantia erunt lethalia, & quando difficilia: quod non ab alio, quàm à Galeno erit petendum. Is enim prorhet. 35. lib. 3. Et lib. 1. de morb. vulg. ſect. 3. cõm. 18. in hiſtoria Philiſci, hoc ipſum explicat, inquiens, Præſtat autem hoc loco, quando ſint lethalia,

lethalia, & quando non iudicabiles faciãt morbos, definiuiſſe: id quod ab Hippocrate ipſo eſt demonſtratum. Quæ namq; ex iudicatorijs nihil iuuant, ſunt iudicatu difficilia: quæ verò etiam in contrarium repunt, ſunt lethalia. Ex quibus conſtat Hippocratem in hac prognoſtici parte loqui de iudicio difficili, quod inutile appellat: alterum autem lædens eſt: differt autem maximè ab inutili lædens, vt optimè Galenus prorhetico. 58. lib. 2. explicauit. Sudor etiã multus, inquit Hippocrates prorhetico. 23. lib. 2. ſi cum febribus acutis fiat, inutilis. Et Galenus in cõm. inquit, Ad nomen, multus, mentem potiſsimum conuerte: quoniam ſępius, qui in acutis aſsiduè ſudant mediocriter, quãquã cun ctentur quidem trahantque, non tamẽ moriuntur. Si verò multus fuerit ſudor, qui febrem nõ ſoluat, quòd ægri virtus cito exoluetur, liquidò oſtendit. Si autem ſudor fuerit paucus, vel interciſus prauus eſt: quoniã Galeno teſte prorhetico. 1. lib. 1. ſudores, qui cœperint quidem, ſed protinus ceſſauerũt, praui ſunt, ſatius enim fuiſſet, non cœpiſſe. Sudores autem peſsimi ſtatim depinguntur ab Hippocrate, cũ inquit, Peſſimi verò qui frigidi ſunt: & qui circa caput tãtummodo eueniunt, vultum, & ceruicem. Hic. n. cum acuta quidem febre, mortem: cum mitiore, morbi longitudinem indicat, & qui per totũ corpus fiunt, ſimiliter ſignificant hi, vt qui cir-

ca

ca caput. His ſanè verbis tria genera peſsimi ſudoris indicat, frigidus ex toto corpore, calidus ex ceruice, & capite, frigidus ex ceruice, & capite. Primi cauſam explicat Galenus aph. 37. lib. 4. inquirens, quomodo febre calidiſsima hominem detinente, ſudor fiat frigidus. Et reſpondet, humoribus putreſcentibus, oſtenſum eſt febres acutas fieri. Hi verò putreſcũt ſæpius quidem in toto corpore, ſępius verò in vaſis ſolis. Cùm verò aliquando hæc duò contigerint, tum humores, qui ſunt in vaſis, putreſcere, tum eam quæ ſolida corpora regit naturam (quæ ſecundum Hippocratem eſt calor naturalis) vel extingui omnino, vel proximam eſſe extinctioni: quę quidem ex his euacuantur, frigida ſentiuntur: eam verò, quæ fit ex putredine, caliditatẽ, nihil prohibet vehementiſsimam eſſe, atque adeò ſignum exitiale, oſtendens in animalis corpore humorum multitudinem ſuperabundare, tantum habentium frigiditatem, vt neque à calore natiuo, neque à febre calefiant. Hunc ſudorem paſſus eſt Philiſcus lib. 1. de morb. vulg. Et Silenus in eodem lib. Item mulier, quæ decumbebat in mendacium foro lib. 3. eiuſdem nominis. Cauſam verò peſsimi ſudoris calidi in capite, & ceruice declarat Gale. prorhetico. 7. lib. 1. ſic dicens, Cæterùm, cum orationem hanc, in ſudoribus: interdum quoque & de his, qui per totum corpus, ſed exigui effluũt, vtrum in præ-

ſentiarum

ſentiarum dixerit, ſignum bonũ noneſt. Nẽpè, qui per totum corpus ità fiunt ſudores, ſed exigui, quòd non flammeam illam, quæ hypochondrium fatigat, ſoluant caliditatem, ob id boni non ſunt: neque etiam boni ſunt, qui in ſuperioribus oriuntur partibus, cùm geminam ob cauſam fiant, nempe, vel ob languẽtem, vel præ copia grauata facultatẽ. Hinc Galenus in cõm. prognoſtici dixit, hunc ſudorẽ ſyncopen minari. Tertius autem ſudor peior illo eſt, propterea quod non fore ſyncopen, ſed iam incipere indicet. Tanta eſt humoris malitia, & facultatis imbecillitas, vt etiam declarat idẽ Galenus lib. 6. de morbis vulg. ſect. 7. cõment. 5. Et lib. 2. de ratione victus, cõm. 44. Malos inſup ſudores deſcribit Hippocrates dicens, Et illi, qui facti ſunt per totum corpus conſimiliter eis, qui circa caput, & milio ſimiles, & tantum iuxta ceruicem facti mali. Sudor quoque per totum corpus ſine iudicio, malum eſt. Qualem Galenus lib. 1. de morb. vulg. ſect. 3. contigiſſe Eraſino cõmemorat. Denique ſudores, quamuis ægrotantibus cõducere videãtur, attamen & ipſi modò egẽt: immodici enim vires debilitant, vt Galenus inquit lib. 6. de morb. vulg. ſect. 2. cõm. 33. ideoq; corpora extenuant, eodem aph. 28. lib. 2. authore. Hoc intelligendum eſt in ipſis morbis: quoniam in ſana diſpoſitione ſudor multus in ſomno factus abſq; cauſa manifeſta corpus vti pluri

cibo ſignificat. Si verò non accipienti cibũ hoc accidat ſcire oportet, quòd euacuatione indiget, vt ait Hippocrates apho. 41. lib. 4. Et apho. 63. lib. 7. dixit, Sudor multus calidus, vel frigidus ſemper fluens, repletionem humoris eſſe ſignificat: abducere igitur oportet, robuſto quidem supernè, debili verò infernè. Vacuationibus ergo huiuſmodi ſudores ſedandi, id quod in iudicatorijs, licet ſuperflui ſint, nõ faciendũ eſt, vt optimè aduertit Galenus libro De ſectis ad eos, qui introducuntur cap. 9. Sudor autem minor, aut frigidior notat corpus exhauriri, & refrigerari, & ſiccari, ca. 12. lib. 2. de ſanit. tuenda. qui ità ſolet contingere, & propter vitiũ imbecillitatem, & corporis raritatẽ. aph. 41. lib. 4. Reliqua de materia, & natura ſudoris latè diſputatione quinta, lib. 11. da morb. med. diſcuſsimus.

De prædictione ex pure. *Cap. XVIII.*

DE natura puris eiusque generatione multa in libris de morbis medẽdis diximus, nũc ſolùm quæ ad prædicendum ex pure attinent, perſtringemus. Pus, inquit Hippocrates, prognoſt. vltimo lib. 1. optimum eſt, ſi candidum, æquale, læueque, & quàmminimè fœtidũ eſt. Maximè verò cõtrarium huic, deterrimum eſt. Cuius prognoſtici ſingula verba loco citato ex-

plicuimus. Porro æquale pus dicitur, vndique ſibi ſimile; læue, quod tangenti nihil aſperum aut durum exhibet. Album etiam demonſtrat ſolidarum particularum colorem potentiarum digeſtionibus conſeruatum: hinc illud Hippocratis lib. De alimento, vlceribus alimentũ pus. Læuitas autem, declarat Alexander ſect. 5. q. 19. ac nulla aſperitas puris ſignificat concocti humoris æqualitatem: nam aliquatenus quidem craſsius, & aliquatenus tenuis inęqualitatẽ quãdam decocti indicat. Planities autem puris, hoc eſt non diuulſum eſſe, id enunciat potẽtiæ perfectam actionem. Et quàm minimè fœtidum debet eſſe pus, non quod omnino careat fœtore, ſed quòd fœtoris aliquantulum ſit particeps, quoniã abſentia fœtoris indicat vniuerſum calorem naturalem eſſe conuerſum in igneam naturam, nihilque ſupereſſe calidi innati. Etenim febris vehemens & vapòrum eleuatio non neceſſariò ſequitur ad calorem præter naturam, ſed potiùs ad pugnam, & agitationem inter calorem naturalem, & præter naturam. Quapropter putreſcentia citrà copiam caloris naturalis, veluti ſunt fructus, non ebulliunt: & pars gangrenata non dolet: & in falſa declinatione febris ceſſat: & hectica febris non vehementer tactu ſentitur: & extincto calore innato, pus nõ fœtet. Quicunque ſuppurati vruntur, vel ſecantur, ſi pus purum fluxerit, & album, euadunt: ſi

verò

verò ſuberuentum, & fœculentum ac fœtidum pereunt, vt Hippocrates inquit apho. 44. lib. 7. Galen. in cõm. ait, quod quidem pus album, bonum ſit, fœculentum verò, & fœtidum, malum, nemo ignorat. Cornelius lib. 2. cap. 8. Ex iocinore ſi pus cruentum exit, mortiferum eſt. Si in iocinore vomica eſt, & ex ea fertur pus purum, & album, ſalus ei facilis. Id enim malum tunica eſt. Non temerè dixit malum eſſe tunica, quoniam huius ratione pus album expectatur. Pus quoque quacunq; parte erumpit, ſi eſt læue, album, & vnius coloris, ſine vllo metu eſt, & quo effuſo febris protinus conquieuit, deſieruntque vrgeret cibi faſtidium, & potionis deſiderium. Si quando etiam ſuppuratio deſcẽdit in crura, ſputumque eiuſdem factũ pro ruto purulentũ eſt, periculi minus eſt. Celſus lib. 2. cap. 8. Ex ſuppuratis ij maximè ſuperſtites manent, quos febris eodem ab eruptione die dimiſerit, & qui cibos citò appetiuerint, & à ſiti liberati fuerint. Et ſi venter parua, & compacta egeſſerit, & pus album, & læue, & eiuſdem coloris, atque à pituita liberum fuerit, citraque dolorem, ac tuſsim fortè expurgetur. Atque optimè quidem ſic, ac celerrimè liberantur. Sin minus, hi, quibus ꝓxima illis contigerint. progn. 63. lib. 2. Lateris dolor cum febre diuturna, puris eductionẽ fore ſignificat Hippocr. in coacis prænot. Suppuratis pulmonem per aluũ pus ſecedere, letha

eſt Hippocr. in coacis prænot. Ex peripneumonicis ſuppurationibus ſeniores magis pereunt, ex reliquis iuniores: ibidem. At ex ſuppurationibus, hæ peſsimę ſunt, quæ intus tendunt, ſic vt exteriorem quoque cutem decolorēt. Ex his deinde, quæ in exteriorem partem prorumpūt, quæ maximę, quęq́; planiſsimę ſunt, Celſus loco citato. Hippocrates autem progn. 40. lib. 1. Sic dixit, Suppuratio inde prouenieus ita conſideranda eſt. Quæ enim foras vertitur, optima eſt, ſi parua eſt, maximeq́; egreditur, & in mucronem eſt faſtigiata. Si verò magna eſt, & lata, minimèq́; in mucronem contracta, peſsima eſt. Et progn. 41. ita ſcribit, Quæcunq; verò intrò rumpitur, optima eſt, ſi cum exteriori ſede nihil cōmunicat, ſed adducta eſt, neque dolet, & omnis exterior locus vni color apparet. Galenus in commen. huius prognoſtici ità rationem reddit. Conſtat igitur, vt ex his ſuppurationibus indulgētior habeatur, quæ foras non intrò tendit: atque ex his ipſis, quæ nō ampliorem præhendit ſedem, in latitudinem extenta: contrahitur autem, cum in verticem quendam extenditur, coni formulam reddens. Hæc autem ſimul robur foras expellentis indicat facultatis, & itē non magnam corrumpit ſedem corporis, quod erodit. Cæterum, ſiue in mucronem faſtigiata, ſiue in gibbum ſubducta legatur, nihil intereſt. His adde, quòd abſceſſus fiunt per criſes, vt in-

dicat

dicat Galenus lib.6.de morb.vulg.ſect.3.comment.11.Criſis autẽ ad partem exteriorẽ commodior eſt, & cõuenientiorem habet locum ad remedij diſpoſitionem. Neq; minus laudantur acuminata tubercula, quam ipſi tumores: vtraque.n.indicant robur expultricis facultatis, & naturæ integram victoriã, Gale. lib.6.de morb. vulg.ſect.1.cõment.13. authore. Quòd ſi obijcias ex Galeno lib.de inęqual.intemp. cap.3.dicente, optimum eſſe abſceſſum vẽtriculi, qui in ſinum eius internum abijt, in quem etiam plerunque ſe aperiunt: dicendum eſt, ibi conferre apertionem internã ventriculi ad eam, quæ ſub peritonęum fit, & cum vtraque mala ſit, melior eſt interna ventriculi ob commodiorem locum fluxus, quo peritonæum caret. Dum pus conficitur, dolores, ac febres accidunt magis, quàm iã confecto, aphor. 47. lib. 2. Si pus aut ſanguis in vrina eſt, vel veſica, vel renes ęxulcerati ſunt, aphor.81.lib.4. Pus exiens per nares, aut os, aut aures dolenti caput morbus ſoluitur aphor.17. lib.6. Si pus, aut aqua vniuerſi effluxerit ijs, qui ſuppurati, aut vruntur, aut ſecantur, omnes moriuntur. aphor.27.lib. 6. Cum verò ſputum retinetur, moriũtur, apho.16.lib.7. A ſanguinis ſputo, puris ſputum malum aphor.15. ibidem. Puris ſputo phtiſis, & fluxus.

DE OPTIMA PRAEDICENDI RATIONE, LIBER III.

LVDOVICO LEMOSIO AVTHORE.

De ſignis ſalutis, & mortis. Cap. I.

RELIQVVM iam eſt, vt de ſignis ſalutis, & mortis dicamus, quæ non ſunt adeò certa, vt ſigna coctionis, neque adeò infida, vt ſigna decretoria: verùm bona ex eis ſemper ſunt bona, & mala ſemper ſignificant malum: neque proinde argumentum, quod ex ipſis ſumitur ſemper eſt certum, vt iam retrò dictum eſt. Mente igitur conſtare, atq; ad ea, quæ offerũtur, benè ſe gerere, bonum: bonũ etiã facilis anhelitus, & facilis tolerantia, & pulſuum bonitas, & facies ſimillima ſanis, decens accubitus, & totius corporis ęqualitas, & quæcunque alia Hippocrates in prognoſticis ſcribit. His contraria, mala, hoc eſt, diffi-

cilis

cilis tolerantia, pulſuum malicia, & ſpirandi difficultas, & maximè quæ per frigidi ſpiritus expirationem fit: atque alia multa, quæ in prognoſticis ab Hippocrate dicta ſunt, manifeſtè definiente ſigni cuiuſque potentiam. Quęcunque enim ſimpliciter bona, & mala nominat, ſępius talia exiſtunt, vt inquit Galenus ca. 14. lib. 1. de criſ. Et Hippocrates prognoſt. 56. lib. 2. Neque omnium ſignorum æqua dignitas exiſtimanda eſt, lib. 3. de criſ. cap. 3. Ideò eorum numerũ ac poteſtatem conſiderare oportet, prognoſt. 55. lib. 2. Et lib. 4. de ratione victus. comment. 60. Quoniam verò neque ſignum vllum ita fidele eſt, vt exquiſitè oſtendat ſingula ex futuris temporibus: ſed neque, quæ ſecundum concurſus quoſdã ſigna ſunt complicata, ſola poſſunt experientia iudicari (multi enim numero hoc pacto concurſus fierent, adeò vt nemo eos poſſet enumerare, neque obſeruare, neque memoria tenere) idcircò neceſſarium eſt ſigni cuiuſque naturam exquiſitè cõſiderare, ſi quis vult rectè pręcognoſcere, vt ex vi vniuſcuiuſque præcognitionem faciat. Neque enim quæ plurima ſunt, illa omnino paucioribus ſunt potentiora. Sæpè.n. vnum forte multis debilibus fidelius exiſtit. Et ſi cui conualeſcẽdum ſit, omnia ſigna bona adſint, oportet: ſi moriendum, ſi vnum adſit malum ſufficiet, prognoſt. 56. lib. 2. Licèt ſignũ bonum interdum à maiori malo ſuperetur, & ma-

lum interdum à maiori bono vincatur aph. 33. lib.2. Hinc Galenus prorhetic.2.lib.1.dixit, ſignis inter ſe collatis, prænotionem eſſe faciendam, vt docet Hippocrates. Hæc igitur, admirabilis dicebat Hippocrates progn.37. li.3. Oportet eum, qui rectè ſit præſenſurus ſanitatem ac mortem, & in quibus morbus pluribus diebus fatigaturus eſt, & in quibus paucioribꝰ, indicia ediſcendo omnia interſtinguere, æſtimando vires eorum inter ſe: quemadmodum ſcriptũ eſt, tum de alijs, tum de vrinis & ſcreationibus, vbi pariter pus bilemq́; excreet. Quare & rationabiliter ſecundum vires eorum tradit diſciplinam, non ſimpliciter, deinceps bona ſigna connumerans, deinde rurſus mala: annotans autẽ in appellationibus vniuſcuiuſque naturã, perniciosũm, & graue nominans, & grauius, & grauiſsimum, & minus graue, & magis graue. Sic & prauum & prauius, & prauiſsimum, & mortiferum quoque, & malum ſimpliciter: nõnunquã verò, valde, adijciens vtrique ſignorum generi, & ijs, quæ nunc dicta ſunt praua, & ijs, quæ bonum aliquod oſtendũt. Nam & in illis hoc quidem optimum dicit, hoc verò bonum ſimpliciter, hoc autem magis, hoc verò minus. Tale verò eſt, & quod dicit bonum, valde, & magnam habere vim ad ſalutem. Nonnunquam verò nihil ex illis addens, quod temporis indicium erit, & longæ ſolutionis meminit, nobis, vt arbitror,

bitror, vt de hiſce omnibus ratiocinandum relinquens, quę neque omnino praua ſunt, neque penitus extra periculum, ſed cum vi quidē forti, ſalutaria: cum debili autem, periculoſa. Hæc igitur non ſolum legenda ſunt in Hippocratis libris, ſed & memoranda ſæpius, atque obſeruādà in ægrotantibus: nam ex continua inſpectione exquiſitam eorum poteſtatis habemus notitiam. Semper autem in mente reuoluere oportet ac conſiderare, quæ nam ſunt ſigna optima, quæ peſsima, & quæ in medio confinio horum veluti gradus quoſdam habentia, nōnulla quidem optimis, nonnulla verò deterrimis proximiora, & quæ quidem minus, quæ verò ſunt magis proximiora, vel remotiora, & quænā exquiſitè media ponenda ſunt inter bona, & mala ſigna. Deinde conſiderandum quæ nam ſemper mala ſint, & quæ continuò bona, & quænam in totius morbi temporibus permutentur, cùm aliquando bona fiāt, aliquādo mala, & nonnunquàm fida, nōnunquā verò infida. Etenim hoc ab Hippocr. dictū eſt admiratione dignū, ꝙ ijs, qui non ſecundū rationē leuiores facti ſunt, neque credendum eſt, neque pertimeſcendū valdè mala, quæ venerunt contra rationē. Quod niſi quis nouerit, nequaquā poterit manifeſtè præcognoſcere. Sed aliquando inſtante criſi nihil à vulgari quopiam differre videbitur, ſed ſimul perturbabitur ac compaueſcet de futuris:

nonnunquam

nonnunquam verò exiſtimans liberatum eſſe à morbo ægrotantem, atque ei victus libertatem permittens, magni alicuius mali occaſionem afferet: omnino autem malè victum inſtituet, futurum ſtatum non præcognoſcens. Idem quoque Galenus progn. 37. lib. 3. vires ſignorum in hunc modum demonſtrat: omnia aſsiduè oportere ſpectari indicia, nec vni credere, etiam anteà dixit. Sed nunc adiecit, quòd ſermonis eſt vtiliſsimũ: id verò eſſe dico, vires æſtimare indiciorum, neque ſimpliciter has, ſed conferẽdo eas inter ſe. Sunt enim quædam indicia & ipſa per ſe praua, magiſque & minus: quorum vires menſurari oportet vocabulis, vt antea quoque explanauit, aut exitioſum dicendo, aut exitioſius, aut admodum exitioſum: & item adijciendo verbum, iam. Nec ſecus in bonis indicijs rurſus, aut ſalutare, aut ſalubre ſimpliciter, aut magnam obtinens vim, aut etiam cum verbo, admodum. Plus enim eſt ſi dicatur, admodum magnam vim obtinere ad ſalutem, quàm ſi nudum ac ſolum magnam vim obtinere. Sed nunc conferri oportere dicit vires iudiciorum inter ſe, non modo ſimilium, verbi gratia bonorum cum bonis, ac malorum cum malis, ſed etiã bonorum cum malis: namque per hanc comparationem ea quoque, quæ fiunt præter rationem, innuit. In primis enim agnoſces, quidnam præter rationem eueniat, tum haud quaquam terreberis,

teberis, & demum conſiderabis, quamobrẽ exi-ſtat, aut quidnam indicare natũ ſit. Et prog. 55. lib. 2. dixit, Cæterùm ipſe nequaquam hæc accipies perinde, vt ſi cuncta æqualia habeantur, ſed in animo retinens ea, quę Hippocrates ſcri-pſit, quęq; ipſi adiecimus, numerum ipſum conſiderabis ac poteſtatem, dum ipſe ait, ſalutaris admodũ eſt, & exitioſus admodũ eſt. Primariæ id poteſtatis, alterum in bonis, alterum in malis inſtituens. Itidem dum ait, proximam fore mortem: aut vbi exitioſiſsimum dixit, non ſimpliciter exitioſum. Quinetiam de ſignis ſalutaribus, quoties dicit, magnam vim obtineat ad ſalutem. Et rurſus, Securitatem enim indicat, ac morbum fore breuem, vel aliquid tale adiecit. Alij verò ſimpliciter exitioſi: aut rurſus ſimpliciter ſalutares medij ordinis ambo pro natura propria ſunt. Porro præter hos ambos, quoſcunque dixit comparatiuè, aut exitioſiores, aut ſalubriores, aut adiecit magis ac minus. Si qđ enim primi ordinis malum acceſsit indicium quinto, aut ſeptimo die prædictæ exitioſæ ſcreationi, æger ad vndecimum diem nequaquam deueniet, magisque ſi plura talia, non vnum tantũmodo carpat. Pari ratione, ſi quod admodũ ſalutare carpat, ad tertiam vſque ſeptimanam extẽdetur morbus. Permiſtis verò inter ſe exitioſis ac ſalutarib⁹ ſignis, aut his magis in vtroque genere, minus illis, aut quouis alio modo:

ex

ex pluribus, inquam, ac fortiſsimis bonis ſignis ſperari poteſt ægrum plus temporis duraturũ, ex contrarijs verò minus: nec ſecus, ſi quis ſenex, aut debilis viribus, aut in tempore, terra, conditione praua ac malè temperata ægrotet, acceleraturum mortis aduentum expectari oportet: maximam rurſus vim habere exiſtimare ductam à viribus intẽtionem. Hæc ille. Ex quibus tres ordines horum ſignorum, tum malorum, tum etiam bonorum aſsignabis in hunc modum, bonum ſignum, melius, optimum, malum ſignum, peius, peſsimum. Signum autẽ malum hominem moriturum ſignificat, & ſi valde exitiale fuerit, citò: ſi verò remiſsius extiterit, in longo tempore. Ita de bonis erit dicendum. Sed quia malum multiplex eſt, idcircò pluribus nominibus explicatur, quare de vi ac natura cuiuſque ſigni erit ſingulatim dicendum, à malis exorſi.

De ſignis malis. *Cap. II.*

CVM periculum & mortem prædicere vult Hippocrates multis ſignis id ſignificari docuit, dicens, Malum, non bonum, mortale, exitiale, lethale, prauum, pernicioſum, exitioſum, mortiferum, pericaloſum, graue, vitioſum, malignum, inutile, & alia id genus, nominans, quę minutatim erunt explicanda, vt faciliùs & clarius

rius ſignorũ potentias, ac vires cognoſcamus.

Malvm, ſemper periculũ minatur, vt progn. 39.lib.3.indicat Hippocrates. Non autem ſemper mortem, vt optimè Galen.aph.33. lib.2.innuit ijs verbis, neque cum aliquid bonum dixerit eorum, quæ ad corpus attinent, omnino exiſtimãdum eſt ob id hominem reualiturum: neque cùm malum dixerit, omnino moriturum. Nam fieri poteſt, vt bonum ſignum à maiori malo ſuperetur: & malum à maiori bono vincatur. Talia nãque pronunciata, intelligenda ſunt de eo ſolo, quod dicitur. Dicitur autẽ quod ſignũ eſt bonum, quantum in ſe eſt: & ſignum malũ, quantum in ſe eſt. De morte autem & vita oportet omnium ſignorum vires prius benè perpendere, ità pronunciare, quemadmodum ipſe in prognoſticis conſulit. Aliquando tamen malũ pro exitiali ponitur ab Hippocrate, vt cũ apho. 35.lib.6.dixit, Aqua inter cutem laborantibus, tuſsis ſuperueniens, malum. Galenus in comm. malum illud exitiale eſſe interpretatur. Et idẽ Hippocrates aphor.47.lib. 7. deſperatam illam tuſsim eſſe, proclamat. Item aphor. 3. lib. 5. vbi ſanguis plurimus fluxerit: ſingultus, aut cõuulſio ſuperueniens, malum. Et Galenus in comm. inquit, non eſt exiſtimandum aliud ſignificari ſuperiore nomine, lethale: quàm præſenti, malum, videlicet. Conſueuit ſiquidem Hippocrates caſus illos ità nominare, quos lethum ſæpè

ſubſe-

ſubſequitur. Si cui verò per magis,& minus differre hæc nomina videantur : maius periculum per vocem lethale, quàm per malum oſtẽdetur. Malum etiã idem, quod lethale ſignificat apud Hippocratem aphor.1.lib.7. cũ inquit, In morbis acutis frigus partium extremarum,malum: & hoc ipſum appellauit lethale apho. 48. lib.4. Sumitur etiam & pro maximo malo, vt aphor. 19.lib.7.ex oſsis nudatione eryſipelas, malum; inquit Galenus, hoc in loco maximè oportet ſubaudire malum. Eſt denique malum duplex, vnum per ſe malum,alterum verò ex accidenti, prognoſt.49.lib. 2. Mala ſigna per ſe deſcribit, & prædicit Hippocrates lib.7. aph. 1.2.3.5.6.7. 9.10.11.12.13.14.15.17.18.20.21.23.26. Et libro 2. prorhetic.4.6.7.8.9.11.12.13.14.22.28. 30.31.32.34.35.47.52.Et lib.2.prognoſt.4.20. 21.42.& alijs locis.Huc refert prauũ,& vitiosũ.

NON bonum, idem ſignificat, quod malũ; etenim apho.41.lib.7.inquit Hippoc.ſi ſenioribus ſupra modum purgatis, ſingultus ſuperuenerit,non bonum: quem locum apho. 4. lib. 5. ijs verbis dixerat,Ex nimia purgatione, conuulſio,aut ſingultus ſuperueniẽs, malum. Exitium quoque denũnciat,vt apho.25.lib.6. Eryſipelas ab exterioribus verti ad interiora, non eſt bonum,ideſt, lethale eſt. Minus bonum, in medio boni, & mali collocatur, vt decubitus ſupinus progn.14.lib.1.Denique malum,& non bonum

ſępè

ſępè conuertuntur, vt prorheti. 7. lib. 1. innuere videtur Galenus.

Lethale, inquit Galenus apho. 18. lib. 6. dicitur de ijs, qui ex neceſsitate ſunt morituri, ſępius tamẽ de ijs, qui magna ex parte. Quod nõ ſolùm in aphoriſmis, ſed in prognoſticis, & prorheticis Hippoc. docuiſſe, planè fatetur.

Mortale, idẽ prorſus ſignificat. Niſi quòd interpretes Hippocratis aliquando vertunt lethale, aliquando mortale, vt aphor. 1. lib. 2. Et apho. 21. lib. 4. & alijs ſexcentis locis.

Mortiferum mortis prorſus eſt indicium, ideò à duob. ſuperius dictis planè nihil differt, vt lib. 6. de morbis vulg. ſect. 4. comment. 30. & 31. indicat Galenus.

Perniciosum etiam mortem minatur, neque enim omne, quod prauum eſt, mox idem & pernicioſum exiſtit, vt prorhetico 17. lib. 2. ait Galenus.

Exitiale mortem ægri citã prænunciat, apho. 12. lib. 1. & prognoſt. 10. & 23. lib. 1.

Malignum, propriè periculum & difficultatem ſignificat, vt Galenus prorhetic. 14. lib. 1. innuit; vbi Galenus videtur reprehendere authorẽ illius libri, quòd in ſymptomate ſummè pernicioſo, & lethali vſus fuerit, verbo, maligni. Cum igitur, inquit, talem ob affectionẽ tremor fiat, vehementer exiccatos oſtendit neruos: atque ob id hominẽ lethaliter habere, quod ſanè

perperam

perperam enunciauit, cũ dixit, cacoethes, ideſt, malignum. Nam quod ſummè pernicioſum exiſtit ſymptoma, aliam exigebat appellationẽ. Cacoethes autem morbos, ideſt, malignos appellamus, quicunque periculum minantes, ſpem ſalutis non adimunt. Melius igitur erat ſcriptam concurſionem dici, vel pernicioſam, vel mortiferam, vel quiddam huiuſmodi.

Inutile eſt in medio boni, & mali, vt progno. 22. lib. 1. de ſudore loquens, ait, ſi verò nihil tale efficiat, inutilis eſt. Hactenus de ſignis primi ordinis, quæ licet omnia malum portendant, per magis & minus differre videntur, vt ex verborum natura explicauimus. Quæ verò celerem mortem oſtendunt, & poſtremi ordinis dicuntur, ijs notis Hippocrates propalauit, peſsimum, valde malum, exitioſiſsimum, mors de proximo, exitioſum admodum lib. 3. progn. 39. & lib. 1. de criſ. cap. 13. & 15. Et prog. 55. lib. 2. Item peſsimum valde, valde exitioſum, mortale de proximo, mors propè, lethale valde, exitiale admodum, prauiſsimum, valde mortiferũ, ocyſsima abolitio, deterrimũ, expectãda mors continuò eſt, vitioſiſsimum, iam, & admodum, vbi ſignis admouentur citò moriturum ſignificat prognoſt. 21. & 24. lib. 1. Quæ verò ſunt medij ordinis, & comparatiuè dicuntur, mortem ſignificant, ſed illam longo tẽpore fieri denunciant. Vt cùm inquit Hippocrates, periculoſius,

peius,

peius, deterius, & denique magis, aut minus ſignis adiungit. Raſis apud Arabes Medicus doctiſsimus hæc omnia cap. 21. lib. 10. ad Manſorem regem docuit, ſic dicens, Signa in morbis acutis non bona, pernicioſa, & exitialia multa habentur. Claſſes quippe in his, pro ſignificationum diuerſitate conſtituuntur. Nam cuilibet notæ verbum, quod vehemētiam, & immanitatem ipſius exprimat, vndiq; adijciemus. Appellabimusq́; indicium, quod leuius malū portendit: ſignum non bonum, quod grauius ac valentius arguit: pernicioſum, quod grauiſsimū malum inſinuat, exitiale, & lethiferum. Quo ordine ſeruato: præſagia inde prompta certiora ac quaſi oracula haberi poſſunt.

De ſignis bonis. *Cap. III.*

CVM mors nil aliud ſit, quam natiui caloris extinctio, & hæc cum multis modis fieri contingat: multis ſignis ac notis eam accedere, docet Hippocrates, vt proximo capite viſum eſt. Vita verò cùm in moderatione eiuſdem caloris conſiſtat, quæ ſimplex eſt, non tot modis acquiritur, ideo paucioribus notis eam eſſe ſpectandam, idem Hippocrates hortatur, dicens in hunc modum, Bonum, non malum, ſalutare, ſecurum, tutum, iuuans, vtile, melius, ſecurius, ſalubrius, optimum, valde bonum, ſalutare ad-

modum, ſaluberrimum, ſecuriſsimum, vtiliſsimum. Verbum, iam, ſemper malis ſignis adiungitur, nunquam verò bonis. Hæc eundem ordinem obſeruant in prædicendo, veluti de malis ſuprà dicebamus, vt quædam ſanitatem futurã prædicent, alia ſanitatem, ſed longo poſt tempore futuram: & alia ſanitatem citò adeſſe, vt Galenus multis in locis declarat, maximè verò lib. 1. de criſ. cap. 5. 13. & 25. Et progn. 55. lib. 2. Et prognoſt. 39. lib. 3. Cauſa verò, cur mors tot modis explicetur, non ità vita, eſt, quia malũ multiplex eſt, bonum verò ſimplex, vt Ariſtoteles in præd. capitu. de oppoſitis, & ſanitas, ſimplex, morbus verò multiformis, eodem, cap. 25. lib. 1. Mag. moral. authore; ideoque malum in defectu, & exceſſu conſiſtit: defectus multis modis accidit, velut exceſſus; bonum verò vno duntaxat modo, quia eſt in medio: hinc illud multis notis, hoc verò paucioribus indiget ad ſui explicationem. Cæterùm licèt æqualem vim habeant ſaluberrima ſigna ad præſagiendam ſanitatem, & lethalia ad mortem indicandam, prænotio tamen criſis optima plurimũ habet ſcientiæ, & certitudinis: non optimæ verò & adhuc magis prauæ incertitudinis, & coniecturæ, & ideò Galenus cap. 10. lib. 3. de criſ. dixit, Prius exercitari oportet in optimarum criſium præcognitione: deinde in ijs, quę non ſunt optimę, bonę tamen: ac deinceps ad malas deſcendere. Sicuti

cuti enim in his eſt plurima incertitudo & cõiectura, ità in bonis ſcientia & firmitas præualet. Huc reſpiciens Auicenna lib.4.par.2. cap.3. claudens ſigna optima, dixit, & nõ fallit in hoc. De prauis uerò ſubiunxit, O quanta timoroſa vidimus.

De cauſis incertitudinis dictorum ſignorum. Cap. IIII.

PLVRES ſunt cauſæ, quæ prædicta ſigna variare ſolent: & cum iiſdem ſignis hic liberetur, ille verò perat, vt Galenus lib. 3. de criſ. cap. 5. docet. Nam ſi criſis intra vnum diem eſſe debeat, ſaluabitur æger, antequã vires à morbo proſternantur. Si verò ante viginti dies (ita enim contingat) non poſsit ſtatus aduenire, fieri poteſt, vt interim natura fatigetur, adeò, vt cum ægroti omnino ſimiliter habere videãtur, alter quidem ſaluetur, alter moriatur ob ſtatus futuri tempus. Item ſigna praua magis timenda ſunt, quò magis accelerãt, vt Gal.li.1.de morb. vulg.ſect.3.in hiſtoria Philiſci, docuit: bona verò in ſtatu maximam vim, & potentiam habeãt, eod.cap.5.lib.3.de criſ. aſſerente. Hæc igitur ſi peruertantur ſigna alioqui fidelia, infida ſanè erunt. Quantò etiam plura homini fuerint ſymptomata, tanto in eo fideliorem efficient prædictionem: quomodo, ſi & ſignorũ ſalubriũ multa

appareant, eò certior iit ſalutis expectatio, vt prorhetico.33.lib.2.dixit idem Galenus. Signa etiam lethalia, vt talia ſint, requirunt perſeuerã tiam, propterea, quod natura occupata in concoctione materiæ morbificę, relinquit corporis gubernationem, vnde accidũt praua ſigna, quæ ſtatim ſecunda die, poſtquã natura ad ſe eſt cõuerſa, euaneſcunt, vt lib.1.de morbis vulg.commen.3.cõm.23. aſſerit Galenus. Oportet etiam vt ſigna iudicẽt ſuper propria membra, quorũ ſunt ſigna, vt vrinæ in morbis venoſi generis: ſputa in morbis thoracis, veluti deiectiones in morbis ventris. Ileum enim patiebatur lib.3.de morb. vulg.apud Tyſamenum mulier, cuius vrinas inſpiciebat Hippocrates. Et Galenus in cõmen. inquit, Parua igitur ex vrinis, vbi bonæ ſunt, vt ita habẽtes, ſeruentur, eſt ſpes. In febribus igitur, quoniã venoſi generis affectus ſunt, vrinis præcipuè mentem adhibebis: in morbo laterali primum ſputis, deinde vrinis: quod lateris dolor febrem omnino iunctam habeat: in ventris affectionibus, ſi febris abſit, ſola alui excrementa inſpicies, ſi febris adſit, etiam vrinarum habenda eſt ratio. Attendere etiam oportet ad ea ſigna, quæ præceſſerunt, & ſequuntur, quoniam ſpumoſa deiectio, poſt bilioſam deterior eſt, vt prorhetico.15. & 18. lib. 2. aduertit Galenus, & vrina oleacea poſt nigrã laudatur, vt lib.3.de morb.vulg.ſect.3.cõment.72. inquit

Gale-

Galenus. Licèt enim quodlibet ſignum certam corporis diſpoſitionem ſignificet, conſecutio tamen ſigni ſignificat, aut naturam vincere, aut vinci. Neque etiam cauſa ſignorum lethalium eſt aſpernenda, ſi enim à cauſa repentina oriantur, quia adeſt virium robur, & cauſa morbi fixa non eſt, multi ab huiuſmodi ſignis euadunt, vt in multis vulneratis Hippocrates li. 7. de morbis vulg. expertus eſt, quorũ, & aliorum in cõm. librorum de morbis medendis, fecimus mẽtionem. Si autem cauſa morbi ſtabilis ſit, & ſigna lethalia ſequatur, fieri non poteſt quin mors nõ ſequatur, ꝙ talia ſigna ex ſe ſemper mala ſint, vt ſæpè dictum eſt. Quare ne contingat error in prædicendo, qua methodo ſit prædicendum neceſſe eſt vt dicamus.

De methodo prædicendi mortem ac vitam. Cap. V.

NVNQVAM enim hallucinari, ſupra captum hominis eſt: ſed quàm minimè oberrare, ſolius artificis eſt. Sed cum magna, vel ea in re diuerſitas habeatur, qui vicies præſentiendo, oberrat ſemel multò melior eſt, quàm q decies prædicendo oberrat ſemel: ipſo verò hoc rurſus melior is eſt, qui centies præſentiendo oberrat ſemel quemadmodum rurſus, quã is ipſe, melior eſt, qui ducenties præſentiendo, oberrat ſemel. Verba ſunt Galeni progno. 4. lib. 3. Firma

igitur, & fida prædicendi methodus præcipuè conſiſtit in collatione morbi ad vires triũ principalium membrorum. Quod reſpiciens Galenus lib. 1. de morb. vulga. ſect. 3. cõm. 21. dixit, Huius certè debetis meminiſſe, vt quãdo ægros inſpicitis cum exitioſis ſymptomatibus notã, quæ à viribus proficiſcitur, coniungatis, atque ità demum ſecurè pronunciare poteritis. Hæc ille. Quare à Medico magnitudo morbi, & naturæ robur, atq; tempus ſtatus cognoſci debet, quoniam ſine horum trium exacta cognitione nihil de ſalute inueſtigari contingit, non magis, quàm hoc, nunquid aliquid portando oneri ſufficiat, ſciri poteſt, hominis robore, oneris magnitudine, & viæ longitudine anteà non perſpecta. Nam ægri vires portanti onus, morbus verò oneri, tempus autem quod vſque ad ſtatum extenditur, longitudini viæ reſpondet. Signa autem ex illis facultatibus ità erunt ſumenda, ſi imbecillitatis fuerint, erunt ità collocanda, vt peſſimum ſignum ſit vitalis facultatis: deinde naturalis: poſtremò animalis, quia, vt ait Gale. cap. vlt. lib. 8. methodi, in morbis curandis neceſſarium eſt facultatum robur, eo ordine quẽ modò diximus. Si autem ſigna, ablatam facultatem, ſignificent: primus locus tribuitur vitali, deinde animali, & tandem naturali. Propterea quòd, teſtante Galeno cap. 1. lib. 5. de locis affectis, citiſsima mors ſequitur ad cor affectũ, tar-

diùs ad cerebrum gratia reſpirationis impeditæ, & adhuc tardius ad iecur: vtcunque tamen aliqua trium facultatum defecerit, reliquæ conſentiunt, vt loco proximè citato, & ca. 14. lib. 9. de morb. med. inquit Galenus. Itaque ſumma totius præſagitionis in morituris, cōualiturisq; eſt, quoties vis ægrotantis cum ægri facultate conferatur. Si enim morbus vehementior eſt, æger omnino morietur: ſi debilior, quàm ęgri facultas, haud quaquam morietur, vbi nihilcōmittatur. Hanc verò ſummam Hippocrates ſcripſit per ſententiam, cuius initium eſt: Colligendum etiam eſt, an æger poſsit eo victu, quē pręceperis, durare ad cōſiſtendi vigorem vſq; ęgrotationis. Hæc ergo ſumma prognoſticæ contemplationis habetur. Cæterùm, cùm tres ſecundū genus vires ex triplici pendeant origine, cerebro, corde, iecore, per earum miniſteria firmitas, atque infirmitas cognoſcitur. Præcipua verò cerebri miniſteria ſunt, meminiſſe ac cogitare: ſubſeruientia verò, ſentire, & moueri ſecundum deſideriū. Cordis verò, motus arteriarū, iecoris verò, generatio ſanguinis, & humorum. Si ergo huiuſmodi facultates fortes ſint, licèt ſigna adſint terrentia, non ſunt timenda, vt prorhetico. 3. lib. 1. inquit Galenus. Obijciet tamē aliquis in hunc modum, Si morbus eſt ſuperior natura, æger peribit: ſi verò natura fuerit ſuperior, æger liberabitur, niſi error committatur.

At lib.artis medicæ cap. 85. inquit Galenus, q
quādiu cauſa morbifica non fuerit ſuperior na-
tura, non efficietur morbus, nunquàm igitur na
tura vincet. Cui reſpondeo, quòd ad eſſentiam
morbi requiritur tanta ſuperioritas cauſæ, q
actio lædatur ſenſibiliter: ad mortem autē tan
ta, quòd actio pereat. Præterea: ſi natura vin-
cit ſanabitur æger: ſi verò morbus vincit, peri-
bit: Medicus ergo ſuperfluus eſt. Huic reſpon-
dendum eſt, quòd ſi morbus fuerit ſuperior na-
tura ſimul & Medico, prædicendum eſt, & non
curandum, ne ſi manum admoueas ijs, qui ſana
ri non queunt, in errorem inducaris: nam artē
tria hæc perficiūt, morbus, æger, Medicus, natu
ræ miniſter, oportetq; Medicum cum ægro mor
bo aduerſari. Si autem natura ſola eſt ſuperior,
non eſt curandum, quoniam ipſa per ſe ſufficit,
vt cap.1.lib.1.de locis affectis, inquit Galenus.
Quod ſi morbus ſuperior eſt natura ſola, non
tamen ſuperat naturam ſimul, & Medicam, tūc
eſt neceſſarius medicinę vſus, & huiuſmodi mor
bi frequentiſsimè contingunt. Obijciet quoq;
cur ex victoria naturæ colligitur ſanitas cū con
ditione, ſi error non committatur: ex victoria
autem morbi ſequitur mors abſolutè, & maxi-
mè, cum natura labans habeat Medicum iuuan
tem, non ſic morbus? Reſpondeo, ſanitatis ac-
quiſitionem magis eſſe conditionalem, quàm
mortis, ob multas cauſas. Prima eſt, quoniam
morbus

morbus vincens, naturaliter agit, idcirco vno modo tantum operatur, veluti naturalia agentia. Natura autem ex parte Medici, & ægri, & externorum liberè, & ideò variè, atque plurib. modis. Item quia ſanitas cum ſit medium, & vnum, difficiliùs inducitur, vnde nemo ex vicinitate ſanorum ſanatur, ſicut ex vicinitate ægrorum, ægrotat, vt quæſt. 3. ſect. 7. inquit Ariſtoteles. Præterea, quoniam inſtrumenta curandi nō poſſunt aliqua ex parte morbo non fauere: nullum enim auxilium eſt, quòd citra omnem noxam magnificè proſit: morbus autem lethalis ita obeſt, vt nulla ex parte proſit. Ex ijs tamen non colligitur incertiorem eſſe ſanitatis prædictionem, imò certiorem, ſi addatur conditio, vt ſuprà diximus. Colligitur etiam, non eſſe neceſſarium, ſi morbus lethalis eſt, virtutem eſſe imbecillam, niſi intelligas, facta collatione ad morbum lethalem, ratione cuius ſemper manet imbecillis natura, vt cap. 10. lib. 3. de criſ. oſtendit Galenus. Si autem cum ſignis malis, bona miſceantur, metienda vtraque ſunt in potentia, & dignitate, & quæ talia fuerint, reliqua ſuperabunt, vt Hippocrates ſępè in prognoſticis dixit, maximè prognoſtico. 35. & iterum progn. 37. & 39. lib. 3. Quod toties repetit, quia vtiliſsimum ſit. Attamen id non intelligunt plerique Medicorum: ſed interdum aliquod ex prauis ſignis videntes, ex quibus contingit viuere hominē, criminan-

criminantur ceu mendacem: quemadmodum rurſus bonis apparentibus, interempto ægro, falſum eſſe Hippocratem dicunt: nondum cernentes, vt interdum à multis bonis indicijs vnũ malum, vehemens peruincatur: & rurſus è contrariò à multis malis vnum bonum, quod vehemens ſit. Eum igitur, qui ſingulorum horum ſignorum vires didicerit, tum æſtimare, tum comparare inter ſe oportet. Et ſiquidem tum fortiora, tum plura videntur, quàm bona, mala, hominem in periculo eſſe eſt ſciendum. Verùm ſi bona malis, & fortiora, & plura fuerint, de ægro bene ſperandum: quod te facere iubet & ipſe Hippocrates. Nempe in prognoſtico ſingulorum tum ſymptomatum, tum ſignorum vires particulatim docuit, atque circa libri finem ait, Oportet autem eum, qui rectè ſit tum conualiturus prædicturus, præterea & in quibus ęgritudo pluribus diebus, & in quibus paucioribus permanſura ſit, ſigna omnia perdiſcere, atque æſtimatis eorum inter ſe viribus, vt ſcriptũ eſt, ferre ſententiam. Signorum autem vires æſtimari præcipit, atque ex ipſis præcognoſcere quidnam futurum ſit. Vbi ergo bona malis permiſta fuerint, viribus quodãmodo paria ęquaque, exercitato opus eſt viro, qui in operibus ea ſæpènumero fuerit cõtemplatus. Vbi verò omnia vel mala fuerint, vel bona; cuius patet quod futurum eſt. Illud autem aduertendũ eſt, ꝙ ſigna

gnã optima, vt coctiones integræ, ac perfectę cum peſsimis ſignis nunquàm coincidere poſſunt, propterea quod contraria extrema in vno loco, & vno tempore compati non poſſunt, eò quod vnum alterum expellet, vt natura contrariorum poſtulat.

De ſignis iudicatorijs. *Cap. VI.*

SVNT alia ſigna iudicatoria nominata, vt Galenus inquit lib. 1. de criſ. cap. 14. & cap. 2. libro 3. eiuſdem operis. Et lib. 2. de hum. cõm. 1. Et apho. 13. lib. 2. & alibi quàmſępe. Quæ quidem duplicia ſunt. Quædam enim horum veluti cauſæ, & ſigna ſunt, hoc eſt ſignificant, & efficiunt iudicium, vt eſt vomitus, alui deiectio, vrinarũ multitudo, ſudor, ſanguinis è naribus profluuium, parotis, & abſceſſus. Aliqua verò ſignorum tantum rationem habent, vt delirium, vigiliæ, comata, inquietudines, difficilis reſpiratio, obtenebrationes, difficilis ſenſus, dolores capitis, colli, & ſtomachi, temporum grauitas, aurium ſonitus, ſplendores, lachrimæ inuoluntariæ, nox abſque ratione moleſta, labrum inferius agitatum, obliuio, aſtantium ignorantia, vehemens rigor, acceſsio anticipans, facies vnà cum oculis & naſo rubeſcens, hypocondriorum retractio, nauſea multa, faſtidiumve, æſtus, & ſitis vehemens. Omnia quæ iam commemorauimus,

mus, quatenus ſubitam mutationem ac turbationem oſtendunt, iudicatoria ſigna vocantur. Quatenus verò morbos ſequuntur, & ſecũdum propriam ſuam naturam conſiderantur, ſymptomata iudicatoria nominantur. Hocque genus neque iudicationem affert, neque æquè, atque illud, quod in concoctionibus verſatur, fidum eſt, neque omnino infidum: ſed in hoc genere quædam ſemper bona ſunt, quædã mala. Quod Hippocrates declarauit, cùm dixit, Mente conſtare, rectèq; ſe ad ea, quæ offeruntur, habere, bonum. Facilis quoque reſpiratio, & integritas pulſuum in bonis habetur. Ita etiam facilis tolerantia, & facies beneuolentium faciei ſimilis, & decens decubitus, & corporis æqualitas bene conſulitur. Horum contraria in malis ſtatuenda ſunt: quæ omnia ſunt in præſagijs ab Hippocrate ſcripta diuinitus. Quando igitur ſigna iudicatoria bona erũt? Vbi poſt concoctionẽ morbi, & in vigore apparuerint: tunc enim decet Medicum generoſum neque turbari, neque futurum euentum ignorare, propterea quod animo concipi non poteſt, quòd poſt morbi exquiſitam coctionem criſis mala ſequatur. Exquiſita vero coctio fit in tempore ſtatus. Hinc intelligetur Hippocrates lib. 1. de morb. vulg. ſect. 2. tex. 80. & lib. 6. eiuſdem operis ſect. 1. tex. 21. cũ ex lachrymis inuolũtarijs prædicit in febribus ardentibus ſanguinis narium fluore. Mala verò

ſunt,

ſunt, cum in morbi principio, & ante concoctio nem apparuerint. Nam decretoria non iudicantia, aut lethalia, aut difficilis ſunt iudicij: lethalia, ſi quæ ijs ſymptomata, vel ſigna lethalia accidant: difficilis iudicij, ſi abſque ijs ſigna permaneant crudorum humorum. Optimum igitur erit poſſe cognoſcere corpus, quod perturbatur à natura præparãte tum ad alias excretiones, tum non minimè ad eas, quæ per vomitũ, & ſanguinis eruptionem fiunt, quorum ſignum inſeparabile eſt cephlalgia, vt cap. vlt. lib. 1. ad Glauc. docet Galenus. Conſideranda igitur primò quid eſt ipſa ſpecies febrium, ſi calidæ, & perurentes: eiuſcemodi enim febres excretionibus ſolent iudicari, quemadmodum molliores & veluti deliteſcentes, moram trahunt, atq; in abſceſſus ſępènumero prorumpunt. Secundò verò, ſi ſalutaris ſit morbus. Nam, quæ bona criſis in pernicioſis morbis ſperãda eſt? Tertiò verò poſt hæc tempus totius morbi conſiderare oportet. Si enim principij, vel augmenti ſit ſignum, nondum autem uigoris, neque concoctionis notæ ex vrinis, vel ſputaminibus, vel deiectionibus extiterint, bona criſis fieri nõ poteſt. Hæc quidem ſunt ex quibus quiſpiam per excretionem iudicatum iri morbum ſperauerit. Sed iam de ſingulis ſignis mortis & vitæ, & decretorijs dicamus.

Quæ

Quæ ſumatur ex pulſibus præſagitio. *Cap. VII.*

OMNIVM itaque, quorum ad nos memoria peruenit, primus nomen pulſus Hippocrates literis prodidit; atque artis, quam complectitur, non videtur ignarus fuiſſe, non tamen hanc artis partem multum elaborauit, neq; cuilibet arteriarum motui hoc tribuit nominis, quem videtur imitari Eraſiſtratus: verba ſunt Galeni ca. 2. lib. 1. de pulſ. differ. ex quibus duo colligo. Primũ nominis, pulſus, Hippocratẽ authorem fuiſſe: idq́; ego quamſæpè in eius monumentis ſcriptum reperio. Et in lib. de alimento, venarum pulſationes, ait. Et lib. 1. de humoribus cõm. 24. pulſus frigiditas, inquit. Et Galenus in huius loci expoſitione hæc ſcribit: Sed pulſus quoque totius corporis ſpectandi ſunt. Veteres autem non iam omnem motum arteriarum, ſed eum ſolum, qui ſenſibilis eſſet, atq; ipſi homini prorſus vehemẽs, pulſum vocabãt: Hippocrates primus motum arteriarum omnium, qualiſcunque is eſſet, pulſum appellauit. Hæc ille. Item Hippocr. lib. de flatib. pulſus circa tempora, inquit. Et libro ſeptimo, de morb. vulg. non longè à principio, Pulſus, ait, non defecit. Et paulò poſt, verum iuxta tempora pulſus erat. Et lib. de iudicationibus, ſi venæ, ſcribit, pulſarint. Et libro de locis in homine.

Alij

Alij fortaſsè erunt loci, quibus nomen pulſus Hippocrates ſcribat: nos ijs contenti ſumus, qui modò in memoriam venerunt. Cæterũ illud omnibus ſit perſpicuum, venarum nomine, Hippocratem, atque alios authores antiquiſsimos arterias intellexiſſe. Et ex multis Galeni locis, vnum ſolùm ad hanc rem confirmandam citare, ſat erit. Libro nãq; ſexto de morb. vulg. ſect.6.cõm.2.inquit Hippocrates, Calidior venula ſanguinis multitudine exuſtum procreat, illicoq́ue ſecernit. Et Galenus in cõm. ait, per venulã calidiorem arteriam intelligito, omnibus Hippocraticorum librorum interpretibus venas non ab hoc ſolo, ſed etiam à multis alijs veteribus & arterias appellari confitentibus. Colligo ſecundò ex ſuperiore Galeni ſententia, Hippocratem nõ ignarum doctrinæ pulſus fuiſſe, quemadmodũ Galenus clarè ſcripſit. Quid Galenus? an non ipſe Hippocrates diſertis verbis in eo, quem citauimus loco lib.7. de morb. vulg. vt interim alios omittã, in Pythodori hiſtoria, & in alia Theodori vxoris, pulſus meminit, veluti cuiuſdam magni ſigni ad illos curandos, atque præſagiendos ægrotos. Sed iam video nonnullos, imò omnes, & non niſi medicinæ profeſſores Galenum in medium adducere, qui c. vlt. li.3. de criſib. ita inquit, Sed ſigna ex pulſibus ſumpta Hippocrates, vel quia non nouerat, vel quia non magni mom ẽti exiſtimauit,

idcircò

idcircò non eſt executus. Et lib. de præcog. ad Poſth. ca. 12. Tu verò, ait, mi Poſthume ſcis me omnia ab Hippocrate dicta monſtraſſe, quęcunque hiſce de rebus conſcripſi, & te vidente prędixi, nihil præter pulſuum ſcientiam adijciens; quam etiam ſolā Hippocrates non attigit. Hanc enim ipſum ſecuti, alio aliud addente uſque ad noſtra tempora abſoluerunt. Et lib. 3. de morb. vulg. ſect. 3. cōm. 80. Hic vir, inquit, memoratu dignus eſt, qui morbum graue virium robore excepit, alioqui tanto morbo futurus impar. Et omnino pulſibus eius inerat robur, ſimulq; reliqua omnia ſecundum naturam conſtabant. Dixi uerò alicubi Hippocratem prӕterijſſe hāc partem febricitantibus præſagitionis: ex quib. omnibus locis non ſolùm Hippocratem hāc artis partem prӕterijſſe, verùm etiam ignoraſſe, vel qui adhuc medicinæ limina ſalutat, intelliget. Ego uero altiùs rem hanc cōſiderans, quid Hippocrates ſcripſerit, & quid ignorauerit, paucis dicam. Iam ex retrò dictis conſtat Hippocratem, & nomen pulſus inueniſſe, ueluti etiam ex eo libro, quem, quòd animi mores corporis tēperaturas ſequantur, inſcripſit, cap. 8. ad finem. Conſtat prӕtereà ex locis ſuprà deductis rationi pulſuum nimium Hippocratem attendiſſe, cùm modò non deeſſe, modò frequentiorē eſſe pulſum dixerit. Adde Galenum lib. 4. de præſ. ex pulſ. cap. 8. ſcripſiſſe: mortem etiam inter lo-

quendum

quendum ex pulſu Hippocratem cognouiſſe. Quod ſi hoc verum eſt, vt eſt, quis dubitat rationem pulſus Hippocratem ignoraſſe? Atq; certè non eſt id, ꝙ Galenus dixit, Hippocratem ignorare: nam & ipſe Galenus ſibi perſpicuè aduerſaretur, & doctrinam Hippocratis, quam ipſe tam vehementer amauit, negaret. Ignorauit igitur Hippocrates pulſuum differentias: vnde Galenus cap. 2. lib. 1. de diff. pulſ. neque cuilibet arteriarũ motui hoc tribuit nominis, dixit: Quælibet autem arteriarum motus differentia, pulſus eſt. Neque mirũ ſi Hippocrates multa prætermiſit, cum primus inuẽtor ipſe fuerit: nemo enim ſatis eſſe poteſt ad artem ſimul, & conſtituendam, & abſoluendam, veluti Galen. aph. 1. lib. 1. ſcriptum reliquit. Quibus adiunge, Galenum tam auidum gloriæ fuiſſe, & ſibi arrogantem, atque in prædicẽdo glorioſum, quòd cum multa ab Hippocrate ipſum deſumpſiſſe fateatur, in hac pulſuum doctrina, præſertim in eorundem differentijs dignoſcendis, Hippocratẽ, quem ipſe lumen medicinæ appellat, ſuperaſſe glorietur. Quod autem ſubiunxit Galenus, ſigna criſis ex pulſibus Hippocratem non tradidiſſe, quia non magni momenti eſſe putabat, id ego intelligo, comparatione ſpiritus, quaſi diceret Galenus, cùm Hippocrates rationem ſpiritus ad prædicendum magnifaceret, non magni momẽti eſſe ſigna pulſus exiſtimauit. Et ne hęc

O ſingere

ſingere videamur, ſingulas ægrorum, quos curabat hiſtorias legat medicinæ ac veritatis ſtudioſus, & quanti ad præſagiendum, Hippocrates ſecerit ſpiritū, cognoſcet. Etenim lib. 1. de morb. vulg. in hiſtoria Philiſci, Sileni, vxoris Dromeadæ, atq; alijs multis hiſtorijs idipſum Hippoc. demonſtrat, vt interim ſilētio prætereā ea, quæ de reſpiratione progno. 1. Hippocrates ſcripſit: & Galenus per tres libros de difficultate reſpirationis ex ſententia Hippocratis tradidit. Atque magis mirabitur fortaſſe quiſpiam, ſi intelligat Hippocratem nomine ſpiritus, ipſum pulſum intellexiſſe: atque deinde eas, quas ſpiritui Hippocrates tribuit differentias, nos pulſibus condonemus, vt iam, etſi non omnes, ſaltē plurimas & notatu dignas pulſuum differentias Hippocratem cognouiſſe intelligamus, & nihil ſit ad præſagiendum neceſſarium, quod ipſe nō abſoluerit: quinimo ſi Galenus cōplures differentias pulſuum ſcripſit, eas à diuerſitate ſpiritus, quam Hippocrates docuit, accepit. Et ne longiùs habeamus, Hippocratē lib. 7. de morb. vulg. in hiſtoria filij Balis audiamus in hūc modum dicentem, Spiritus ad manum malus, non denſus, neque magnus. Quid aliud hic Hippocrates per ſpiritum ad manū malū, quàm ipſum pulſum intellexit? Et paulò ſuprà, ſpiritus, inquit, progreſſu morbi ſemper denſior, & anhelatio. Hic etiā clarè differentiam pulſus & ſpiritus,

tus, docuit. Et in hiſtoria Theodori, Erat autē, ait, ad manū frigidius corpus arteriarū. Quod hic frigidius ad manum corpus arteriarum dixit, illic ſpiritum ad manum malum pronunciauit. Vtrobique autem pulſum carpij intellexit. Ex ijs igitur locis, & alijs eiuſdem libri, nimirū hiſtoriæ Herotolai, filij Cydis, Polycratis, Vnctoris, Menonis, Polemarchi, Pytoclis filij Polemarchi, fortaſsè ex Hippocrate intelligi poteſt, ipſum motum arteriarum frontis appellare pulſus, manuum verò ſpiritus. Et quidquid illud ſit, cū vtriuſque ſpiritus videlicet, & pulſus idem vſus ſit atque finis: nihil mirum, ſi nomine vnius, alterum intellexit. Cæterū duabus in partibus pulſum Hippocratem tetigiſſe, in fronte videlicet, & carpo ex dictis ſatis conſtat. Quibus & tertium locum Galenus in Tarſis, ſcilicet pedum, cap. 1. lib. ad tyrones, docet. At ſemper, inquit, arteriæ temporum ac pedum ſecundum plantas, manuum in carporum, ſeu brachialium parte interna illuſtrem motum habent. His minus, non illæ tamen obſcurè pulſant arteriæ capitis poſt aures, & quæ tenent brachij interiorem regionem. Et verò etiam nonnullæ aliæ, quæ non obſtruſæ ſunt ſubdita multa carne. Verùm enim vero nullum neq; promptius, neque honeſtius, neque vero cōmodius, ſi carporum prætereas, tangas. Hæ nāque, quòd vacet locus carnæ, apertiſsimæ ſunt, nec quod propter alias

eſt neceſſarium, detegere harum gratia vllã corporis partem neceſſe habeas. Adhæc in rectum ductæ ſunt, id quod nõ parum ad exactam notitiam refert. Hæc Galenus. Tangens igitur pulſus carpij Medicus in tribus maximè præſtari debet, in natura, exercitatione, & modo applicationis: quæ cùm à Galeno cap. 2. lib. 3. de dignoſc. pulſ. latè ſcribantur, ne longior ſim, eius verba afferre nolo, ad illum locum ſtudioſum lectorem mittens. Modi autem manus applicandi, eodem Galeno authore, cap. 7. lib. 1. eiuſdẽ operis, tres ſunt, palpatio, cõpreſsio, & ſimplex appoſitio, inter priores admotiones media. Ijs itaque Medicus doctus, non protinus, vt ingreditur, apprehendet manu brachium, ſed primũ reſidere hilari vultu, percontariq; quemadmodum ſe habeat, & ſi quis eius metus eſt, cũ probabili ſermone lenire, tum deinde eius corpori manum admouere. Quas venas autem conſpectus Medici mouet, quam facilè mille res turbant, vt inquit Celſus cap. 6. lib. 3. Huc reſpiciẽs Galen. cap. 4. lib. 1. de præſ. ex pul. bis eſſe à Medico pulſum tangendum perſuadet: proptereà quod cũ ipſe ingrediatur, ſæpe perturbari ægrotus ex conſpectu eius ſolet. Atque non ſolùm ex Medici conſpectu, verumetiam ingredientiũ commoueri ſolet pulſus. Hinc eſt, quòd Eraſiſtratus amari nouercã à priuigno cognouerit, & Galenus mulierem quandã à Philade, intel-

lexerit,

lexerit, veluti ipſe cap. 6. lib. de præcog. ad Poſt. & progn. 8. lib. 1. dixit: non quòd aliquis pulſus proprius amoris ſit, ſed propter ipſorũ non exiguam perturbationem in cognitionem amoris deuenere. Deuitanda ſunt igitur ab ægris ira, triſtitia, & alia animi accidentia, quemadmodũ Celſus cap. 6. lib. 3. & Galenus cap. 2. lib. 2. de pulſ. dignoſ. & cap. 4. lib. 1. de pulſ. præſ. & cap. 2. 3. 4. & 5. lib. 1. de pulſ. cauſis. memoriæ prodidere. Cauſas autem in vniuerſum pulſus mutãtes in libris quatuor de pulſuũ cauſis Galenus demõſtrat, easq́ue quatuor eſſe inſinuat, quas per ſumma capita cap. 11. lib. 2. de ſanit. tuẽda, percurrit. Vna igitur mutandi pulſus cauſa eſt, naturalis caloris auctio, diminutioq́;. Altera cauſa eſt, quæ ex animalis ſpiritus mutata quantitate ſpectatur. Tertia, quæ ex firmitate infirmitateve virtutis accipitur. Quarta, quæ ex inſtrumẽti malo affectu æſtimatur. Verùm de ijs exactè differere non eſt huius loci, cùm ſolùm de præcognitione, quæ ex pulſibus ſumitur, ſit nobis inſtitutum agere, cuius gratia definitio pulſus à nobis erit explicanda.

Quid pulſus, & eius vſus. Cap. VIII.

GALENVS cap. 2. lib. 4. de pulſ. diffe. definit pulſum in hunc modũ: Pulſus eſt actio peculiaris præcipuè cordis, deinde arteriarum,

quæ mouentur diſtentione & contractione à facultate vitali, vt calor naturalis in ſua temperie ſeruetur, & generetur in cerebro animalis ſpiritus. Hac ſanè definitione pulſus natura exactiſſimè explicatur, eſſentia nimirum eius, cauſa, efficiens, & finis. Pulſus nãque eſſentia conſiſtit in actione cordis: & arteriarum. Cauſa efficiẽs eſt facultas vitalis à corde in arterias manans. Finis caloris natiui cuſtodia, & moderatio, tũ & ſpiritus animalis in cerebro generatio. Actio igitur genus eſt in illa definitione: ſpectat enim pulſus ad prædicamentum actionis, qui ſemper in generatione eſt poſitus: quoniam eſt, dũ fit, veluti cæteri motus, vt loco citato dixit Galenus. Hæc autem actio primum eſt cordis, deinde arteriarũ, propterea quòd arterijs non ineſt pulſus ex ſe, ſed propter conſenſum, quem habent cum corde: qui ſi auferatur, facultas mouendi ipſarum arteriarum quoque auferetur, vt Galenus cap. 2. lib. de vſu pulſ. aduertit. Præterea facultas illa pulſatilis, vt probat Galenus loco proximè adducto, tranſmittitur per ipſas arteriarum ſubſtantias, non verò per cauitates earum: quod Galenus lib. an ſanguis in arterijs contineatur hac ratione probat. Nam ſi quis fiſtulam æneã arteriæ incluſerit, ac deinde ipſam arteriam illaqueauerit, motus omnino arteriæ ceſſabit: cùm cauitas patens relicta ſit, per quã vitalis progreditur ſpiritus. Mouentur deinde

arteriæ

arteriæ diſtentione ad refrigerandum, & contractione ad expurgandum, vt Galenus cap. 3. de vſu pulſ. docuit. Fit autem ille motus à facultate vitali, quæ non vnica eſt, ſed duplex, vt Galenus ſcribit cap. 8. lib. 2. de præcog. ex pul. Concertantibus, inquit, fit mutuò duabus facultatibus, & quæ diſtendit, & quæ contrahit cor. Huius enim rei hæc ratio eſt: quia ſi dilationis, & conſtrictionis ſunt fines diuerſi, vt dictum eſt, facultates quoque diuerſæ erunt. Conſtat autẽ pulſus ex duobus motibus, & duabus quietib. vt cap. 3. lib. 3. de dignoſc. pulſ. inquit Galenus. Nam cùm pulſus, ait, quatuor partes ſint, diſtẽſio, contractio, & duæ quietes, vna à diſtenſione ante contractionem, altera à contractione ante diſtenſionem. Quòd, ſi idem Galenus cap. 10. lib. 1. eiuſdem operis dixit, quietes eſſe partes pulſus per accidens: nã duæ, quæ reliquæ ſunt, inquit, per accidens potius, nõ propriè nec per ſe partes pulſus ſunt, arteriæ externa, & interna quies, dicendum eſt, quietes eſſe partes per accidens, id eſt, non primas, cũ ad motum ſequantur duplicem: qui duplex motus pulſus appellatur, vt inquit Galenus cap. 3. lib. 1. de diff. pul. in vtroque ei gemina quies accidat, neceſſe eſt, altera ab diſtenſione prius, quàm contrahatur: altera à contractione, ante, quàm diſtendatur. Illud autẽ dubium eſt, num ſemper inter dilatationẽ, & cõpreſsionem ſit aliqua quies: quo-

niã Galenus cap.8.lib.2.de præſ.ex pulſ.aliquã-do nullam quietem dari, videtur affirmare, ijs verbis: Itaque, ſiue quia dum diſtenditur arteria, partes, quæ contrahunt, actione ſint functæ, ſuccedit contractio interim diſtentioni, vel citra externam quietem: ſiue quia, dum contrahitur, partes, quæ contrahunt, actione ſint functæ. Ariſtoteles autem cap.8.lib. 8. phyſic. probat inter duos motus contrarios ſemper dari aliquam quietem: dilatationem autem & compreſsionem eſſe duos motus contrarios, docet idem Galenus lib.1. de differ. pulſ.cap. 3. Ergo inter dilatationem & cõpreſſionem ſemper dabitur aliqua quies. Quòd verò aliqui obijciũt de lapide ſupra proiecto, duobus motibus moueri ſine aliqua quiete, falſum eſt, quoniam Ariſtoteles mobile in puncto reflexionis neceſſario quieſcere hac ratione demonſtrat. Omne mobile in eo puncto neceſſario quieſcit, quo vtitur pro principio, & ꝓ fine, & ad quod ita accedit, vt ab eodem diſcedat; atqui omne, quod mouetur motu reflexo, vtitur puncto reflexionis pro duobus, principio inquam, & fine: idemque neceſſariò ad illud punctum reflexionis accedit, & ab eodem abſcedit: omne igitur, quod reflectitur in puncto reflexionis quieſcit. Ad Galeni autem locum reſpondendum eſt, illum non negare omnino quietem, ſed adeo exiguam eſſe, vt vix perciperetur, quod declarauit illis ver-

bis,

bis, vel citra externam quietem, id eſt, quaſi citra externam quietem, quæ cũ difficultate percipitur, adeò eſt exigua, ob partes actione functas, vt ipſe clarè docet. Cæterùm Eraſiſtratus de pulſibus agẽs, duo affirmauit abſurda, & quę omni veritate carere videntur. Primùm in arterijs ſanguinem non contineri, ſed ſolùm ſpiritum à corde tranſmiſſum. Alterũ, dilatationẽ, & compreſſionem non fieri ab aliqua facultate, ſed à calore: ideò enim arterias diſtendi, dixit, quia implentur: contrahi verò, quia euacuantur. Primum refutat Galenus in illo libello, an ſanguis in arterijs contineatur, vbi experientia manifeſta probat ſanguinem in arterijs contineri, quoniã puncta arteria ſanguis ab ipſa manat, quod non fieret, ſi ſanguine eſſet deſtituta, & priuata. Neque inſtet Eraſiſtratus illum ſanguinem aliundè veniſſe, quia tam breui tempore ab alio loco fluere non poterat. Alterum verò Eraſiſtrati decretum de cauſa dilatationis, & compreſſionis arteriarũ, cũ Ariſtotele quoq; conſentit, qui libro de morte & vita, aſſerit arterias dilatari, propter eą quòd implentur ab humore intumeſcente vi caloris, conſtringi verò arterias, efflante vapore humoris: non ergo dilatatio, & compreſſio à facultate fiunt: quod etiam libro de ſpiritu: Ariſtoteles quoque confirmauit. Verùm ſententia, hæc multis nominibus falſa eſt. Primùm, quia ſi arteria perforetur

& fiſtula aliqua compreſſa arteria immittatur, non pulſabunt arteriæ: quod fieret ſi à calore eleuante humidum, dilatatio fieret. Item arteria illaqueata, ſubito euaneſcit pulſus: ſoluta verò cito motus redit: calor verò nõ poteſt à corde in extremas arterias per eaſdem ita ſubitò permeare: non igitur calor efficiet pulſum. Adde, quod Galenus libro de vſu pulſ. ca. 6. inquit, dari pulſum paruum, ſed vehementẽ: dari quoque pulſum magnum, ſed languidum: quæ ſanè varietas à calore fieri non poteſt: à facultate ergo fit. Quod confirmat idem Galenus cap. 12. lib. 4. de præſ. ex pulſ. dicens, Cum omnes pulſus per ſe languidi ſint, infirma facultas eſt: quod per totum corpus fiet, cũ ipſum cordis corpus intemperatũ ſit: in vna parte, cùm ſola illa pars. Vbi earundem, arteriarum nunc languidus pulſus ſit, nunc vehemẽs, facultas nõ eſt per ſe quidem imbecilla, ſed abundãtia humorum degrauatur. Ijs quoque accedit nõ paruum argumentum, quòd dilatato corde dilatantur arteriæ, & eo compreſſo, comprimuntur etiam arteriæ, vt Galen. lib. de vſu pul. cap. 1. & lib. 4. de diff. pulſ. cap. 6. & lib 3 de præſ. ex pulſ. c. 3. & lib. de pulſ. ad tyrones in principio. Et lib. 6. de vſu par. capit. 15. docet. Et Ariſtoteles loco ſuperiori confirmat: à facultate igitur cordis dilatatio, & cõpreſſio pulſus manat. Etenim eadem eſt facultas arterijs, & cordi, eodem ergo modo operari

debet.

debet. Denique experientia oſtenditur, quòd ſi quis manum vnam cordi, alteram verò arteriæ admoueat ſimul vtriuſque motum diſtentionis percipiet. Pulſus ergo eſt actio peculiaris præcipuè cordis, deinde arteriarum, quæ mouentur diſtentione, & contractione à facultate vitali. Finis autem pulſus multiplex eſt, caloris natiui cuſtodia, & ſpiritus animalis generatio, cap. 1. lib. 1. de cauſis pulſ. Vtraque etiam contractio nimirũ & diſtentio naturalis caloris tuetur mediocritatem: diſtentio veluti inſpiratio quædã exceſſum ardoris refrigerando, & ventilatione, quod extinguitur, incendendo: contractio in modum expirationis fuliginem expurgando: cap. 1. lib. 2. de præſ. ex pulſ. Is autem finis etiã eſt reſpirationi, vt cap. 3. & 7. lib. de vſu pulſ. dicit Galenus. Hinc Hippocrates lib. de alimento, dixit, principium alimenti os, nares, guttur, pulmo, & alia reſpiratio. Et hæc de pulſus definitione ſatis ſint.

Pulſus, & reſpiratio inter ſe comparentur, & num æquales vires habeant ad prædicendum. *Cap. VIIII.*

GALENVS cap. 1. lib. de pulſuum vſu oſtendit pulſuum vſus, in quibus diſsimilis, & in quibus ſimilis reſpirationis vſui videatur. Et cõcludit pulſum & reſpirationem in eo conueni-

re,

re, quòd ambo ex duobus motibus, interſectis duabus quietibus conſtent: deinde conueniunt in vſu. Quemadmodum enim vſus pulſuum eſt in caloris innati ſingularum partium conſeruatione, quæ ventilatione, refrigeratione, & noxij eductione perficitur: ſic quoque reſpirationis pulſus elaboratur. Item cùm reſpiratio genere quidem motus ſit, ſed ex duabus partibus ſibiipſi contrarijs compoſita, quarum alterã inſpirationem, alteram expirationẽ nominamus, habeatq; etiam duas alias non ſimiles per accidens partes, quæ quietes & ceſſationes appellantur: cap.3.lib.1.de differ. reſp. ſic pulſus genere quidem motus eſt, ex totidem partibus compoſitus, vt ſupra dictum eſt. Præterea vtrobique quies ſequens diſtentionem minor eſt, interna verò poſt contractionem maior eſt, cap.4.lib.1. de diff. reſp. denique vtriuſque partis, dilatationis ſcilicet, & compreſsionis eadem eſt actio, vt Galenus cap.6.lib.de vſu pulſ. oſtendit. In quibus autem differant pulſus, & reſpirationes explicat Galenus cap.9.lib.1.de diff.reſp. Primùm in inſtrumento, quoniam reſpirationis inſtrumentum eſt pectus cum pulmone; pulſus autẽ, cor cum arterijs. Item in numero motuũ, quoniam ferè quinquies pulſat interuallo vnius reſpirationis. Denique in cauſa efficiente, quoniam reſpirationis cauſa efficiens eſt facultas animalis, pulſus verò facultas vitalis: vnde illa

volunta-

voluntaria actio, hæc verò naturalis, vt probat Galenus cap. 5. & 6. lib. 2. de motu muſc. Cùm ergo in cauſa efficiente, & inſtrumento pulſus, & reſpiratio differant, ſequitur, vt à cauſis omnibus, quæ interuentu inſtrumenti, vel facultatis mutant, non ſubeant ſimiles mutationes. Nam in phrenitide vitiata facultate animali, euadit reſpiratio magna, & rara: pulſus tamen paruus & frequens fit, lib. 4. de cauſ. pulſ. ca. 14. In pleuritide etiam, quia inſtrumentum læſum eſt, reſpiratio fit denſa & parua, pulſus tamẽ magnus, lib. 4. de cauſ. pulſ. cap. 8. Cæterùm quando vtraque operatio in vſu, ac fine conueniunt, quæcunque mutant vſus rationem, ambas quoque operationes mutant, vt exercitatio, vigilia, balneũ, febris, & alia eiuſmodi: niſi aliquid impediat eã mutationem in vna operatione, & non in alia: veluti cibo aſſumpto magnificatur pulſus propter vſum adauctum: reſpiratio autem, cũ perficiatur diſtentione ſepti tranſuerſi, quam ob tumorem ventriculi aſſequi non poteſt, efficitur parua: ſed adeò frequens eſt, vt pulſus magnitudinem compenſet. Ex ijs ergo efficitur, pulſum & reſpirationem ratione vſus æquè præſagire, & vires partes habere: item æqualiter præſagiunt ſupra facultatem ſuam, reſpiratio, ſcilicet ſupra animalem facultatem, pulſus verò ſupra vitalem. Signum tamen pulſus altero præſtantior eſt, propterea quòd facultas vitalis vitæ ma-

gis

gis neceſſaria eſt, ideoque ad prædicendum ſalutem, vel mortem certior ac firmior. Adde etiã, quòd cum vtraque operatio motus ſit, ex ijs autem quæ mouentur, plura tactu, quàm viſu percipiantur: & pulſus tactu, reſpiratio viſu, iudicetur, meritò plura ex pulſu præſagire licebit. Hinc etiã eſt, quòd pulſus cordis magis neceſſarius eſt ad vitam, quàm reſpiratio: fœtus enim in vtero non reſpirant, & plurimi etiam præfocatorum, & apoplecticorũ, in quibus omnibus, cum viuant, pulſat neceſſariò cor. Neutrum tamen ipſorum in totum perire eſt poſſibile, donec ſuperfuerit animal: attamen petijſſe putare propter paruitatem, nihil mirũ eſt. Neq; enim his ſolum, ſed & alijs omnibus extremè paruis commune eſt, quòd ſenſum effugiunt, vt Galenus ſcripſit cap. 8. lib. 1. de diff. reſp. Cæterũ pulſus arteriarũ minus eſt vitæ neceſſarius, quàm reſpiratio. Cõſtat id, quia ſectis, vel ligatis quibuſuis arterijs animal viuit, priuatu m verò reſpiratione confeſtim perit, vt libro de vſu pulſ. Galenus oſtendit.

Quòd pulſus eſt communis operatio omnibus animalibus. Cap. X.

GALENVS cap. 12. lib. 4. de præſ. ex pulſ. agẽs de facultate pulſatili, inquit hęc verba. Quã facultatem nec in ſtirpibus inuenias, nec in ani-

malibus

malibus frigidis: cuius generis ſunt oſtrea, & quæ petris, vel alijs duris corporibus adnaſcũtur. Animalia calida, maximè ſanguine prædita apertiſsimam hanc facultatem & vehementiſsimam obtinent. Hæc ille. Quibus verbis videtur Galenus inſinuare ſolum animalia calida pulſationẽ habere. At idem Gal. lib. de formatione fœtus cap. 9. inquit, frigida animalia hærentia, vel nullam, vel paruam reſpirationem habere. Ex quo ſanè loco intelligitur, omnia animalia pulſationẽ habere, licèt frigidiſsima, exiguam illam ſortiuntur. Si enim omne animal definitur motu, & ſenſu, vt ca. 2. lib. 1. de anima, dixit Ariſtoteles: ſenſus autem, & motus requirunt animalem ſpiritum: animalis autem ſpiritus citra pulſationem non alitur: omne igitur animal pulſationem habet. Ex ijs ergo conſtat facultatẽ vitalem & pulſatilem vnã, eandemq́; eſſe, vt lib. 4. de diff. pulſ. cap. 2. & lib. 1. de locis affect. cap. 7. & lib. 3. cap. 7. oſtẽdit Galenus. Neque aliquid concludit argumẽtum hoc, Munus vitalis facultatis eſt gignere vitalem ſpiritum, quod arteriæ non faciunt, ſed cor: differt ergo facultas pulſatilis, quæ eſt in arterijs, à vitali, quæ eſt in corde. Quoniam arteriæ non minus, quàm cor gignunt ſpiritum: imò ſiniſter cordis ventriculus ideò gignit, quia arterioſus eſt. Neque etiam colligit inſtantia: Vitalis reperitur in omni membro viuente per conſenſum à corde:

de: pulſatilis autem ſolùm in arterijs: vitalis ergo facultas à pulſatili differt. Quia non eſt neceſſaria vis aliqua in membris per quam viuant, diſtincta ab anima, & calore innato: ſiquidem vita, vel eſt anima, vel operatio animæ, vt cap. 10. li. 9. de morb. med. dixit Galenus. Hinc eſt, quòd licèt Galenus lib. de vſu pulſ. cap. 6. dicat, ſolam reſpirationem ſufficere ad cor refrigerandum: non tamen eſt negandum, per arterias quoque nonnihil refrigerari, vnde in carpijs manuum in curatione febrium non temerè refrigerantia adhibemus ad cor ipſum refrigerandum, vt Galenus iubet capitu. 18. lib. 3. de ſimpl.

De pulſuum differentijs, cauſis, & prædictionibus. Cap. XI.

GALENVS cap. 4. lib. 1. de differ. pulſ. pulſuũ tot eſſe primas & generales differentias, quot ſunt cauſę, ex quibus oriũtur, docet. Cauſæ autem tres ſunt, facultas, inſtrumentum, & vſus. Facultas mouet, inſtrumẽta mouentur, vſus eſt id, cuius gratia motus exercetur. Ergo à robore facultatis fit pulſus vehemens, languidus, & mediocris. Ab inſtrumento ipſo nimirum arteria naſcitur pulſus durus, mollis, & mediocris. Cæterùm quicquid mouetur, aut celeriter mouetur, aut tardè, aut mediocriter mouetur

hinc

hinc fit, vt ex tempore, quo ille motus metitur naſcatur pulſus celer, tardus, & mediocris. Si autem longitudine latitudine, & profunditate pulſus extendatur, efficitur pulſus magnus: paruus cõtrà, ſi illis dimenſionibus imminuatur. Cùm autẽ inter mouẽs & mobile ſemp reperiatur ꝓportio, aut diſproportio, æqualitas, aut inæqualitas, ordo aut illius vacuitas, fit, vt hinc alię differentiæ pulſuum oriantur: quarum prima eſt, quæ à rhytmo oritur, quæ habet quid cum muſicorum contemplatione cõmune. Secunda ab æqualitate, & inæqualitate. Tertia ab ordine & ordinis vacuitate proficiſcitur: de quibus minutatim erit dicendum. Pulſus magnus, vt inquit Galenus cap. 5. lib. 3. de differ. pulſ. eſt, qui contentione mittitur, & tangentis manum validè ferit, ideò etiam appellatur vehemẽs, fortis, & validus. Languidus, qui leuiſsimo, & inualido impetu pulſat, hoc eſt, imbecilliter & remiſsè, non autem intentè. Medius, qui neque omnino intentè, neq; remiſsè, ſed medio quodam modo ſe habet. Durus quidem eſt, vt ait Galenus cap. 7. lib. 3. de differ. pulſ. cùm durior, ac veluti ſiccior, corijq; modo rigidior in occurſu apparet arteria. Mollis, quando arteria in occurſu mollior, ac veluti carnoſa ſentitur. Mediocris qui medio modo ſe habet. Celer pulſus eſt, vt ait idem Galenus cap. 14. lib. 1. de diff. pulſ. cùm modico tẽpore arteria dilatatur. Vel breuiùs,

qui breui tempore motum ſuum finit. Tardus vero, cùm multo tempore arteria diſtenditur: vel qui multo tempore motum ſuum perficit. Mediocris eſt, qui medio quodammodo in motu ſe habet: vel qui medium quendam inter celerem & tardum motum obtinet. Vide in eam ſententiam Galenũ ipſum c. 1. lib. 3. de dignoſ. pulſ. Crebrum autem pulſum, rarum, & mediocrem, hic ſciens ac volens omitto, quia cũ naſcatur ex tempore quietis, perfectiùs ex motu percipitur, qui iam in ſuperiori differentia eſt cõprehenſus. Pulſus verò, qui in omnibus dimenſionibus æqualiter in ſtatum præter naturã traducti ſunt, duæ ſunt differentiæ, paruus & magnus. Paruus, qui vndequaque, hoc eſt trina dimenſione, longitudine nimirum, latitudine, & profunditate, imminutus eſt. Magnus cõtra, qui vndequaque auctus eſt. In omnibus autẽ dictis generibus ac differentijs differentia reperitur, quę in ęqualitate, & inęqualitate cõſiſtit. Æqualis igitur pulſus eſt, qui conſequenter vel in magnitudine, vel vehementia, vel celeritate, vel in reliquorum generũ aliquo, vel in omnibus par eſt. Inęqualis contra dicitur, qui conſequenter impar, vel diſsimilis eſt. Horum plures ſunt differentiæ, deficiens, intercidens, mutilus, caprizans, bis pulſans, vndoſus, vermiculãs, hecticus, conuulſorius, turbulentus, ſerratus: ordinatus etiam & inordinatus pulſus reperitur. In circui-

tuum

tuum quidem paritate ordinatus, in omnimoda imparitate inordinatus. Siquidem ordinatus eſt, qui in ſingulis circuitibus eſt æqualis: inordinatus verò, in quo nullus prorſus ſeruatur circuitus. Quapropter pulſus æqualis omnino eſt ordinatus: inæqualis autem non omnino inordinatus eſt. Hæc de frequentioribus & principalioribus pulſuum differẽtijs: quas latiſſimè Galenus in libris quatuor perſecutus eſt: quos ſequuntur alij libri quatuor de pulſibus dignoſcendis, in quibus miram adhibuit Galenus diligentiam, vt ipſe ſcribit: propterea, quòd pulſuum dignoſcendorum magna eſt difficultas, ꝙ tempus exigat longius, & tactu opus ſit exercitato, præterea ſingulari prudentia oportet eſſe Medicum, & expertum in dignoſcendo. Hæc autem in pulſibus dignoſcẽdis ſunt exactè cognoſcenda. Primùm diſtentionis quantitas, deinde qualitas, & tempus motus, tum mouentis eam contentio facultatis, poſtea ipſius tunicæ, arteriæ ſtatus, ad quorum exactiſsimã & abſolutiſſimam cognitionem, totam vitam humanã requiri lib. 1. de pulſ. dignoſ. ſcripſit Galenus. Alij quatuor libri ſunt de cauſis, à quibus quiſq; pulſus generatur. Alij denique ſunt de præcognitione ex pulſibus, Medicis ſanè præ cæteris honoratiſsimi, quo fit, vt reliquas partes, horum nomine tractent: & Philoſophus, qui ſcientiam naturalem inueſtigarunt, non planè neglectis.

Quamobrem libri de pulſuum differentijs iuxta ad Medicos & ad Philoſophos pertinent, ſed libri de dignoſcendis pulſibus, & de præcognitione ex pulſibus Medicis ſunt peculiariores, vt libri de cauſis pulſuum Philoſophus. Omiſſa igitur hic pulſuum cognitione, quia magis ex vſu, quàm ex lectione cognoſcitur, cauſas differentiarum pulſuum, quas ſupra retulimus, & eorũ prędictíones breuiter perſtringemus. Vehemẽs pulſus à robore facultatis efficitur, nulla aliarũ cauſarum renitente, verbi gratia, vſu diſſoluto, aut inſtrumenti duritie. Qui igitur moderato ſunt habitu, & natura temperata, in vigore ætatis, maximè verò ex anni tẽporibus, regionemq́ue incolunt temperatam, robuſtiq́ue ſunt, & omni mœrore, metu, ſaturitate, motu vacui, hi pulſum vehementem omnes habent. Qui ſi moderatè ſe exercitauerint, fotiq́ue ſint modicis balneis, vel vini non permultum hauſerint, vel irati ſint, vel operam ſtrenuam aliquam nauauerint, non vehementes tantum, ſed vehementiſſimos pulſus habebunt. Ijdem ſi laborẽt ſyncera tertiana, vel ardente miti, & ſimplici, aut qua alia magnopere calida, & veluti feruente febre, præterea diariarum aliqua, quæ ex bubone proficiſcuntur, & ex aduſtionibus, modicisq́ue laſſitudinibus, vehementiſſimos etiam pulſus habebunt. Itaque vehemens, ſeu fortis à facultatis ſemper robore fit, & quò fortior fuerit, eò

facultatis

facultatis robur amplius ſignificat. Languidus verò ſemper imbecillæ facultatis, & ſolius ſoboles eſt. Siquidẽ vehemens pulſus, omnibus cauſis ad ſui generationem indiget. Languidũ verò ſola imbecillitas efficit, qui à languore in vehementiam tranſit, virtute roborata, & ab imbecillitate, quæ prius occupauit vendicata, efficitur. Roboratur autem vel ex ijs, quæ in ipſo cõtinentur corpore, veluti humorum concoctione, vel excretione, aut ira, vel ab externis, nempe vino, cibo, exercitijs, & alijs, quæ intemperiem corrigunt, & emendant. Vires verò diſſoluunt, inedia, vigiliæ, vacuationes immodicæ, triſtitia, curæ, dolores potiſſimũ ſyncopen inferentes, & quæcunque intemperiem efficiunt. Durus pulſus fit propter inſtrumentorum duritiem, quam refrigeratio immodica, aut ſiccitas, aut tenſio à phlegmone, aut conuulſio inducit. Statim verò duritiem etiam paruitas, & celeritas, nonnunquam etiam frequentia, pro magnitudine propter vſum ſequitur. Si igitur ęgrotum inuiſas, quem prius nõ videris, isque morbo teneatur, qui febrem iunctam habeat, neque tamen ſupernum principium ſit affectum: & cũ redeas pulſus eſſe durus videatur, certè is interim, dum tu abfuiſti, aut aquam gelidam bibit, aut fructum aliquem Autumnalem refrigerantem ingeſſit. Hæcque facta eſſe tibi perſuades. Mollis pulſus, humiditatis arteriæ comes eſt.

Hanc autem reddunt humidiorem ex ijs, quæ non ſunt præter naturam cibi humectiores, balnea frequentia, ſomnus multus, victus ratio, & plenior ac delectabilis. Ex ijs quæ præter naturam ſunt, comata lethargi, aqua inter cutem, & reliqua vitia à pituita orta. Magnus pulſus fit, vbi vſus, qui calor eſt in corde exuperãs, vrget, externę refrigerationis ac veluti ventilationis appetẽs, ac robur facultatis validum eſt, inſtrumentumq; obediens, adeoq; molle, quòd quia prompte extenditur in omnem partem, facilè diſtenditur. Aucto igitur cordis calore, primũ quidem magnus fit pulſus. Vbi verò magnitudo vſui non ſuffecerit, mox etiam celeritas ipſi accedit. Quod ſi ne ſic quidem ſatis fuerit, mox frequentiam etiam aſſumit. Quamobrem peculiares pulſus copioſo calori ſunt, magnus, celer, creber, non tamen vt ei comitentur neceſſe eſt. Poſtulant enim quò tales euadant facultatem validam, atquę inſtrumentum molle. Si enim infirma ſit facultas, aut durum inſtrumentum, neque magni, neque celeres eſſe poſſunt: quod inſtrumentum propter duritiem aduerſus mouentem facultatem contumax ſit: illa verò attollere quatenus oportet, arterias per imbecillitatem impos eſt. Quare, vt magnus, vel celer pulſus fiat, tria oportet cauſarum genera inter ſe conſpirent, vt vſus illorum generationis vrgeat, facultas valida ſit, molleſque arteriarum

tunicæ, aut certè non rigidæ ſint. Cæterùm augetur calor, aut ex cauſis naturalib⁹, vtpote ęta te florēte, aut puerili, aut ſimpliciter calida, anni tempore, regione, & temperamento calidioribus. Aut à cauſis non naturalibus, veluti aere, qui nos ambijt calidiore, balneis calidis, exercitijs, cibis, vino, medicamentis calefacientibus. Aut à cauſis præter naturam, puta intemperie calida, aut humorum putredine, aut ira, aut ſimilibus, nempe voluptate, mœſtitia, timore, dolore, ac morbis. Celer itaq; pulſus in ſanis quidem, calidius temperamētum: in ægris tum virium robur, tum caloris præter naturam copiā, & neceſſitatem refrigerij cordis ampliorem, & inſtrumentorum mollitiem demonſtrat. Vbi.n. robuſta facultas eſt, calorq; in corde copioſior, inſtrumentumque obediens, vſusq; multus, tū magnitudine pulſum vſui facultas ſatisfacit. At vbi magnitudine id præſtare non poteſt, mox celeritate ſuccurrere ſatagit. Celeritas itaque pulſuum, & vſus neceſſitatem auctam, & virium conſiſtens adhuc robur oſtendit. Paruus pulſus à contrarijs magni fit cauſis, nempe ob facultatis imbecillitatem, aut inſtrumenti duritiem, aut vſus neceſſitatemve deficientem. Eaſdē ob cauſas rarus, & tardus fit pulſus. Cumq; tardus ſimul cum paruo, & remiſſo iungatur, ęgroti propè ad mortem accedunt. Nam natura, quæ iam pridem refrigerata eſt, vt nec multum, nec

ita celere refrigeriũ, & ex longis interuallis requirit: neceſſe quoque eſt, prout facultas plus minusve offenſa eſt, etiã pulſum ipſum plus, vel minus ad paruitatẽ & tarditatem tranſire. Comes præterea contumaciæ arteriæ dilationis, neceſſariò eſt tarditas, & raritas. Rhytmus ſi par æqualisve ſit motu, & quiete probã totius corporis temperiem monſtrat, quantum in ipſo eſt, aut non magnam à bona declinationem. Sin longius quietis tempus, quàm motus fuerit, calorem dominari ſignificat. Itaque æqualis pulſus, qui in quiete, & motu æqualitatem ſeruat, & probam totius corporis tẽperiem & virium robur demonſtrat. Inæqualis pulſus, omnino contrarium. Quin & in malis æquales, bonam de ipſis ſpem, naturæq; ad concoquendum morbum firmitatem declarant. Inæquales verò, vel vaſorum opilationes, inſtrumentorumq; compreſſiones, aut humorum abundantiam, ad facultatem quidem collata ea, aut demum cordis inæqualem intemperiem arguũt. In æqualibus ergo pulſib. non mediocris eſt ab inæqualibus differentia, quod ad ſalutem attinet. Imò verò ne comparandæ quidem hæ differẽtiæ ſunt. Nã ęqualis pulſus naturalis eſt: inæqualis vero, nõ modo præter naturã, ſed iam etiã grauis. Verũ in inuaſionibus minus erit prauus: in incremẽtis deterior: ac multo etiam in acceſsionum ſtatibus: in declinationibus denique peſſimus.

Defi-

Deficiens pulſus à facultate oppreſſa, & veluti grauata fit,& extremum facultatis caſum ſignificat. Deficiens,inquam,pulſus,ſi referas ad noſtrum tactum foris iniectū. Obiecta enim arteriarum corpori ſunt,omnino certæ membranę, & cutis,multis etiam locis adeps, atque caro: à quibus vſu venit pulſui,vt nō occultetur modo, ſed impediatur. Cùm autem non percipiatur noſtro quidem tactui motus,atque hoc per totum animal accidat,vt nulla vſquam arteria videatur moueri,vocatur is affectus aſphixia,hoc eſt,priuatio pulſus: quæ quidem ſi ad veritatē exigas,in corpus nunquam viuum cadit. Neq; eſt enim vnquam, quin cor vnà cum arterijs omnibus agitetur. Intermittens pulſus ab ijſdē cauſis fit. Quod ſi non vnius modo tempus pulſus quieſcat,ſed diutius etiam, clariùs is intermittere videatur, periculoſiorq; hoc erit priore, quo quieſcat diutius. Itaque, inquit Galenus cap.4.lib.2.de præſ.ex pulſ.cùm duorū pulſuum tempus arteria quieſcat,haud ſcio, an ſuperſtes eſſe quiſquā poſsit: vnius certè tempus pulſus,aut paulò amplius ſæpè numero conſpeximus intermittente motu arteriarum confirmatum hominem eſſe, præſertim cùm ętatem ageret ſenilem. Quanquam hoc videri abſurdū poſſit. Etenim, ſi vel ſua ſponte imbecillus ſenex eſt, laborantque eius etiam ante valetudinis infirmitatem facultates, quem expectemus

euentum,

euentum, ſi ad ætatis imbecillitatem, altera acceſſerit ex morbo. Nempe hac de re non eſt periculoſum, ſed eo potius leue, quòd imbecilles facultates à paruis ſæpè occaſionibus, fiat, vt offendantur: at firmæ tantum deijciuntur à maximis. Itaque, qui habitu ſunt valente, & admodum diu in morbos non inciderunt, periclitantur, ſi incidant. At verò imbecilli, quique aſſiduè obiecti ad omnes cauſas ſunt, facillimè ſeruantur, quòd ſcilicet, de his nemo, cùm à quali bet lædatur, vel minima, expectet cauſam magnam. Robur validorum omnem excipit cauſam paruam, vt à ſolis magnis vincatur. Itaque præter cæteros in pulſibus intermittentibus iuuenes, minus his pueri, minimè ſenes in periculum vocantur. Vibratus pulſus, & robur virium & caloris copiã indicat, & criſim futurã interdum nunciat. Et quo magis vibratus ſit, eò magis fore criſin ſperabis. Vtrũ verò bona an mala futura ſit (huius enim rei ſemper memento) ex ijs cognoſces, quæ retrò diximus, in quibus maximum, tutiſſimumque propoſitum à morbi cõcoctione ſumitur: poſt illud autem eſt, quod in robore virium ægrotantis conſiſtit. Hęc duo propoſita vbi ſuppetere didiciſti, validas vires, & morbi concoctionem ad ſalutem & mortem præſagiendam. Vndoſus pulſus ſudorem ferè nunciat, eoque magis, quo ſit mollior, & nõ remiſſus. Cùm vero in ipſum altus intercidit, tũc

firmiſsi-

firmiſsimum ſudoris ſignum tibi ſuppetet:ſiquidem is quampiam excretionem ſemper ſignificat: cum vndoſo autem, aut omnino cum magno,non duro tamen coniunctus, criticos ſudores indicat. Cum vibrato verò, aut abſolutè duro,potiùs mẽſtruas purgationes, aut ſanguinis è naribus profluuium,aut ex hæmorrhoidibus, aut ex perturbato ventre nunciat. Quæ verò potius ſit futura excretio, diſtingues vſu eorum, quæ retrò ex libro de criſibus diximus. Vndoſus etiam humidiora maximè vitia ſequitur,atque ijs magis aquæ inter cutem genus,quod anaſarcam vocant,item lethargum, & peripneumoniam. Cum verò vndoſus hic pulſus languidus ſit, vermiculans efficitur. Quocirca facilè in formicantem tranſit, qui ſummam viriũ imbecillitatem indicat: ideoq; omnium eſt languidiſſimus, & minimus: proinde peſſimus, vtpote qui propriam virium infirmitatẽ,nõ ex multitudine prægrauante, aut expreſſu, aut ex obſtructione obortam indicet. Caprizans pulſus, cordis inæqualem intẽperiem, & validos eius viſceris effectus ſignificat: quanquàm non perpetuò cum intemperie talem coniungi pulſum oporteat,ſed interdum, vel ob humorũ immodicam copiam,opilationem, aut compreſſionẽ inſtrumẽtorum,talem fieri pulſum. At ſi quando cum eo aliqua ſit morbi iuncta concoctio, criſin bonam annunciat. Dicrotus, ſeu bis pulſans,

ſans, vt ex magna intemperie originem ducit; ſic & eandem in viſcere cordis ſubeſſe, arteriæque duritiem declarat: nonnunquam humorũ tum copiam, tum craſſitudinẽ. Cordis etenim, & arteriarum inæqualem intemperiem is pulſus conſequitur. Hecticus autem propriè, tabidis & alioqui emaciatis accidit. Conuulſorius pulſus fit, cùm neruorum principium aliquem phlegmonoſum affectum ſuſtinet, veluti phreniticis, & acuta epilepſia laborantibus, quando hoc vitio correpti moriuntur adhuc calentes: contrario ijs modo, quos ſyncope inuadit. Illi nãque admodum etiam frigidi adhuc fiũt. Turbulentus pulſus efficitur, quum vſus, ſeu neceſſitas magnam ſublationem requirit, & facultas vitalis ſua functione vti poteſt, ſolùm autem arteriæ corpus repugnat, præ duritie in magnam diaſtolen ſublationemve attolli nequit, veluti in magnis phlegmonibus, obſtructionibusque diuturnis. Serratus pulſus in vniuersũ phlegmones, præſertim neruoſarum partium comes eſt. Quapropter pleuritidi peculiaris eſt. Reliquas pulſuum differentias, prudens omitto. Supereſt ſolùm, vt dicamus, an pulſus ordinatus certiùs prædicet, quàm inordinatus. Ordo enim, inquit Galenus c. 13. lib. 2. de præſ. ex pulſ. fixam quodammodo cauſam & perpetuã eſſe videtur indicare. Et propterea ad finem capitis concludit, Nihil igitur certi, nihil ordinis perturbatio

firmi

firmi habet: neq; tale, quale ordo, vel bonum, vel malum. Et hæc ſatis ſint de præcognitione ex pulſibus.

De reſpirationis prædictione. Cap. XII.

EADEM eſt ſpirationis vtilitas atque pulſus, videlicet conſeruatio innati calidi, & ſpiritus animalis nutritio. Spirationis autẽ duę ſunt partes, inſpiratio, & expiratio. Per illam refrigeratur feruor cordis, & nõ per frigiditatem cerebri, vt Ariſtoteles cap. 7. lib. 2. de partibus opinatus eſt, cerebrum, dicens, calorem, feruoremq́; cordis moderatur, & temperiem affert. Quem Galenus cap. 2. lib. 8. de vſu partium irridet. Simile, inquit, eſt Ariſtotelis dogma, ac ſi quis dicat calcaneum cordis cauſa extitiſſe. Ac, ne quis me exiſtimet riſus gratia hæc dixiſſe, ſi rem diligẽter inſpexeris, citiùs à calcaneis ad cor refrigerium aliquod perueniat, quàm à cerebro. Per inſpirationem verò emittuntur quæcunque fumoſa excrementa, quæ calor reſoluerit. Hæc etiam præbet materiam ad vocem & ſermonem efformandum, ſine qua effici nequeunt. Eſt autem reſpiratio communis omnibus animalibus, vt Glenus lib. de fœtus formatione cap. 9. inſinuare videtur. Et Plinius libro 9. cap. 7. Ariſtoteles quoque ratione conuictus, & partium vtilitate ac vſu, piſcibus reſpirationem

rationem conceſsit, licèt in libello huic rei dicato hoc ipſum negauerit. Lib. enim 4. de part. anim. cap. 13. inquit piſces habere pinnas ad natandum, & branchias ad reſpirandum: cùm ergo ex Ariſtotele nullus piſcis branchijs careat, nullus erit, qui non reſpiret. Neque ſolùm pulmo eſt ad reſpirandum inſtrumentum, vt ipſe loco citato, & cap. 10. lib. 1. Poſter. voluit, ſed branchiæ quoque piſcibus, & cutis emiſſacula animalibus inſectis, per quæ inſpirant, & expirant, vt latius alio in loco nos diximus. Vtranque autem reſpirationis partem Hippocrates communi nomine ſpiritum declarauit, vt Galen. lib. 1. de ratione victus. tex. 32. aduertit. Hinc ipſe dixit lib. 6. de morb. vulg. ſect. 8. tex. 3. ſpiritus irrumpentes, intrantes, exeuntes, & item corpora. Vbi ſpiritum intrantem & exeũtem nil aliud vocat, niſi inſpirationem, & expirationẽ, ꝙ ſcilicet in inſpiratione aer intret, in expiratione autem exeat. Componitur reſpiratio, vt ſupra eſt dictum ex duobus motibus, & duabus quietibus. Ex motibus ſumuntur quatuor differentiæ ſimplices difficilis ſpirationis: ex quietibus verò duæ, quæ in vniuerſum ſunt ſex. Velox, tarda, magna, parua, frequens, & rara, vt Hippocrates docuit lib. 6. de morb. vulg. ſect. 2. text. 10. Qui locus licèt à Galeno ibi non explicetur, tamen lib. 3. de diff. reſp. cap. 3. minutatim ſingula verba illius textus interpretatur; veluti alium

locum,

locum, ex lib. 2. eiuſdem nominis ſect. 3. Cùm enim reſpiratio genere quidem motus ſit, omnis autem motus in loco & tempore fieri neceſſum eſt: ſecundum tempus quidem quo mouetur, tarda aut velox inſpiratio, vel expiratio dicetur. Si enim motui propria ſunt velocitas & tarditas, vt inquit Galenus cap. 2. lib. 1. de diff. reſp. id non à motu per ſe, quoniam eius differentiæ non ſunt, vt probat Ariſtoteles c. 4. lib. 5. Phyſic. ſed à tempore, in quo motus fit: ſic Ariſtoteles motum continuum eſſe dixit, quia tempus continuum eſt. Secundum autem ſpatium magna, vel parua dicitur, quando ſcilicet in magnam molem conſurgit thorax, vel parum diſtenditur: at quando inter vtrunque motum paruum interſit interuallum, vel longum, rara, vel frequens talis ratio dicitur. Eſt itaque velox ſpiratio nihil aliud, niſi cum paruo tempore inſtrumenta reſpiratoria dilatantur: tarda vero, quando longo tempore diſtenduntur. Magna, inquit inſtrumentorũ ſpirationi deſeruientium magna fit dilatatio: parua contra, vbi eorundẽ modica fit dilatatio. Crebra ſeu frequens, aut denſa ſpiratio eſt, quæ modico interpoſito interuallo fit: rara autem, quæ longo. Ex ijs ergo quædam ſunt ſimplices: aliæ verò coniunctæ. Simplex difficultas reſpirandi appellatur, quæ vnam totius reſpirationis partẽ ſingulatim occupat. Compoſita verò, quæ in pluribus conſiſtit.

ſtit. Atqui cum poſterius ſit ſemper compoſitũ ſimplicibus, iuxta rationem vtique fuerit, de his quę natura priora ſunt, prius mentionem facere. Quare à prædictione ſimplicium reſpirationis difficultatum initium ſumemus, atq; vbi has explicauerimus, ad prædictionem coniunctarum accedemus. Præſagiunt ſanè ſimplices differentiæ difficultatis reſpirandi, ſed non clarè ac diſtinctè: magna ſiquidẽ deliria, & neceſſitatis incrementa portendit: parua, dolores alicuius ſpirabilis particulæ, vel virtutis imbecillitatem cum decremento neceſsitatis ſignificat. Sic rara hoc ipſum & deſipientias factas denunciat: frequens dolores & facultatis augmenta atque neceſsitatis demonſtrat: velox autem & tarda ijs, qui deſipuerunt indifferenter adſunt. Verùm diſtinguere oportet, quando vnũ, quãdo alterum ſignificent per vtiles quatuor differentias coniunctas, quas ſtatim explicabimus, quæ diſtinctiſsimè dolorẽ, & neceſsitatis augmenta, vel decrementa, & virtutis diſpoſitionẽ & organorum ſignificant, à quibus tribus completur reſpiratio: veluti eius difficultas ex motu, mole, & quiete ſumitur. Quatuor autẽ ſunt differentiæ coniunctæ difficultatis reſpirationis, quas Hippocrates in lib. 2. & 6. de morbis vulgaribus in hunc modum coniunxit, frequentem & paruam, frequentem & magnam, magnã & raram, paruam & raram. Et idem Hippocrates

tes prognoſt. 24. lib. 1. earũ ſignificationes breuiſsimis verbis, vt ſolet, explicuit. Spiritus, inquit, creber ſignificat dolorem. Subticuit autẽ Hippocrates, & paruus, quoniam nihil eorum, quæ etiam alijs manifeſtè cognoſcuntur, ſcribit, vt Galenus cap. 8. & 10. lib. 2. de diff. reſp. aduertit. Erat autem manifeſtum denſitatem per ſe ſolam nihil certi ſignificare, niſi hoc diſcrimen accedat, vt, videlicet, cum altera quapiam reſpirandi difficultatis ſpecie copuletur. Denſa. n. ſimulq́ue parua, organi alicuius, quod cum reſpirationibus commoueatur, dolorem indicat, veluti Galenus capit. 21. lib. 1. & cap. 5. lib. 3. de diff. reſp. docet. Frequens ergo & parua reſpiratio omnium animalis particularum quæcumq; ad motum thoracis commouentur, eſt ſignum. Non enim quia thorax dolore afficitur, parua efficitur ſpiratio, ſed quia illi animalis facultas præſidet, q̃ dolori temperans, paruã ſpirationẽ facit. Quare in tumoribus præter naturã conſiſtentibus circa vẽtrem, aut ſplenem, aut epar, aut colon, aut ijs vicinas partes propter ſepti tranſuerſi anguſtiam, huiuſmodi ſpiritus cõtingunt, vt Galenus cap. 5. lib. 3. de difficult. reſp. ſcribit. Grauidis præterea, aut mox, aut poſt tempus à conceptione, & ijs, qui aqua inter cutem laborant, & nimium ſaturis & ventricoſis, quibus tremit omẽto popa vẽter, & orthopnoicis, qui non niſi ceruice recta ſpirare poſſunt,

Q ob

ob craſſos & lentos ſuccos collectos in aſperis arterijs, & quibus thorax pulmone obſtructus eſt, aut induratus, aut molles habens tumores, vel quomodocunque dolorem inferentes, ad hęc & pleuriticis & ſuppuratis, quibus vt plurimum tales ex pleuritide fieri contingit, & non ijs ſolum, verum & ijs, quibus dolet vẽtriculus, aut aluus, aut peritonæum, aut colon, aut inteſtina tenuia, quæ ſuperius inſident, aut præcordiorum muſculi laborant. Omnibus, inquam, his vnica doloris ratione talis ſpirationis ſpecies accidit, quia moto thorace, hæc quidem ab organis ſpiratorijs dependentia, illa verò connata eiſdem concutiuntur, vnde & ægre ferunt, minusq; dolent in paruis thoracis diſtinctionibus: magis autem in maioribus. Huiuſmodi ſpi rationẽ paſſus eſt Pythion, Anaxion, vxor Hippocratis, & Philini, vt declarat Galenus lib. 2. de diff. reſp. cap. 8. & 10. Item filia Ageſij lib. 6. de morbis, ſect. 4. tex. 4. Docet deinde Hippocra tes ſecundam differentiam difficilis ſpirationis coniunctam, inquiens, Spiritus autem, qui creber eſt, ſignificat inflãmationem in regionibus, quæ ſupra præcordia ſunt: quibus verbis, vt declarat Galenus cap. 4. 5. & 6. lib. 3. de difficult. reſp. ſubticuit magnitudinem, veluti omnibus notam. Perſpicuum, inquit, eſt quòd denſo, & paruo dolorem: denſo verò, & magno inflammationem coniungat. Neq; enim dicere licet,

quòd

quòd in popularium quidem morborum libris duobus, parui & denſi, & magni ac denſi ſpiritus mentionem fecit, in alijs verò nuſquam. Nã & in illis ipſis ſæpè & in libro de dięta, ſeu victu in morbis acutis, quem etiam de ptiſana inſcribunt, ſtatim in principio libri, non tantum huiuſmodi difficilis reſpirationis ſpeciem palam nominat, ſed & ipſam affectionem, in qua fit, & modum ipſius, iuxta quem lædere ſolet. Meminit quoque Hippocrates magnæ & denſæ ſpirationis progn. 56. lib. 2. & tex. 44. lib. 2. de ratione victus. Fiet autem magnus & denſus ſpiritus caliditate multa in reſpiratorijs organis coacervata: id quod fermè omni die in omnibus exurentibus febribus apparet, vt neminem latere poſſit. Etenim quòd inflammationẽ præter naturam philogoſin Græcis dictam, non Hippocrates ſolùm, ſed omnes ferè alij, qui ante Eraſiſtratum fuerunt, phlegmonem nominarint, & non à nobis tantum, ſed ab omnibus Hippocratis expoſitoribus eſt oſtenſum. His itaque ſic ſtantibus, nihil amplius mirũ eſt, prędictas ambas differentias Hippocratem vna ſumma oſtendere, cum ait; Spiritus denſus exiſtens dolorem aut inflammationem ſignificat in locis ſuper ſeptum tranſuerſum. Tanquã ſanè nos intelligere poſſimus, quod cum paruitate dolorem ſignificet, cùm magnitudine verò inflammationem. Apponit autem rationabiliter in locis ſupra ſe-

ptum tranſuerſum, ſiue reſpiratorijs tanquam immodicæ caliditatis partiũ infrà ſeptũ tranſuerſum, reſpirationẽ in magnitudinem ac denſitatem eleuare non queant. Tertia difficultatis ſpirationis difficultas eſt magna & rara, quam Hippocrates ijs verbis exprimit, ſi verò ſpiratur magnus multoque interpoſito tẽpore, delirium indicat. Eſt itaque propria nota atque ſignum delirantium magna raraq; inſpiratio, non tamẽ inſeparabile: ſicuti geometram eſſe, vel fabrũ, vel Medicum, ſoli homini conuenit, non tamẽ omni. Poſsisq; dicere omnibus delirijs deberi magnam raramque ſpirationem, nõ tamen delirantibus omnibus, vt cap. 9. lib. 2. de diff. reſp. inquit Galenus. Quod ſi idem Galenus prorhet. 4. lib. 1. hanc ſpirationem raram & magnã eſſe ſignum inſeparabile delirij, dixit, intelligẽdus eſt vbi delirium alteri affectui nõ adiungitur, qui poſsit impedire ſpirationem, quæ à delirio prodire debebat. Affectus autem, qui illã ſpirationẽ prohibere poſsũt, ſunt, dolor, aut refrigeratio, vel anguſtia, obſtructione in ſpiritualibus organis conſiſtentia: hæc. n. contrariã ſpirationẽ efficere ſunt nata. Si igitur dolor, aut refrictio vincat delirium, ipſa ſpirationem ſuo modo imprimet. Sin autẽ delirium ſuperet, ipſum ſpirationẽ effinget, excudetq;. Sin verò alter alterius affectus vicib. alternis victor, victuſque euadat, modò paruum ſpirabunt ęgri, &

ex

ex longis interuallis magnũ, aut magna ex parte ingentem ſpirationẽ trahent, paruo nonnunquã intercepto, ſuas agente partes, vt clarè explicat Gale. c. 7. lib. 2. de diff. reſp. Eſt autem rara in delirantibus ſpiratio, quia habent animũ imaginationibus & phantaſmatis intentũ, ſed magna & tantò maior, quanto rarior fuerit ſpiratio: non. n. ſinit quieſcere, aut tantiſper feriari, ſed excitat ſubinde, & expergiſci, atq; reminiſci ſuorum operum facit ſpirationis vſus nõ adimpletus, eò quod periculũ promptũ & immedicabile ſit, niſi de recẽti ſuccurratur, vt declarat Galenus c. 2. 3. 4. & 5. lib. 2. de diff. reſp. Hãc ſpirationem habuit adoleſcens in Melibia, vxor Dealcis, Philiſcus, Silenus, Dromeadæ vxor, & alij ſexcenti. Poſtremò docet Hippoc. quartam differentiam coniunctam difficultatis ſpirationis, paruam ſcilicet, & rarã ſub ijs verbis, Si verò frigidus de naſo & ore, admodũ exitialis iã eſt. Parua. n. & rara in organis perfrigeratis fit, ideò frigidã appellauit Hippocrates, quẽadmodum denſam, & magnam, calidã, vt enarrat Galenus c. 8. lib. 3. de diff. reſp. Cùm igitur tria ſint principalia cauſarum genera ipſius reſpirationis, vtilitas, facultas, & inſtrumentũ: palàm eſt, ꝙ ſi repererimus ex quibus, & quot reſpirandi difficultatib. affectiones in ipſis cognoſcãtur, hę qdẽ nobis oĩum vtiliſsimę ad p̃notiones erunt, reliquas vero oẽs ex ſuppondio cõſiderabimus.

At verò repertę ſunt magna quidem, & denſa, vtilitatis augmentnm: & contra parua, & rara, imminutionem ſignificantes. Delirij autē propria magna ac rara, dolorē parua & denſa. Cur ergo Galenus cap.4.lib.3.de diff.reſp.dixit, Solùm trium difficultatum ſpirationum Hippocrates in prognoſticis meminiſſe? An quia dubitatio eſt veritatis inuentio: ex illa namque dubitatione Galenus fuit coactus in ſequentibus capitibus Hippocratem explicare,& docere, nullam coniunctam difficultatē ſpirationis in prognoſticis omiſſam feciſſe, vt hactenus nos explorauimus. Sed cur ipſe Hippocrates diligentiſſimus in pernotandis omnibus, quæ ægrotis accidunt, ſpirationis inęqualis in prognoſtico non meminerit, quæ cùm de ſpirationibus ſcire maximè oporteret, proſecutus eſſet? Quia, vt inquit, & probat Galenus ca.9.lib.3.de diff.reſp. non erat peculiaris morbis acutis, de quibus ſe ſolum in eo libro agere velle ſępè innuit, atque ob eam cauſam, nec de vrinis, vel excrementis alui,aut mulierum affectibus,aut ætatibus,temporibus,regionibus,aut conſtitutionibus anni, alijsque multis, quæ per aphoriſmos tranſegit, quæ ad prædictiones multum conferre dignoſcuntur, aliquid in eo volumine dicendum ſibi cenſuit. Aliæ autem quatuor differētię ſunt cōiunctæ difficultatis reſpirationis, videlicet, magna & velox, magna & tarda, parua & velox, par-

ua &

ua & tarda. Item aliæ quatuor, ſcilicet frequens & velox, frequens & tarda, rara & velox, rara & tarda. Hæ autem parum nobis vtiles ſunt, quia aut nihil certum ab illis pronũciatur, vel quidquid ab eis colligi poteſt, id ante per quatuor priores differentias cognoſcere præuenimus. Cæterùm cum nulla difficilis ſpiratio periculo careat, illa omnium exitialis & peſſima eſt, quæ paruitatem cum raritate habet: propter enim refrigerationem cordis, & calidi innati abolitionem conſiſtit, quæ præſentaneum periculum ſolet afferre. At verò vel delirium, vel inflammatio in pectoris partibus, vel dolor, vt mala ſint, leuiora certè ſunt, quàm quæ malum præſentaneum inferant, ſicuti perfrictio membrorum, à quibus vita oritur, quæ dictam iam ſpirationẽ molitur. Inſtabis tamen in hunc modum, ſi cor friget, qui fieri poteſt, vt in acutis morbis febriat? Reſpondet Galenus lib. 6. de morb. vulg. ſect. 4. cõm. 30. illis enim ſolis, inquit, id euenire comperies, quorum mortem calidiſsima febris anteceſſit, quæ corpus ipſum cordis cremauit, atque ideo poſtremò ipſum refrigerauit. Et ſtatim ſubdidit, Omne igitur cor propè mortẽ frigida intemperie affectũ eſt: ſed non in quolibet mortifero morbo huiuſmodi ſemper eſt: verùm in ardentiſſimis febribus plerunque calidiſſimum, vt dictum eſt. Igitur cum frigida intemperie cor ægrotat, calidum vaporem exha-

lare nunquam reperies, quādo iam vicinus morti conſtitutus æger frigidum reddere ſpiritum inceperit. Lege etiam, quæ Galenus in hanc ſententiam ſcripſit prorhetico. 7. lib. 1. Sed iterum inſtabis, Si cor eſt frigidum, quo pacto eget inſpiratione? Dicendū eſt, quòd licèt calor in ventriculo cordis quātitate paucus reperiatur, qualitate tamen eſt intenſus, & ob id inſpiratione indiget. Denique facilis ſpiratio bonum portēdit, veluti difficilis malum. In febribus autem peſtilentibus non raró hæc ſigna, & alia eiuſmodi fallacia vidi: quum omnes ferè ab initio in melius bona, & facili ſpiratione tendere videantur, nec raró qui iam reſtitutus videbitur mox ſuccumbat, ſalutem in fronte promittens, occipitio exitialem exitum refert. Quod reſpiciens Celſus lib. 2. cap. 6. ſic dixit, Illa tamen moderatius ſubijciam, coniecturalem artem eſſe medicinam, rationemq; coniecturæ talem eſſe, vt cū ſępius aliquando reſponderit, interdum tamen fallat nos. Si quid itaque vix in milleſimo corpore aliquando decipit, id notam non habet, cum per innumerabiles homines reſpondeat. Idque non in his tantum, quæ peſtifera ſunt, dico, ſed in ijs quoque, quæ ſalutaria. Siquidem etiam ſpes interdum fruſtratur, & moritur aliquis, de quo Medicus ſecurus primò fuit. Quæque medendi cauſa reperta ſunt, nonnunquam in peius aliquid conuertunt. Neque id euitare

humana

humana imbecillitas in tanta varietate corporum poteſt. Sed eſt tamen medicinæ fides, quæ multò ſæpius, perque multò plures ægros prodeſt. Neque tamen ignorare oportet, in acutis morbis fallaces magis notas eſſe & ſalutis, & mortis.

Quo pacto ſit prædicendum ex ſingulis partibus corporis: & primùm ex facie. Cap. XIII. §. I.

CAP. 6. lib. 1. huius operis de hac facie, an ſit ſimilis, vel diſsimilis homini anteà ſano, & quid inde commodi accedat, plura diximus. Nunc ſolùm prædictionem percurrã, quã Hippocrates in primo prognoſtico latè docet: ſed breuius in Coacis prænotionibus in hunc modum, Faciei corruptio, lethalis. Verùm minus, ſi propter vigilias, aut famem, aut alui exturbationem fiat: & ſi id quod propter hęc corruptum eſt, ſedetur per diem ac noctem: talis autem fuerit oculi caui, naſus acutus, tẽpora collapſa, aures frigidæ ac contractę, cutis dura, color pallidus, aut niger. Prolixior eſt, vt dixi in prognoſticis, ꝙ medicũ legitimũ faciat, & quo pacto ſe apud ægros gerere deceat, oſtẽdat. Nõ enim domi deſidendo vrinas operiri, & eas tantum, ſæpè vetuſtate, ſæpè quaſſatione portantiũ ab omni iudicio, vt infinita alia incommoda taceam, alieniſsima contemplari vult, ſed in

arenam

arenam egredi, & cominus cum ægritudine, adhibito etiam ægro, iubet. Vbi rurſum nec futilem, loquacemq; hominem expetit, nec protinus arripere matellam docet: ſed inſpicere in primis & intueri multum ſuadet. Et, ſi hominē ante nouerat, ſit ne ab illo quum valeret proſperè commutatus, animaduertere. Sin ad ignotū ventum eſt, an à communi eius regionis hominum vultu multū diuerſus ſit videre: hinc enim morbi ſęuitiem, hinc pericula, hinc quid facto opus, aut dicto ſit, intelligi. Neque temerè Hippocrates à facie incępit, quoniā ſola facies ęquè vt reliqua ſigna præſagire poteſt. Vnde Hippocrates lib. 6. de morb. vulg. ſect. 3. tex. 34. dixit, in ingentibus malis facies ſi ſit optima, ſignum optimum: in paruis autem contraria bonę ſignificationi ſignificans, malū. Et Galenus in cōm. inquit, in ingentibus malis, ſiue affectibus, ſiue ſymptomatis, ſi ſit facies optima, hoc eſt naturali ſimilis, bonum eſt ſignum: in paruis vero, rurſum & hic affectibus, aut ſymptomatis intellige, ſi facies fuerit ſignificans contraria prædictæ bonæ ſignificationi, malum aliquod ſignificabit. Quod ſi Hippocrates ipſe aphor. 28. lib. 2. ſcripſit, in febre exigua in eodem permanere ſtatu, neque collabi, & minui corpus, malum eſſe, dicendum eſt, Hippocratem in prognoſtico loqui in morbis acutis, in aphoriſmis verò in omni morbo, vbi vtrunque exceſſum damnat:

nam

nam ille nulla alia de cauſa accedit, niſi ob cutis denſitatem, humoresq́; craſſos & glutinoſos, atq; adeo difficulter ſolubiles, vt neceſſe ſit morbum diuturnũ fore. Hippocrates ergo in prognoſtico monet, vt in faciem & naturalem colorem intueamur, ac tunc periculũ imminere exiſtimemus, cũ à naturali ſtatu multum receſsit: minus verò, cum hoc parũ eſſe factum inuenimus. Si enim ipſe ſibi nulla in re ſimilis comperiatur, ſcito, eum ad extremũ periculũ eſſe perductũ. At benè cum illo agetur, ſi euadere mortem poterit. Si vero ſuperſtes fuerit, ea profectò erit diuturnior affectio. Idq́ue ipſe confirmauit cum dixit in lib. de aquis &c. Cum toto corpore mutationes accedunt, & ſi corpus refrigeretur, ac viciſſim calefiat, vel color alius ex alio oriatur, morbi longitudinem ſignificat. Cornarius autem in Coacis prænotionibus vertit, colorem pallidũ, cũ debuiſſet dicere, viridem: chlorum enim Græcè, vt ait Galenus progn. 7. lib. 1. & pallidum & viridem colorem ſignificat. In morbis etiã acutis debet prognoſticũ intelligi, ſiquidem in diutinis, vt Galenus aduertit, non admodum exitioſa eſt illa facies, item nec in terra frigida, hyeme, conditione frigida, ſenecta. Quemadmodum aph. 34. lib. 2. dixit Hippocrates, per morbos minus periclitantur ij, quorum naturæ morbus conuenit, aut ętati, aut habitui, aut tẽpori, quàm quibus non competit

aliqua

aliqua ex his ratione. Talis etiam vultus neqũa quam conſiſtit in morbo pituitoſo, quemadmo dum nec in plethorico, propter exuperantiam ſanguinis, ſed inopiã potius eſſe oportet in cor pore, & dolorẽ præuenire & curas, vt talis vultus exiſtat. In hac inſuper facie Hippocratica ſæpè viſitur veluti puluis cotti carminati, indicans mortem feſtinam ob ſiccitatem extremam, vt Galen. prorhetic. 17. lib. 1. aduertit, dicens, Cõmune nimirũ & tabeſcentium, & vehemẽter inſanientiũ: neq; ei cognitu difficile, qui ex tabeſcentibus vnum aliquando etiam conſpexerit. Nempe tabeſcẽtibus colliquatum eſt id omne, quod tum in facie, tum in tẽporibus carnoſum exiſtit, factis vnà & cauis admodum oculis. Lege quoque explicationẽ dicti prognoſtici apud Galenum lib. 6. de morb. vulg. ſect. 3. cõm. 29. Et ad alia faciei ꝓgnoſtica, deueniamus. Faciei color bonus, & mœſtitia multa, malum: ſcripſit Hippocrates prorhetico. 14. libro 2. Cùm enim florida apparuerit facies, eger autem valdè triſtis fuerit, quædam in cerebro valde calida affectio eſſe videtur, quæ ſanguinem exurit, eamq; ob cauſam bilem atram procreat gignitque. In coacis prænotionibus clariùs hanc ſentẽtiã declarat Hippocrates, dicens, Faciei bonus color, & toruitas, in morbo acuto, malum eſt. Flãmãs quoque cum ſudore facies in morbis acutis, mala eſt, inquit idem Hippocrates prorhetico. 33. lib. 2.

lib.2.quòd intelliges, niſi ſudor ſoluat morbũ, quoniam iudicatoria, quę non iudicant, partim difficulter iudicant, partim vero lethalia ſunt. Facies quoque rubicunda in longis morbis abſceſſum futurũ pręnunciat, vt inquit Gale. lib. 6. de morb. vulg. ſect. 2. com. 18. Quod verum eſt, ſi ſanguinis ex naribus profluuium haud præuenerit. Nam rubicundior facies ſanguinis ex naribus profluuium potiùs, quàm abſceſſum portẽdit, vt declarat Galenus cap. 11. lib. 3. de criſ. & prorhetico. 14. lib. 2.

De prædictione ab oculis. §. II.

EX oculis poſſe interdũ totius corporis habitudinem cognoſci, quòd nimirũ illi plus quàm reliquæ corporis partes ſpiritus animalis contineant, ob viſoriorum neruorum à cerebro ad ipſos pertingẽtium concauitatem. Proinde cum oculi robur ac fortitudinem habuerint, tum quoque corpus vniuerſum robur habebit, vt Hippocrates docuit libro 6. de morb. vulg. ſect. 4. text. 28. Robur autem & imbecillitatem oculorum ex colore oculorum poſſe deprehendi, illic Hippocrates, color, dicit, in peius ac melius mutatur. Sed præſtat prognoſticum decimum lib. 1. ſcribere, & interpretari, ſi enim lucem effugiant, aut nolentes illachryment, aut peruertãtur, aut alter altero fiat

minor,

minor, aut candidum rubidum habeant, aut liuidas, aut nigras venulas, aut pituita appareat circa obtutum, aut ſublimes, tumidive oculi, vel caui admodum fuerint, aut obtutus ſqualidus, & ſine ſplendore, vel totius vultus color euariet. Hæc omnia mala eſſe, atq; exitioſa cenſendum eſt: ſi fugiant lucem exitioſum eſt, quia ſummam imbecillitatem ſignificant, & inopiã ſpiritus animalis. Et libro de coacis prænot. inquit Hippocrates, malum eſt etiam lucis ſplendorem fugere. Hoc intelligendum eſt, niſi talis ſit locus ſplendor, quòd oculos offendat, vt libro de Medico, aduertit Hippocrates: & idem confirmat lib. 1. de ijs, quę in medica trina fiũt, tex. 11. Galenus quoq; lib. 1. de hum. cõm. 1. huius ſententiæ reddit rationẽ, dicens, Eius facultatis imbecillitatem, quæ adſpectum pertinet, efficere, vt oculi effugiant lucem: eſt etiam intelligendum prognoſticum, vt inquit Galenus, niſi cauſa ſit oculi affectio, vt in ophthalmia: tunc enim odium lucis non eſt exitiale, quia eo tempore ſenſorium læditur, abſque eo quòd facultas lædatur: facultas autem nunquam lædi poteſt, citra ſenſiterij noxam: quod Ariſtoteles lib. 1. de anima cap. 4. reſpiciens, dixit, Etenim ſi ſenex talem acciperet oculum, videret ſicut & iuuenis. Quare ſenecta non eſt, quia anima quicquam eſt paſſa, ſed quia id, in quo eſt, aliquid paſſum eſt: quemadmodum in ebrietatibus,

bus, & in morbis fieri ſolet. Inſuper intellige prognoſticum, niſi cauſa ſit dolor capitis vehemens, ex quo læduntur oculi à lumine, veluti humores commouente: ideò in ingenti febre, & ardentiſsima domus obſcura non mediocre remedium eſt ad capitis dolorem ſedandum. Itē malum eſt, ſi oculi nolentes illachryment: quoniam propter infirmitatem continentis facultatis lachrymas emittunt, vt lib. 1. de hum. cōm. 1. Galenus etiam aduertit: & aphor. 52. lib. 4. vbi nihil mali oſtendere inquit, dum volentibus illachrymant, & ob euidentem aliquam cauſam promanarint, vt fit vbi oculi ob proprium, atq; præcipuum aliquem affectū, veluti lippitudinē, vel in palpebris aſperitatem, vel fluxionem aliquam de capite decumbētem, vel tale aliquid. Oculi etiam præter voluntatem illachrymātes, interdum ſanguinis ex naribus eruptionē ſignificant, vt cap. 11. lib. 3. de criſ. inquit Galenus, ex Hippocrate lib. 1. de morbis vulga. ſect. 2. text. 80. Vbi inquit, Quibus in febribus acutis, atq; adeò ardentibus ſpontaneæ erumpunt lachrymę, his eſt (ſiquidem reliqua non ſint exitialia) narium profluuium expectandum. Qui incommodè habent, his non ſanguinis eruptionem, verùm portendunt mortem. Et idem repetit libro 4. de morbis vulga. verſus finem. & libro 6. eiuſdem operis ſect. 1. text. 21. Et lib. de coacis prænotionibus. Cæterùm volūtariæ lachrymæ

ſequuntur

ſequuntur animi affectus, gaudium nempe, aut triſtitiam, quarum cauſam Alexander q.32. declarat, dicens. Qui quidem dolent, meatuum, qui ſunt in oculis ſpiſsitudine, eorum exprimũt humiditatem: qui autem gaudẽt, raritate meatuum humidum effundunt. Quibuſdam verò in oculis, ijs, qui anguſtiores meatus habent, in neutro lachryma exprimitur. Cur lachrymæ, quas mœrendo emittimus, calidæ ſunt: quas oculis laborando, frigidæ? An, reſpondet Ariſtoteles ſect. 31. q. 24. quia frigidum, quod incoctum, crudumque eſt: calidum quod coctum: languorem autem omnem ex cruditate proficiſci, nullum dubium eſt. Quod cum lachryma cruda eorum ſit, qui valetudine oculorum laborant, non immerito frigida. Hinc medici ſudorem frigidũ, argumentũ eſſe grauis morbi exiſtimant: calidum contra, decretorium eſſe & ſalutarem. Cum enim vacans materia multa eſt, ſatis à calore interiori cõcoqui minimè poteſt: itaque frigidam eſſe neceſſe eſt: cum pauca eſt, penè à calore victa concoquitur: morbus autẽ copia vacantis materiæ confici certum eſt. Malum quoque eſt ſi oculi peruertantur, ideſt conuellantur. Obtorti enim oculi, aut delirium, aut tremorem ipſos mouentium muſculorum indicant. Hæc omnia verò in acutis & periculoſis morbis ob principis mẽbri noxã oboriuntur, vt inquit Galen. lib. 6. de morb. vulg. ſect. 1. cõm. 27.

cõm.27.Hinc Occetai vxor li.3. de morb. vulg. ſect.2. tex. 8. Septima mortua eſt, quia dextrũ oculum & alia praua ſymptomata, paſſa eſt. Fit enim conuulſio illa cerebri exiccati ratione, cui ſi vires imbecilles adiungantur, mors proxima erit, vt apho.49.lib.4.& apho.75.lib.7. Hippocrates docuit. Quod ſi ex lumborum recurſione oculi peruerſionem fieri dicat Author prorhet.lib.2.tex.35.declarat Galenus ibi,& lib.3. de morb.vulg.ſect.2.cõm.8. principium neruorum eſſe affectum, cuius ſymptoma eſt oculorũ peruerſio. Scimus enim in vniuerſum, haud bonum eſſe ſignum diſtorſionem oculorum, ſiue ex eo fiat, quòd aſcenſus fiat ex lumbo, ſiue vtcunque aliter, vt etiam prorhetico.57.lib.2.docet. Si verò ex humorũ perturbatione criſi imminente peruerſio fiat oculorum, futurum iudicium ſignificat, licèt raró, vt optimè aduertit Hippocrates lib.3.de morb.vulg.ſect.1.tex.23. Dexter oculus, inquiens, diſtortus erat. Et Galenus in cõm. ait, Nam quod delirauerit in nona, & dextro oculo ſtrabo fuerit, res ſunt, quæ ſolent in iudicijs euenire. Si etiam alter oculus altero fuerit minor, damnandum eſt, quod etiã libro de Coacis prænot.repetit, quoniam, vt ait Galenus, indicat extingui facultatem regentem eum. Melius hoc ſymptoma ad ſpirituum paucitatem referes, quæ vtrique oculo non eſt ſufficiens, ideo malum eſt ſymptoma. Item ſi oculi

candidum rubidum habeant, aut liuidas, aut nigras venas malum ſignum eſt. Cæterùm in Coacis prænotionibus, ita ſcripſit, Caligo oculorũ, aut ſi alba ipſorũ pars rubeſcat, aut liueſcat, aut venulis nigris impleatur, bonum non eſt. In acutis enim morbis obſcurari oculorum aciem infirmitatem & interitum viſoriæ potentiæ ſignificat, vt declarat Galenus lib. 6. de morb. vulg. ſect. 1. cõm. 24. Vnde aphor. 49. lib. 4. dixit Hippocrates, In febre non intermittente, ſi oculus non videat, iam debili exiſtente corpore, mors proxima eſt. Iam verò in malis etiam habendũ eſt, cum alba oculorum eſſe rubra videntur, ſicut cum venulę in eis, aut liuidæ, aut nigræ ſunt. Nam vt rubræ propter plenitudinẽ, aut inflammationem quandam partium ad cerebrum pertinentium, videntur: ſic nigreſcunt, & liuent, dũ refrigerantur: refrigerantur verò dum extinguntur. Quocirca fit, vt huiuſmodi colores perpetuò pernicioſi cenſeantur. Malum quoque eſt pituitam circa oculi aciẽ apparere, id quod in morbis acutis fieri cernitur, cùm ſummè aridi ſunt, & vires imbecillæ perexiguis lippitudinibus ab oculis excidentibus, deinde iterum inareſcẽtibus, vt Galenus lib. 6. de morbis vulg. ſect. 1. cõm. 23. declarauit. Quare pituita in hoc loco non ſumitur pro excremento ſemicocti alimenti, vt nonnulli turpiter opinati ſunt, ſed pro limis ac ſordibus, inſtar illarũ, quæ in ophthal-

mijs

mijs apparent. Quoniam præter id quod illud excrementum ſemicocti alimenti, in morbis acutis circa oculi pupillam nunquam cernitur, neque ſi appareret, eſſet malum ſignum, ſed ſolùm ſordes, quas diximus, quando iam oculi ferè fracti videntur, aduerſantur quoque Galeno loco proximè citato: item Hippocrati, qui lib. de Coacis prenotionibus ita inquit, Aut paruas limas ac ſordes circa ipſos. Et Celſo lib. 2. ca. 6. vbi ait, pituitaq; in his innatans, angulis inhæreſcit. quæ verba non de pituita, quæ eſt humor ab alijs tribus ſeparatus, ſunt intelligenda: quoniam pituita neque innatat, neq; angulis inhæreſcit in morbis acutis, vt illi miſerè crediderunt, ſed limæ ac ſordes. Subſcripſit quoq; huic ſententię Auicenna lib. 4. par. 2. ſect. 1. c. 33. quo in loco lippitudinem appellat, quam in prognoſtico, pituitã dixit Hippocrates, & in prænotionibus limas ac ſordes. Quòd verò adducunt ex Galeno (& hoc ipſos fefellit) progn. 10. lib. 1. vbi ita inquit, Pituita enim (vt oſtẽſum iam eſt) excrementum ſemicocti alimenti eſt, planè non intelligunt: nec quorſum Galenus verba illa adduxerit. Poſtquam enim contulit ſordes illas cum lippitudinum ſordibus, ſubiunxit, non eſſe idem vtrobique: quoniam in lippitudinib. eſt pituita. At, vbi inopia perſpicua eſt, quam cauũ indicat oculorũ: cauſa de nimietate prorſus recedit, ſed reſtat virium debilitas ſola, non

quælibet, ſed admodum vehemens, quæ nec minimum quid alimenti oculorum abundè concoquere poteſt. Sed quid ego ad iſtos relabor: nunquam finis erit, ſi ſingulis prognoſticis eos reprehendere velim. Deſino itaque, & ad propoſitum redeo. Sublimes etiam oculi, ſeu inſtabiles malum præſagiunt: quia delirium, aut tremorem eorum, qui oculum mouent muſculorum indicant. Delirium namque ex indigentia, periculo maximo non vacat. Tremor quoque ob ariditatem opificiorum, incurabilis eſt, vt Galenus lib. 6. de morbis vulg. ſect. 1. comment. 2. aduertit. Quo in loco Hippocrates oculos, quos in prognoſt. ſublimes ac inſtabiles dixit, in his agitatos appellauit, & libro de Coacis prænotio. malum eſſe ſcripſit, oculos frequenter agitare ac iactare. Concreti quoque oculi, hoc eſt immobiles, perfectiſſimam eius potentiæ extinctionem ſignificant, a qua muſculi, cũ naturaliter affecti erant, mouebantur, Galeno lib. 1. de morb. vulga. ſect. 1. commen. 27. authore. Hinc prorhetico. 11. libro ſecundo dixit, Oculi hebetes, pernicioſum: immobiles & caliginoſi, malum portendunt. Mala etiã eſt oculorum cauitas, & expreſſio valde foras, & ſplendoris extritio, vt pupilla extendi non poſſit: libro de Coacis prænot. Malum quoque ſqualidos oculos habere, nam ij extremam ſiccitatẽ ſignificant. Hebetes item, imbecillique mortuorum

tuorum oculis ſimiles exiſtunt: multiſque morientium, atque adhuc tamen viuentium tales oculi videntur, veluti & his, quos extrema habet ſenectus, prorhetico. 11. lib. 2. Pernicioſum quoq; eſt videre homines nigros aſtãtes, quoniam cerebri & humorum aduſtionem ſignificat. Oculorum quoque obſcuratio cum animi deliquio conuulſionem inducit. Non minus malum ſignificant oculi intus rugoſi: nam tales ob imbecillitatem & frigiditatem fiunt, quando membrana muſculis oculum mouentibus adnata, & ad verticem vſque protenſa, languida ſit.

De prædictione ex oculis in ſomno. §. III.

Rogat Ariſtoteles ſect. 4. prob. 1. quam ob cauſam, qui cõcumbit, & qui moritur oculos attollit: qui autem dormit ſubmittit? an quòd de parte ſuperiore calor exiens, eodẽ oculos vertit, quò ſe deflexerit: per ſomnum autẽ deorſum ſe colligit, itaque eodem conuertit. Claudũtur verò propterea oculi, quia humiditas deficit. Cõcludit ergo Ariſtoteles ideo palpebras demitti, quia humor innatus ſimul cum calore deſcendit. Et idẽ c. 3. lib. de Somno. docuit. Clauduntur quoq;, ne lux externa ingrediẽs oculos ipſos cõmoueat, ſpiritus attrahẽdo, luci ſimiles. Conſiderari igitur cõuenit, inquit

Hippocrates progn. 11. lib. 1. huncin modum ſuſpectiones etiam oculorum per ſomnum. Si quid enim candidæ partis ſubapparet commiſſis palpebris, nec alui fluor, aut medicamentum in cauſa ſit, aut nec ità dormire conſueuit, vitioſum iudicium, lethaleque admodum eſt. Nam ſignificat hoc ſymptoma imbecillitatem palpebras mouentis facultatis; modò non præceſſerit alui fluor, aut purgantis medicamẽti potio, aut vehemens triſtitia, aut vigilia, aut alimenti indigentia, aut ſanguinis eruptio copioſa, aut ſimpliciter quęuis alia immodica euacuatio: ex ijs enim totum corpus exiccatur, & vires ſunt imbecilles. Plus autem ſiccitas in palpebris innoteſcit, quoniam ſunt naturæ ſiccæ. Hinc Hippocrates in libro de Coacis prænot. dixit, Et palpebras inter dormiendum non committere, pernicioſum eſt. Non temere autem Hippocrates in prognoſtico adiunxit, vt ægrotus ita dormire non aſſueuerit, quia ſunt multi, qui ſic palpebris affectis dormire ſolent, vt Plinius ca. 37. lib. 11. aduertit. Quod etiam faciunt lepores, vt ibidem teſtatur Plinius: & confirmat Ælianus lib. 2. de hiſto. anim. cap. 12. & lib. 13. cap. 13. Et leones, ſi credendũ eſt Cęlio Rhod. lib. 13. ca. 8. & lib. 6. cap. 13. At de ijs Ariſtoteles nõ meminit. Pueri etiam lumbricis affecti palpebras habent inter dormiendum parum apertas ac patentes, vt optime aduertit Paulus lib. 4. cap. 57.

&

& Auicenna lib.3.par.16.ſect.5.cap.2. Sed verba, quæ ſubiunxit Auicenna, Et accidit oculis eorum, vt rubeant quandoque, deinde alia vice obfuſcētur, malè vertit, cū non ad oculos, ſed ad genas illa verba ex Paulo ſint referenda. Sed qui fieri poteſt, vt in ſomno illa figura extrema fiat, cùm facultas motrix in ſomno ſit ocioſa, ea omiſſa, quæ in thorace continetur? Dicendum eſt, ſomnum non eſſe ocium animalium functionum, ſed ſolùm remiſsionem, vt cap.8. lib.1. de ſympto.cauſ. inquit Galenus. Qui ſi fuerit præter naturam, nihil vetabit, quominus fiant in eo figuræ ac motus diuerſi, vt experimento quotidie videmus. Neque etiam in naturali ſomno, propterea quòd, vt diximus, ſenſus omnino nō feriantur: imò verò multi oppreſsi ſomno ambulant, multaq; perficiunt dormitantes, quæ vigilantibus acceſſu adituque eſſent difficillima, vt Ariſtoteles docuit lib. de ſomno & vigilia, c.3. & lib.5. de gener.anim.cap.1. vbi dormiētes, reſurgere, & ambulare, & videre inquit: quod de ſeipſo Galenus cap.4. lib.2. de motu muſc. affirmat. Et Lucretius lib.4. hoc carmine expreſsit.

In ſomnis eadem pleroſq; videmus obire:
Cauſidicos cauſas agere, & componere leges,
Induperatores pugnare, ac prælia obire:
Nautas contractum cum ventis degere bellum:
Et quo quiſque ferè, ſtudio defunctus adhæret,

Aut quibus in rebus multum ſumus ante morati,
Aut in qua ratione fuit contenta, magis mens.

Præterea ſi palpebra peruertatur, aut liuida fiat cum aliquo alio ſigno, mortem propè eſſe ſciendum eſt, dixit Hippocrates: prognoſtico. 12. lib. 1. Et lib. de Coacis prænot. ſcripſit, Malus eſt & oculus peruerſus: vbi oculum pro palpebra accepit, quoniã de ipſis oculis iam prognoſticum tradiderat. Contrahitur autem palpebra, quia muſculi palpebras claudentes cõuelluntur: idq́ue non fit, niſi ob nimiam ſiccitatẽ, quod exitioſum eſt, quoties alia indicia ſuffragantur, tanquam hoc, & palpebra liuida, quæ extinctionis eſt indicium, nequaquam ſufficiãt denunciare mortem. Peruertitur enim nonnunquam oculus criſi inſtanti, quæ cum aduenerit, ſtatim illud ſymptoma euaneſcit, & ſignum fuit iudicatorium, & non mortis. Quod autem ſuprà ex Galeno adduximus, duos eſſe muſculos palpebras claudentes ex prognoſtico citato, & cap. 2. lib. 4. de locis affectis, non repugnat eius ſententiæ cap. 9. lib. 10. de vſu partium, vbi vnũ duntaxat muſculum dixit oculũ operire: quoniam in hoc loco ſcripſit vnum eſſe muſculum vtrinque, & ita ſunt duo claudentes, vt alij loci teſtabantur, veluti alij duo aperientes, quemadmodum alij duo trahentes.

De prædictione ex auribus. §. IIII.

EX auditu, & auribus licebit etiam prædicere futurã ſanitatẽ, aut mortẽ. Frigidæ.n. aures, contractæq;, & fibræ earũ verſæ, pernicioſum eſt, ut dixit Hippocrates prognoſtico. 7. lib. primo. libro de Coacis prænot. Sic dixit, Aures frigidæ & pellucidæ, & contractæ, pernicioſæ. Galenus aphor. 1. libro. 7. declarat, quando aures frigidæ malum præſagiunt, & quando non, dicens, In morbis diuturnis, q præſertim ſunt ſine febre, & hyeme, & ætate ſenili, partes extremas corporis, ueluti nares, aures, pedes, & extremas manus frigidas fieri nihil mali. Nõ tamen in acutis eſt mediocre malum, ſed ſymptoma ualde pernicioſum: quòd magnis accidit viſcerum inflãmationibus. Quoniam aures carne vacant, & pauci ſunt ſanguinis, ideò celerrimè refrigeſcunt. Rogat tamen Ariſtoteles ſect. 31. prob. 3. & ſect. 32. prob. 1. 8. & 12. cur aures, quæ omniũ maximè partium noſtræ faciei exãgues ſint, rubore magis afficiantur. Et reſpondet id fieri ob auriũ raritatem, & metum verecundiæ adiunctum, quod etiam Galenus cap. 5. lib. 2. de ſympt. cauſ. cõfirmat. Quod autem Ariſtoteles prob. 1. ſect. 32. ſcripſit, aures natura eſſe calidiſsimas, niſi intelligas, facta cõparatione ad reliquas corporis partes, falsũ eſſe exiſtimandum

mandum, quoniam ſi ex Ariſtotele exangues ſunt, cur calidiſſimæ? Rubores autem circa aurem ex progreſſo dolore, in febribus fientes, ſignum quidem ſunt eryſipelatis in facie futuri, inquit Hippocrates libro de prenotionib. Coacis. Auris dolor pertinax, cum febre acuta, & alio quodam ſigno aliquantulum maligno, iuuenes quidem ſeptima die occidit, & citius delirio correptos, ſi non multum pus effluxerit ex aure, aut ſanguis è naribus, neq; aliud quoddã bonum ſignum compareat. Seniores autem tardius, & minus tollit. Nã & aures ſuppuratione præueniunt, & minus delirant. Hoc etiam Hippocrates progno. 13. & 14. lib. 3. tradidit. Quibus in febribus aures obſurduerunt, ſanguis ex naribus fluens, aut aluus turbata ſoluit morbũ, aphor. 60. lib. 4. Quibus in febribus aures abſurduerunt, his non ſoluta febre, inſanire neceſſe eſt. Soluit autem ſanguis ex naribus erumpens, aut aluus millioſa egerẽs, aut diſenteria accedẽs, aut coxarum, aut genuum dolor lib. de iudicationibus. Quibus ſurditas cum capitis grauitate, & præcordij intentione, & ad ſplẽdorem turbatio, ſanguinem profundit. In febre acuta aures obſurdeſcere, furioſum eſt, lib. de Coacis prænot. Quibus bilioſæ ſunt deiectiones, hæ ſuperueniente ſurditate ceſſant: & quibus ſurditas adeſt, ſuperuenientibus bilioſis deiectionibus, ceſſat, aph. 28. lib. 4. Hominibus ſordes in auribus

bus dulcis quidem mortifera, amara autē nō: lib. 6. de morb. vulg. ſect. 5. tex. 19. Cur verò amaræ debeant eſſe, declarat Ariſtoteles ſectio. 32. prob. 4. ſunt enim ſoboles putris ac bilioſi excrementi. Deinde videndum eſt, an æger acutè audiat: ſiquidem ſurditas malè eſſe affectum caput oſtēdit. Eademq; inditio eſt, cerebrum vexari. Solet autem ſurditas gigni, quod aliquis humor ſit in audiendi meatibus infixus, atque impactus: interdum verò etiā fit, quòd audiendi facultas ſit extincta: quam ſanè in acutis, turbulentisque morbis concidere conſpicimus. Abſceſſus iuxta aurem, ex acutis morbis, maximè in febribus ardentibus fiunt: & ſi non iudicationes fecerint, & matureſcant, aut ex narib. ſanguis fluxerit, aut vrinæ ſubſidentiā craſſam habuerint, ægri pereunt. lib. de Coacis prænot. Adde etiam, niſi aluus purgata fuerit, ex lib. 1. de morbis vulg. ſect. 2. tex. 84. Abſceſſus circa aurem in morbis diuturnis ſuppurari, non valde albo, & inodoro pure, occidūt, & maximè mulieres. Reliqua, lege apud Hippocratem lib. de Coacis prænotionibus.

De prædictione ex naſo. §. V.

NASVS acutus, ſeu compreſſus in morbis acutis lethale eſt, vt inquit Hippocrates prognoſt. 6. lib. 1. quoniam indicat ſpiritus, humoris,

moris,& ſolidæ partis conſumptionem, ut ibi dem prognoſtic.ſeptimo.declarat Galenus.Naſus ſi peruertatur in febre continua debili exiſtente corpore,lethale.aphoriſm.49. libr. quarto.aphor.69.libr. 7. prognoſt. 12. libro primo Naſus rubicundior factus, eſt iudicationis ſignum,ut inquit Galenus capit. 14. libr. primo ad Glauc. Illa autẽ iudicatio præcipuè erit per alui fluorẽ, ut Hippocrates lib.de Coacis prænot.ſic docuit,Rubores circa naſum, alui humeſcentis ſigna ſunt.

De prædictione ex labris. §. *VI.*

SI labrum præuertatur cum alijs ſignis malis mors proxima eſt,prognoſt. 12. lib. 1.& aph. 49.lib.4.& aph.66.li.7. Labrum inferius tremulum eſt futuræ iudicationis ſignum,cap.1.lib.3. de criſ.Hoc ita habuit Chærion lib.3. de morb. vulg.ſect.2.text.2.& iudicatus eſt. Labrum contractum alui biliosæ eruptionem ſignificat, lib. de Coacis prænot. Febres in quibus labra ulcerantur fortaſsis ceſsant.lib.6. de morbis vulga. ſect.8.tex.28.Nam & vulgus hodie ex diuturna obſeruatione nouit febres,in quibus labra vlcerantur,mox deſituras eſſe. Hoc tamen ſignum non eſt perpetuò verũ,ſed magna ex parte:ideò dixit Hippocrates,fortaſsis,&Galenus in cõm. ſolùm vult eſſe ſignum maximi ardoris. Labra,

inquit, uidentur nullam aliam ob cauſam vlcerari, niſi quia acer quidam vapor illuc à uehementia febris amandatur, qui partes illas quaſi ardore quodã conſumit: nihil tamen mali præterea facit, præter vlcerationem, cuius nũc Hippocrates mentionem facit. Hoc autem cùm in tertianis quandoque contingit, tum uerò maximè in ardentibus, cum febris calorem perferre æger non poteſt. Hinc dixit Auicenna libr. quarto. part. 2. ſect. prima. capit. 38. Sciſsio labiorum in febribus acutis, ſignificat ſuperfluitatem inflammationis. At in Canticis par. 1. cant. 477. dixit, Et puſtulæ narium, aut labiorum in tertiana, eſt ſignum ſalutis prognoſticum: quod confirmat Auerroes in comm. ad illum locum. Quare locus Hippocratis erit intelligendus in tertiana, & præcipuè exquiſita. Eleuatio unius labri ſuper alterũ conuulſionẽ ſignificat, dũmodo à natura non ſit facta, Auicẽna loco citato.

De prædictione ex dentibus. §. *VII.*

SI quis dẽtibus ſtrideat in febribus non conſuetus à pueritia ità efficere, inſania ſignificatur, ac mors: ſed in vtriſq; futurum prædicere periculũ neceſſe eſt. Si verò mente cõmotus ita efficiat, admodũ exitioſum iã eſt, prognoſtico. 21. lib. 1. Quod clarioribus verbis ſcripſit idem Hippocrates in Coacis prænot. dicens, Dentes

collidere

colliſdere, aut ſtridere, quibus non familiare, id eſt à pueris, furioſum ac lethale eſt. Iam verò delirãs ſi hoc faciat penitus lethale eſt. Et prorhetico. 13. lib. 2. idem repetit. Inſaniam igitur ſtridor dentium ſignificat, quia offenſionẽ principis partis, quæ non fit abſque magna mentis commotione, indicat: mortem verò, quòd cõuulſionem præſagiat. Si verò ægrotus ſtrideat dentibus, & ſimul inſaniam patiatur, mortem proximam habebit. Obijcies tamen, ſi nihil eſt deterius morte, cur poſt mortem, adiecit exitioſum admodũ? Deinde in principio prognoſtici Hippocratis ſtridori adiunxit inſaniam, ad finẽ verò inſaniæ ſtridorem addidit, vbi videtur docere ſtridorem eſſe inſania deteriorem? Quib. vt facilius occurramus, aduertendum erit, aliquando ſtridorem inſaniam præſagire, quæ cũ aduenerit, vtrunque ceſſat, vt Hippocrates dixit aphor. 26. lib. 6. qui in febribus ardentibus tremores fiunt, delirio ſoluuntur. Nam ſtridor dentium quid aliud eſt niſi tremor? Item ſtridor poteſt præſagire inſaniam, deinde poſt aliquod tempus mortem. Si verò poſt inſaniã accedat ſtridor, mors proxima eſt, quoniam conuulſio, vt ſcribit Galenus ca. 8. lib. 12. de morb. mediante phrenitidem, cum poſſit ex repletione fieri, quandoque ſanatur: ſi verò poſt phrenitidem ſequatur cõuulſio, minimè, cùm ex ſiccitate originẽ trahat. Vnde Hippocr. apho. 26. lib. 2.

lib. 2. dixit, febrem conuulſioni ſuperuenire melius eſt, quàm febri conuulſionem. In ijs etiam cõſuetudo obſeruãda eſt, veluti in alijs, vt Hippocrates clarè monuit. Quod reſpicens Galenus prog. 37 lib. 3. inquit, Quemadmodum ſæpenumero me vidiſtis in ijs, qui ſtrident dentibus, ex natura in illis haberi accidens pronunciare, ità vt exiſtimarent familiares audientes non ex medendi facultate, ſed ex arte vaticinandi talem extitiſſe prædictionem: interdum etiã in dormientibus in conniuentibus oculis, vt id quoq; in eis ex natura exiſtat: & quodã in ventrem cubante id ipſi quoque natura neceſſariũ. Porrò mulieris cuiuſdam aliquando viſus eſt adeuntibus nobis dexter oculus alterum inſigniter ſuperare, de qua dixi talem ante morbũ extitiſſe exceſſum. Et item in alio caua admodũ tempora, quo perſpecto tunc dixi per naturam haberi affectionem. Itidem aliorum cruentos oculos eſſe per naturam. Conuulſam vero in alio ſupercilij partẽ, aut oculorum, aut labiorũ. Et item nonnulla ante morbum ex quadã cauſa fuiſſe exteriore. Quinetiam intermittente pulſum, atque etiam pulſus varietatem, & alia generis eiuſdem ex natura in quibuſdam haberi dixi, vel ipſis ægris, haud quaquã perſpecta: quandoque etiam, ſimulatq; conualuerunt, reſtare viſa ſunt. Voces item aſperas, raucas, clangoſas, in hoc ex natura, in illo ante ægrotationem

nem committi dixi. De quibus cum libro de præſagiendo latius docuerim, nihil inſuper neceſſe habeo hoc loco recenſere: ſed ſufficiet, ſi ſummam horum inueniendorum dixero, & ita orationem ſiſtam. Quoties enim ex omnibus alijs ſine periculo uideatur morbus, tale accidens terrificum, ex natura adeſſe ſciendum eſt: aut prorſus ante ægrotationem fuiſſe propter aliquam cauſam euidentem. Hæc ille. Ea autem uerba, etſi prolixa, referre tamen uolui, quod ad optimam prędicendi rationem mirè conducerent. Porrò ex iam dictis manifeſtum quidē, imò ſenſui quoque euidens, imbecillitates natiuas morbos quoque eſſe, ut optimè oſtendit Galen. lib. 3. de morbis vulg. ſect. 2. comm. 3. adiecit, inquit, porrò ſermoni, erat autem & natiuum quoddam tabidum, quod oportet meminiſſe, nec fidem habere ſophiſtis, nullum aſſerētibus eſſe affectum innatum. Perrarum autem eſt, inquit Galenus lib. 6. de morbis vulga. ſect. 2. cōm. 42. in omni corpore duo aliqua mēbra æqualiter eſſe debilia: nam in plurimis unum planè eiuſmodi eſſe deprehenditut, in quod ſeu plenitudo, ſeu vitioſi humores in corpore contracti ſunt, omnia ſuperuacua feruntur: unum autem ſi hæc præoccupauerit, reliqua membra in ſanitate permanent. Si autem in pueris febrientibus contingat dentium ſtridor, uidendum eſt, num vermibus ſint affecti. Quoniam,

Paulo

Paulo cap. 57. lib. 4. authore, ſubſcribente Auicenna libro tertio part. 16. ſect. 5. capit. tertio, ex ratione ſtridoris nullum malum ſignum habere poſſumns, ſed ſolùm lumbricorum vexantium ſymptoma, ob uaporum putridorum multitudinem, & læſionem uentriculi ab illis procedens. Quibus circa dentes in febribus quidam lentores naſcuntur, ijs fortes fiunt febres. aphor. 53. Et libr. quarto. de morbis vulga. ad finem. Neque enim humiditates illæ pituitoſiores condenſari, atque adeò dentibus affligi poſſunt, niſi ingens febris calor, qui eaſdē exiccaret, ſubeſſet. Dentium ariditas eſt certiſſimum mortis ſignum: Conciliator ſect. 10. pb. 47. Significat enim abſolutam humidi conſumptionem. Ex dentis corruptione, uehemens febris ſuperaccedens, & delirium lethale eſt. libr. de Coacis prænotionib.

De prædictione ex lingua, & ore. §. VIII.

LINGVAM ægri contemplabitur accurata diligentia Medicus; humorem nanque in corpore redundantem, morbumq; efficientem, nō ſolùm demonſtrat, ut Hippocrates libr. 6. de morb. vulg. ſect. 5. text. 14. & 16. tradidit, ſed ēt quæ euentura ſunt non obſcura fide denunciat, ut lib. de Coacis prænotionibus idem Hippocrates ſcriptum reliquit. Si itaque pallida fue-

rit linguæ, bilioſum in corpore abundare ſerum portendet: ſi uerò rubea, ſanguinis ſerũ, quemmodum atræbilis, ſi nigra ſit, ut ibidem Galenus & cap. 7. libro 8. de placitis Hippo. & Plat. libro. 3. de Hum. cõm. 25. docet. Lingua, quæ in principio quidem inhorruit, in colore uerò permanet: progreſſu autem temporis exaſperatur, & liueſcit, & rũpitur, lethalis eſt. Hippocrates in Coacis prænot. Huiuſmodi linguam uidetur habuiſſe Philiſcus, lib. 1. de morb. vulga. ſect. 3. text. 8. & tex. 29. ille, qui caleſcens, cœnauit, & potauit largius, & Hermocrates lib. 3. eiuſdem operis ſect. 1. tex. 11. & ideo perierunt. Significat enim maximum incendium, & præter id humidi natiui abſolutam conſumptionem. Si uerò ualde nigreſcat, in quarta decima die iudicationẽ fore ſignificat; id eſt, in illo die mors adueniet, ut optimè interpretatur Auicenna. Periculoſiſsima autem eſt nigra, & cum uirore pallida: ardentem febrem portendit, primo. de locis affectis cap. quinto. Non verò ſemper mortem, ut lib. tertio. de morbis vulga. ſect. 3. cõm. 83. aduertit Galenus. Lingua ualde nigra & arida, deſipientiam ſignificat lib. quarto. de ratione uictus comm. 4. & prorhet. 3. libro. 1. Linguæ obtremiſcentes ſignũ non conſtantis mentis, prorhe. 20. lib. primo. Galenus in comm. inquit, non eſt autem hic tremor linguæ peculiare phrenitidis ſignum, ſed per ſympathiam

compa-

compatientium alteri cuidam primum patienti,uel propter uicinitatem, uel propter ſocietatem,quæ in ea ſunt, partium. Cumq; in lingua apparuerint puſtulæ ciceribus magnitudine æquales,fueritque febris uehemens & acuta, æger in principio ſequẽtis diei morietur, Raſius libr.10.ad Manſorem regem cap.21. Item, oris tortura,labia reſoluta,frigida, & albeſcentia,ſigna ſunt mortifera,ibidem. Hiante ore dormire,dentibus præter conſuetudinem ſtridere,inſaniam ſignificat,& mortem,ibidem. Lingua ẽt exerta,nigricans,& aſpera, febrem peſtilentem denunciat. Oris fœtor in morbis acutis mortem proximam ſignificat: Auicenna. Si lingua ſubito infirma fiat,aut pars aliqua corporis reſoluatur, hoc à melancholico humore accidit, aphoriſm.40. libr.7.

De prædictione ex faucibus. §. IX.

SI febre habito tumore non exiſtente in faucibus, ſtrangulatio repente ſuperuenerit, lethale.aph.34.lib.4. Loquitur autem Hippocrates in hoc aphoriſmo de ea anginæ ſpecie, quæ periculoſiſsima eſt,de qua progn. 16. libr. 3. ita ſcripſit, Angina grauiſsima eſt ac celerrimè interimit, quæcunq; nec in ceruice,nec in faucibus conſpicuum aliquid efficit. Plurimum uerò doloris infert, ac ſpirationis difficultatem,

quæ non niſi erecta ceruice trahatur. Hæc etenim & eodem die,& ſecundo,& tertio, & quarto ſtrangulat. Repetitur item hæc prædictio aphor.61.lib. 7. & in Coacis prænot. in hæc verba, In febribus de repente ſuffocari, & deglutire non poſſe, citra tumorem, malum eſt. Celſus quoque eam docet lib.2.cap.6.Si febrem habenti repente collum peruertatur, ac vix poſsit deuorare, nō exiſtente tumore lethale eſt. aph. 35.lib.4. Fauces exulceratæ cum febre, difficiles ſunt. Sed, ſi aliud quoque ſignum ex prædictis fuerit prauum, prædicendum, vt cum periculo morbus ſit, prognoſt. 15.lib.3.& in Coacis prænot. In acutis morbis faucium ſine tumore dol ores, & puſilli, & ſtrangulantes, atque cum æger hiauerit, non facile os tum cogere, tum claudere, mentis aberrationem portendunt: ex ijs phrenitici fiunt, & perniciosè habentes. prorhet. 11.lib. 1. Et in Coacis prænot. Fauces doloroſæ, graciles, cum ægrè tolerabili moleſtia, pernicioſæ acutæ ſunt. In Coacis prænot. Et prorhet. 54.lib.2. Collum durum,& doloroſum,& maxillarum colligatio,& venarum iugularium palpitatio fortis,& tendinum diſtentio, pernicioſum. Colli dolor malum quidem in omni febre, peſsimum autem his, quibus timor eſt, vt etiam inſaniant, in Coacis prænotionibus.

De prædictione ex Hypochondrijs. §. X.

FEBRES ex hypochondriorum doloribus, malignæ. prorhetic. 21. libro 2. Galenus in cõmen. inquit, Orationem hanc ſiue libri huius author, ſiue alius ſcripſerit, nõ laudo. Niſi etenim limitetur bifariam falſa eſt, quòd ad gemina indigeat limitatione. Cum ergo non paucæ in hypochõdrijs ſitæ ſint partes, febres nõ ſunt omnibus in his malignæ, ſed in ſepto tranſuerſo, ventriculo, & iocinore. Scimus quoque & muſculos quoſdam, qui inibi iacent, ſi inflãmentur, febrem accendere. Quinimo neque, vbi in iocinore, vel ventre, vel ſepto tranſuerſo phlegmone oriatur, febris hæc continuo maligna eſt, ſed acuta forſan fuerit, quanquam ne hoc quidem perpetuò, nõdum verò maligna. Quod autem neque acutam perpetuo fieri dicam, teſtatur experientia, & ratio demonſtrat, ab externis inflammationibus conſpicuam reportans fidem. Nam cum inflammationum magnitudinem perpetuò febris ex proportione ſequatur, vt in hypochondrijs non perpetuo partem aliquam ex præcipuis valenter inflammari eſt neceſſe: ſic neque febrem inferri acutam. Hæc ille. Quæ tranſcribere ideo placuit, quoniam vniuerſa, ad prædicendi artem pertinent, & quid nomine hypochondrij intelligamus, non

obſcurè enarrat. Partes igitur ſupra vmbilicum utrinque ad latera ſpurijs dictis coſtis ſubiectæ hypochondria propriè appellantur, aph. 35. libr. 2. Galeno aſſerente. Febres ergo, quæ ab hypochondrijs proficiſcuntur (ſi propriè uocabulum hypochondriorum accipiamus) omnium febrium acutarum ſunt mitiſsimæ: libr. 3. de morbis vulg. ſect. 2. in procemio: veluti ſunt illæ, quæ ex inflammationibus externis ortum habent, ut ſuprà in prorhe. dixit Galenus. Sin minus propriè, & hac uoce etiam uentrem complectamur, iecur, lienem, & ſeptum trãſuerſum, quædam malignæ, quædam etiam mites ſunt, vt etiam Galenus capit. 7. lib. 5. de locis affectis inquit. Et in hac ſignificatione cùm Hippocrates numero ſingulari dixit, dextrum hypochondrium, iecur intelligit, quando uerò ſiniſtrum lienem: ſi uero abſolutè ſcribat hypochondriũ contentum eſt, per excellentiam, iecur intelligendum eſt, quoniam hoc alteri præſtat, libr. 2. de morb. uulg. ſect. 1. comm. 5. Hypochondria ſaluberrima ſunt, ſi dolore uacant, ſi mollia & ęqualia ſunt dextra ac ſiniſtra parte: progno. 27. libr. 1. & repetit ueluti ſuperiora, libro. 1. de hum. comm. 24. & libr. 2. comm. 10. Galenus. Mollia igitur ſint oportet, ſic enim naturæ ſimillima ſunt, ideò ſaluberrima: illis enim oppoſita, utpote uehementer renitentia, dura ſunt. Cæterùm renitentia mollis ſignificat inflam-

matum

matum eſſe uiſcus aliquod, aut iecur, aut ſeptum tranſuerſum, aut lienem: dura uerò, muſculos abdominis eſſe inflammatos, denotat, libro 3. de morb. vulga. ſect. 2. comm. 5. Aequalia etiam ſint, vtraque hypochondria, non ſolùm in mollitie, ſed etiam in ijſdem qualitatibus ſimilibus: fieri enim poteſt, ut ſimiliter mollia ſint, ſed aut aliqua parte dolore uacent, aliqua dolore efficiantur: aut altera pars calidior, altera frigidior ſit: aut ſublatior, aut depreſsior. Quod ſi obijcias ex Galeno, qui capit. vndecimo libri tertii de criſibus dixit, Proprium uerò ſignum ſanguinis fluxus ex naribus eſt etiam præcordiorum tenſio ſine dolore. Et ſubiunxit, ſi uerò præcordia cum dolore extendantur, non fluxum ſanguinis futurum, ſed aliquam ibi adeſſe inflammationem ſignificant: & hoc confirmat Hippocrates progn. ſexageſimoſexto, libri ſecundi. Dicendum eſt, quod ille dolor parum durat, hic uerò de permanente agitur: Aut dicendum quòd licet ille dolor ſit commodus, non eſt tamen ſaluberrimus. Cur ergo Hippocrates aphoriſm. trigeſimoquinto, libri ſecundi, craſsitudinem hypochondriorum commendauit? quia craſsitudo non eſt durities, de qua in prognoſtico. Cur etiam laudat Hippocrates æqualitatem in qualitatibus, cùm iecur ſit liene calidius? quia cutis eſt, quæ tactu percipitur, q̃

indolens eſt. Itaq; tangendus eſt uenter, quoniam ſolo tactu huiuſmodi affectiones dignoſcuntur, vt clarè Galenus cap. 7. libro quinto, de locis affectis oſtendit. Si verò, inquit Hippocrates, inflammatione vexantur, aut dolore, aut intenta ſunt, aut inæqualiter affecta dextra ac ſiniſtra parte: hæc omnia animaduertenda ſunt. Hippocrates etiam repetit hanc ſententiam in libro de Coacis prænotionibus dicens, Præcordium molle eſſe conuenit, & doloris expers, & æquale: inflammatum autem aut inæqualiter ſe habens, aut dolens, ſignum eſt ægritudinis non leuis. Melius autem, dixit in prognoſtico, hæc omnia animaduertenda ſunt, quoniam in libris de morbis vulgaribus ille & ille, qui ex hypochondrio laborarũt, perierunt, vt Philiſta, adoleſcens, qui in Mendacium foro decumbebat, apud Tiſamenum mulier, Apollonius, adoleſcens Melibęæ, Hermocrates, & alij. Nonnulli verò ſuperſtites fuerũt læſis hypochondrijs, vt Herophon, Clazomenius, mulier, quæ in littore decumbebat, & alij. Igitur huiuſmodi hypochondria animaduertenda ſunt, ſi cum alijs ſignis bonis vel malis coniungantur, vt inde benè aut malè prædicemus. Si vero pulſus in hypochondrio inſit, perturbationem ſignificat, aut delirum. Verùm oculos talium conſpicari oportet. Si enim crebro obtutus mouetur, expectãda

da inſania eſt. prognoſt. 28. libro primo. Quæ ſententia in Coacis prænot. ita ſcripta eſt: Pulſus in præcordio cum tumultu, mentis emotorius eſt, & magis ſi oculi frequenter moueantur. Quibus in locis nomine pulſus, arteriarum pulſationem intelligit Hippocrates, & hanc, nō quācunque, ſed euidentē quandam vibrationē, quam vel ægroti ipſi perſentiſcunt, vel hi etiam qui ipſos de foris intuentur, vt clarè docet Galenus in cōm. prædicti prognoſtici: & in eam ſententiam adducit Hippocratē lib. 2. de morb. vulg. ſect. 5. Vbi ita inquit, Cui vena in cubito pulſarit, inſanus & iracundus eſt: cui verò quieuerit ſtupidus. Poterat etiam eundem Hippocratem citare ſect. 2. eiuſdē libri, in hiſtoria Lyciæ, vbi ait, Et vena, quæ ſecundum lienem eſt, in cubito tēdebatur, & pulſabat multoties. Quę omnia declarat Galenus cap. 9. lib. 6. de decretis Plat. & Hippo. de arteria illa, quæ ad cubitū præſertim ſiniſtrum cōmeat. Cuius, inquit, agitatio cum in ortu infantis velox & magna, & valida reperitur, validam in corde iraſcibilē vim eſſe ſignificat, ac præditam vegeto ac feruido calore: quem furioſum & iracundum appellare conſueuerunt. Hippocrates arteriam hanc in ſecundo vulgariū morborum libro venam vocat ijs verbis: Cui vena, quæ in cubito eſt, pulſauerit, furioſus ille & iracundus euadit: cui ſenſim mota fuerit, lentus. Pulſare & pulſus de adeo

vehe-

vehementi arteriarum agitatione accipi ab antiquis, vt prius, quàm tactu prehenſauerimus, oculis ſubijciatur, cum ex alijs, tum ex his, vel maximè patere poteſt, cui pulſui quietam motionem, & lentum furioſo, & iracundo, quaſi ira vacuum oppoſuerit. Item nomine pulſus intelligit Galenus palpitationem, licèt non verè dictam, vt lib. 1. de morbis vulg. ſect. 3. cõm. 9. ipſe ſcribit. atque in eam rem vide ipſum Galenum prorhe. 35. lib. 1. & prorhet. 52. lib. 3. Nũc videndum eſt, quid talis arteriarum pulſatio in hypochondrio, præſagiat. Perturbationem, inquit Hippocrates, atque deliriũ. Quod in Coacis pręnotionib. Cornarius tumultum vertit, in prognoſtic. Laurẽtianus, perturbationem, tranſtulit: vtroque nomine intelligimus corporis perturbationem, veluti apho. 33. lib. 7. non verò affectum aliquem particularem, vt alij temerè crediderunt. Portendit verò delirium, quoniam vehementis, æſtuoſæque inflammationis ſoboles eſt. Non igitur præter rationem ex ea vehementi inflãmatione, ac incendio, circa prę cordiorum partes affligente delirium quis ſperare poſſit: tum ob ſeptũ tranſuerſum, tum etiã ob ventriculi ipſius orificium. Cæterum arteriarum illa pulſatio, & delirium nonnunquam accidit ijs, qui melãcholia hypocondriaca ſunt affecti, vt non raro in morbis curãdis expertus ſum. Subiungit Hippocrates, oportere Medicũ inſpi-

inſpicere oculos, qui ſi crebrò moueantur expe ctanda inſania eſt, quoniam ſignificatur læſionem ipſi cerebro iam infixam eſſe, & non aliun de pendere. Neque ex hoc loco quiſpiam inferat deteriorem eſſe inſaniam delirio, cum idem ſint: ſed illud intelligẽdum eſt ex oculorum inſtabilitate nos certius poſſe inſaniam, ſeu delirium prædicere. Quibus dolor circa hypochon drium fit abſque inflammatione, ijs febris ſuperueniens morbum ſoluit: apho. 40. lib. 6. Tria enim genera dolorum hypochondriorum à febre ſuccedente, vt ait Galenus in cõm. ſanãtur. Nempè qui propter obſtructionem, vel ſpiritũ flatulentum, vel inęqualem intemperiem frigidam, fiunt. Quippe febris craſſos humores obſtructionem efficientes diſſoluens & extenuãs, flatuſque diſcutiens, atque intemperiem frigidam corrigens, & ad ęqualitatem perducens, dolores ſanat. Tumor verò in pręcordijs durus, & doloroſus, peſsimus quidem eſt, ſi iuxta omnes partes fuerit. Ex his autem qui ab vna parte ſunt, minus periculoſus eſt, qui à ſiniſtris eſt: in Coacis prænot. & prognoſt. 29. lib. 1. ſignificant autem in principio quidem tales, mortem citam: ibidem. Tales, inquit, duri & dolentes, propterea quòd qui huiuſmodi non ſunt, non ita ſunt periculoſi, vt apho. 7. lib. 6. & prophet. 21. lib. 2. dictũ eſt. Hi vero conditiones magni morbi ferunt, membri ſcilicet nobilitatem, af-

fectus

ſectus magnitudinem, propter ſanguinis, & caloris abundantiam, & malignitatem, ob viciniã cordis. Si vero inquit Hippocrates, viginti dies tranſmittant, febre manente, ſuppurationem. Contingit autem his in primo circuitu, etiam ſanguinis eruptio è naribus, & valde prodeſt. Plerunque enim hi caput dolent, & viſus obſcuratur: & magis in his ſanguinis eruptionẽ affore expecta: in ætatibus autem annorum triginta quinque, ſenioribus vero minus. At verò molles, & doloris exortes tumores, diuturniores iudicationes faciunt, & minus periculoſi ſunt. Sed & hi ſexaginta dies tranſgredientes, febre manente, ſuppurantur. Conſimilia verò ſignificant, & tumores circa ventrem, his qui ſunt in præcordijs, verùm minus ſuppurantur hi, quàm illi. Minimè verò qui ſub vmbilico coſiſtunt, & fiunt etiam hi quidẽ in tunica, illi verò ſurſum diffuſi. Lethales autem ſunt ex ipſis, quicunq; intrò rupti fuerint: ex reliquis autem ſuppurationibus, quæ quidem foras rumpuntur, optimum eſt, vt in breuiſsimam & acutiſsimam molem colligantur: quæ verò intrò, vt neque mole, neque dolore, neque colore, foris ſe manifeſtas faciant. Contrarium autem peſsimum eſt: in Coacis prænotionibus, & prognoſt.

De prædictione ex iocinore. §. XI.

IN hepatis inflammatione ſingultus, malum: apho.17.lib.7. quòd inflammationis magnitudinē ſignificet, propter quam ventriculus in conſenſum rapitur. Idem repetit apho.58.lib.5. Quibus hepar vehementer dolet, ijs febris ſuperueniens, ſoluit dolorem, apho. 52. lib.7. & apho.40. lib.6. propterea, quod hæc ipſa flatus diſſoluat, & diſcutiat, vt ſuprà copioſius dictum eſt. Quibus hepar ſuppuratum aduritur, ſi pus purum fluxerit & album, euadunt: in tunica enim his pus continetur, ſi verò qualis amurca fluat, pereunt: apho.45.lib.7. Significat enim tale pus facultatis alteratricis robur, & inflammationem extra iecur, nempe eius membranā eſſe. Membrana autem hæc, ſeu tunica, quæ iecoris inuolucrum quoddam & tegumentū eſt, nō eſt niſi peritonęum iecori tenuius obductum. Si vero pus effluēs amurcam referat, pereūt. Alteratricem enim facultatem imbecillam eſſe, & corruptionem vſque ad iecoris carnē perueniſſe ſignificat. Quibus hepar aqua plenum in omentum eruperit, ijs venter aqua repletur, & moriuntur: apho.55.lib.7. Hanc ſententiam nō ſemper veram eſſe in cōmen. aduertit Galenus. Si iecur diſciſſum ſit, lethale eſt, apho. 18. libro ſexto, Hydropes ex morbis acutis doloroſi fiūt

ac

ac pernicioſi. Incipiunt autem plerique à laterum mollitudine, aliqui etiam ab hepate. His igitur, quibus à laterum mollitudine initium ſumunt, pedes tument, & alui profluuia diuturna ſequuntur, aluum non mollientia, neque dolores ex lumbis, & laterum mollitudine ſoluentia. Quibus verò ab hepate, tuſsis adhuc promptè oboritur, & pedes tument, & aluus dura egerit, eaq́; ad neceſsitatem coacta, & tumores circa ipſam fiunt, partim in dextra, partim in ſiniſtra, & rurſus ſedantur: Hippocrates in vtriſq; prænot. In quibus nõnullæ difficultates inſunt, vna eſt, quo pacto hydrops febri ſuperueniens lethalis ſit, cũ morbi contrarij ſuperuentus laudetur ab ipſo Hippocrate multis in locis, & maximè apho. 5. & 70. lib. 5. & apho. 40. & 51. lib. 6. & apho. 57. lib. 4. Dicendum, ſuperuentum morbi contrarij laudari ratione cauſæ, non tamen ratione ſigni, vt in febre, & hydrope, quoniam ex hoc ſignificatur innati caloris extinctio ab acuta febre præcedente, & ideò lethalis eſt, vt dixit Hippocrates. Sed cur pedes tument? quia excrementum ad partes viles tendit, & delegatur: & quoniam remotiſsimi ſunt à caloris fonte, ideò excrementum diſcutere nequeunt, veluti etiam manus ac palpebræ. Tument autem manus rariùs, propterea quòd minus à corde diſtant, & motu crebriori vtentes prauitatem & malitiam excrementi diſcutiunt. Palpebra

etiam interna magis tumet, quoniam ſuperior exercitio excremētum diſsipat. Hinc eſt, quòd palpebrarum tumores relicti, cæteris membris extenuatis, recidiuam indicēt, vt lib. 6. de morbis vulga. ſect. 8. tex. 23. docet Hippocrates. Sed cur in aurora oculi magis tument, præſertim abundè dormientibus, pedes autem magis ad veſperam? quoniam veluti aſtanti excrementa ad pedes deſcendunt, ita decumbenti ad oculos permeant. Somnus autem plus iuſto exuperans palpebras inflat, tum quia récrementa detinet, tum etiam quia calor ad humiditates conuerſus eas vertit in flatus, qui ſub cute retenti inflant, idcirco ſomnus poſt famem maximè macrefacit pingues, vt Auicenna inquit lib. 4. par. 7. ſect. 4. cap. 5.

De prædictione ex liene. §. XII.

LIENOSIS difficultas inteſtinorum ſuperueniens, bonum: apho. 48. lib. 6. Quicunque lienoſi à difficultate inteſtinorum capiuntur, ijs ſuperuenientem longam difficultatem inteſtinorum, aquam inter cutem, aut leuitas inteſtinorum excipit, & moriuntur apho. 43. eiuſdē libri: & apho. 78. lib. 7. In liene tumefacto ſanguis è nare dextra fluens, malum eſt, prorhe. 33. libro tertio.

De

De prædictione ex renibus & veſica. §. XIII.

VESICAE duræ, & dolentes, omnino quidē malæ ſunt, peſsimę verò cum febre continua. Nam dolores ab ipſis veſicis, ad occidendum ſufficiunt, & alui his non valdè egerunt. Soluit autem hos vrina purulenta prodiens, albam ac leuem ſubſidentiam habens. His verò non ſolutis, neque veſica molleſcente, in primis circuitibus, ægrum moriturum eſſe timor eſt. Fit autem hoc maximè à ſeptem annis, vſq; ad decimum quintum. In vtriſque pręnotionibus, licèt in prognoſticis dixerit vſque ad decimum quartum. Renum & veſicæ vitia in ſenioribus difficulter ſanantur, apho.6.lib.6. Vitia renum poſt annum quinquageſimum ſanata non vidi lib.6.de morb, vulg.ſect.7.tex. 25. Cautius, inquit Galenus, locutus eſt in aphoriſmis, vbi ſcriptum eſt, Renum & veſicæ vitia in ſenibus difficulter ſanantur. Nam quod addidit difficulter, non omnino ſanari non poſſe ſignificat, ſed poſſe quidem, verùm cum magno labore, ac niſi ſummo ſtudio, & ſingulari adhibita diligentia. Cauſam verò difficultatis cùm illic attulerimus, nihil eſt, cur hoc loco ſermonem producamus. In ſenibus vix, inquit, ſanantur, hoc eſt multo negotio ac longo tempore, quæ in renibus ac veſica ſunt vitia; quoniam eorum opus indeſi-

indeſinens eſt, quiete autem opus eſt, ſi quid ſanari debeat: & quia excrementum acre exacerbare natum eſt, ſiue vlcus, ſiue inflãmatio, ſiue aliqua paſsio in ipſis conſtiterit. Multò autem difficilius ſanantur in ſenibus veſicæ paſsiones, quoniam & omnes alij morbi præcipuè longi, veſica diſciſſa, lethale eſt, apho. 18. lib. 6. Cuius quidem vulnus quod ad interiora eius progreditur, atque adeo profundum eſt, lethale exiſtit, quod coaleſcere, quandoquidem neruoſa tenuis & exanguis ſit, non queat. Secus accidit vbi ceruix eius vulneratur, vt in cõm. Galenus quoque annotauit. Quæ per veſicam excernuntur, inſpicere oportet, ſi talia, qualia ſanis excernuntur. Quæ igitur minimè ſimilia ſunt his, hæc morboſiora, quæ verò ſunt ſanis ſimilia, hæc minimè morboſa. apho. 64. libr. 7. Quibus docuit ea, quæ ſanis ſimilia ſunt, eſſe bona: contra, quæ iiſdem diſsimilia ſunt, mala: quod etiã in progn. exemplo faciei, decubitus, excrementorum alui, & vrinæ, monſtrat. Qualia fuerint veſicæ, aut alui excrementa, & ex carnibus, & ſicubi alibi à natura corpus exierit, ſi parũ paucus eſt morbus, ſi multum, multus, ſi valde multum lethale. aph. 76. lib. 7. Renum vitio laborantibus hæmorrhoides ſuperuenientes, bonæ: lib. De humor. cõm. 3. tex. 26. In renibus venã rumpi ſignificatur ſi quis mingat ſanguinẽ ſponte: aphor. 78. lib. 4. Vrinarum retentio ex veſicę re-

ſrigeratione, malum: prorhetic. 16. lib. 2. Nempe ex tali intemperie, ſecretoriæ, quæ in veſica eſt, facultatis factam imbecillitatem, vel ſenſus ob refrigeratum ipſius neruum priuationem, neruumque ipſum, quod contriſtat, haud quaquam ſentire oſtendit. Refrigeratio autẽ veſicæ fit diſcuſſo euaporatoq; ab eo, qui præter naturam eſt, naturali veſicæ calore.

De prædictione ex teſtibus ac genitali. §. XIIII.

SI genitale teſteſque conuelluntur, dolor vehemens, ac mors ſignificatur: & prognoſt. 10. lib. 2. Teſtes & pudenda reuulſa, malum ſignificant, in Coacis prænot. Si tentum & teſtes in morbis acutis contrahantur, perniciem arguit: Raſius lib. 10. ad Manſorem regem, c. 21. Contractio teſticulorũ, & penis, ſignificat mortificationẽ innati caloris, & dolorem vehementem: Auicenna loco citato. Cauſa potiſſima eſt, quoniam ex dolore interno facultas & ſpiritus ad interiora reuocantur (dolor enim attrahit) indeque conuulſio accidit. Reuulſa autem, appellauit Hippocrates genitalia, licèt impropriè, veluti & vterum neruoſum, propterea, quòd facilè contrahuntur & ampliantur inſtar neruorum, vt declarat Galenus lib. 6. de morb. vulg. ſect. 1. cõm. 2. Cum autem genitalium contractio ſit vitioſa, eorũ laxitas non eſt minus perniciosa,

niciofa, vt Auicenna ſcripſit, quoniam ſecundum naturam ineſt teſtibus contractio moderata, & genitali tenſio, idcirco eorum laxitas, ſummum receſſum à naturali ſignificat.

De prædictione ex partibus extremis. §. XV.

IN morbis acutis frigus partium extremarũ malũ: apho. 1. lib. 7. ſignificat enim vehementiſsimam viſceris cuiuſdam, verbi gratia, iecoris, aut ventriculi inflammationem, cuius calor inſtar cucurbitæ ſanguinem ad ſe attrahit. Si caput, manus, ac pedes frigidi ſunt, ventre coſtisq́ue calentibus, malum eſt: progn. 4. lib. 2. & apho. 48. lib. 4. Refrigeratio cum duritie ſignũ perniciofum, prorheti. 45. lib. 2. Quod ſi ſolis acceſsionibus id fiat, moderatius indicat malũ: ſi diutius permaneat, maius: ſi verò perpetuo, in foribus mors eſt, vt Galenus ibidem aduertit. In forti dolore ventris, partium extremarum frigiditas, malum: aphor. 26. lib. 7. Fit quidem, vt ait Galenus in cõm. ob magnitudinem inflammationis in viſceribus, partiũ extremarum frigiditas: fit etiam propter animæ defectum, vel quia calor natiuus extinguitur, vel qa propter multitudinem ſuffocatur, & tum præcipuè, cum frigida fuerit. Tum etiam propter dolorem vehementem medias corporis partes occupantem, ob quem natura in ſeipſam contra-

hitur, non ſolùm extremas corporis partes relinquens, veluti pedes, & manus, & caput, ſed & cutim vniuerſam. Cauſam igitur quandam particularem dixit Hippocrates in hoc aphoriſmo, partium extremarũ frigiditatis, ſicuti & in pluribus alijs ſermonibus ipſum feciſſe oſtẽdimus. Et nihil mirãdum, illum qui primus multa adinuenit, non omnium ſimul, ſed ſingulorũ particulatim feciſſe mentionẽ. Si verò præter grauitatem vnges quoque ac digiti liuidi ſint, expectanda mors continuò eſt: prognoſt. 8. lib. 2. Quoniam natiui caloris ſignum eſt internecionis, extinctioniſque frigus extremarum partiũ, & liuor in acutis febribus. Hinc illa anginoſa, quæ apud Bitonẽ agebat, lib. 3. de morbis vulg. ſect. 2. quinto perijt, quia tertio habuit extremitates frigidas ac liuidas. Et Eraſinus, cùm habuiſſet extremitates frigidas ac ſubliuidas eodẽ die perijt, lib. 1. de morbis vulga. ſect. 3. Et ob eandẽ cauſam perijt adoleſcẽtulus, qui in Mendacium foro decumbebat, lib. 3. de morbis vulga. ſect. 2. Et Galenus in cõmen. inquit, Nam periculoſa inter cætera hæc ſunt. Mortis verò apertum ſignum eſt extremarum partium liuor, & frigus. Filia quoque Euryanactis ibidẽ quoque obijt. Mortuus eſt etiã Philiſcus ſexta die, cui extremæ partes liueſcebant, lib. 1. de morbis vulg. ſect. 2. & ſect. 2. cõm. 75. ait Galenus, Quod verò extremitates liueſcerent, neque

eis

eis amplius calor rediret, demori eas indicat, & eſt argumentum conſtans, non poſſe vltra diem ſextum vires ſuſtinere. Hinc febrem ardentem, quam extremitates ita ſequuntur, eſſe pernicioſam, cõm. 16. & 26. lib. 4. de ratione victus: fatetur Hippocrates. Extremorum igitur calor & frigus in morbis acutis conſideranda ſunt, vt lib. 2. de hum. tex. 10. & lib. 1. de morbis vulga. ſect. 3. comment. 1. ſcribit Galenus. Si digiti ac pedes omnino nigreſcunt, minus peſtiferi ſunt, quàm ſi liueant. Sed alia ſigna conſideranda ſunt. Si enim facilè ferre malum appareat, & aliquod aliud ſalubre fuerit ſignum: morbum verti ſpes eſt ad abſceſſum, ità vt ęger ſit conualiturus: corporis verò nigredo caſura. prognoſt. 9. lib. 2. In Coacis prænot. huiuſmodi prædictiones breuiùs ita conſcribuntur. Caput & pedes & manus perfrigerati, aluo & lateribus calidis, malum eſt. Optimum autem eſt, totum corpus ſimiliter calidũ ac molle eſſe. Conuerti autem conuenit facilè ægrotũ, & in attollendo ſe leuem eſſe. At grauitas totius corporis, & manuum ac pedum, mala eſt. Si verò etiã ad grauitatẽ liuidi fiant digiti ac vngues, mors propinqua eſt. Si verò penitus nigreſcant, minus pernicioſi ſunt liuidis. Verùm etiã alia cõſiderare oportet. Si enim facilè fert morbum, & aliud quoddam ex bonis ſignis ſubindicat, morbus ad abſceſſum vertitur, & partes corporis

nigrefactę decidunt. Hæc ille. In ijs verbis ſolùm illud expoſitione indiget, cur Hippocrates dixerit, liuidos digitos peiores eſſe nigris? Quoniam liuidus color ſemper caloris extinctionem ſignificat, ideoque ſemper malus eſt, vt etiam Galenus lib. 1. de morbis vulg. ſect. 1. com. 29. dixit. Niger verò non ſemper malus eſt: nam interdum pars nigreſcit, quia materia eò decumbit, interdum quãdo moritur. Quod Galenus reſpiciens lib. artis med. cap. 83. dixit, Sunt verò & neutra, quæcunque nunc quidem hoc, nunc verò contrariũ ſignificant, veluti digiti denigrati. Sed, quo nam modo aliquis interno ſcat eam rem, perſpicuè indicauit Hippocrates. Si enim facilè ferre morbum appareat, ideſt, facilè ſe habeat ęger, & itẽ aliquod aliud ſalutare affuerit ſignum, materiæ decubitus eſt, & bonum: ſin contrariũ, mortificatio, & malũ.

De prædictione ex operibus partium corporis & facultatum. Cap. XIIII.

De geſticulatione manuum. §. I.

DE geſticulatione manuum hæc cognoſcere oportet. Qui in febre acuta, aut phrenitide, aut pulmonia, aut capitis dolore manus ob os fert, aut fruſtra venatur muſcas, aut colligit feſtucas, aut de veſte euellit pilos, aut de

pariete

pariete ſtipulas carpit: id omne malum, exitialeque eſt: prognoſt. 23. lib. 1. Anaxagoras hominē prudentiſsimū omniū animaliū eſſe ait, quoniam vnus omnium manus obtinet. Sed recta ratio exigit, inquit Ariſtoteles cap. 10. lib. 4. de par. anim. vt quoniam prudentiſsimus omnium eſt, ideò manus receperit. Manus enim inſtrumenta ſunt. Natura autem, vt homo prudens, ita tribuere ſolet cuiq; rem, qua vti poſsit. Rectiùs enim tibia dabitur perito tibiæ, quàm tibiam habenti peritia tibiæ addetur. Rem enim minorem maiori, potioriq́; natura addidit, nō maiorem, nobilioreq́; minori. Quod ſi ita melius eſt, natura autem ex ijs, quæ fieri poſſunt, facere ſolet, quod melius ſit, homo non propter manus prudentiſsimus eſt: ſed quia prudentiſſimus omnium animalium eſt, ideò manus obtinet. Qui enim prudentiſsimus eſt, rectè plurimis vti inſtrumentis poteſt. Manus autem eſſe videtur non vnum inſtrumentū, ſed multa. Eſt enim, vt ita loquar, inſtrumentum ante inſtrumenta: veluti etiam cap. 8. lib. 3. de anima, inquit Ariſtoteles, & confirmat Galenus cap. 3. lib. 1. de vſu part. Summo ergo ordine & diligentia maxima omnibus ſenſibus & corporis partibus ipſa manus ſubſeruit. Si autem contingat, vt in febre acuta, aut phrenitide, aut pulmonia, aut capitis dolore, manus capere velle, quæ non ſunt, neque apparent, ſignificat delirium

adeſſe, proinde malum atque exitiale. Imaginatio enim læſa eſt horum ſymptomatum cauſa. Vt autem floccos euellere & feſtucas colligere ſenſus videndi eſt offendiculum, ita expelli iubere tubicinas tybicinasque, audiendi. Fit quoque & in olfactu ſymptoma non diſsimile, cum ſcilicet graueolentes quoſdam odores, qui nõ adſunt, inculpant. Sunt, qui incumbens quippiã ſuſtolli iubent: tanquam graue admodum, vel calfaciens, vel mordens, vel refrigerãs portent, ſenſu tactus in huiuſmodi ſymptomatis oblæſo: vt Galenus aduertit prorhet. 27. lib. 1. & capitu. 3. lib. de ſympto. diff. & ca. 1. lib. 4 de locis affect. Læditur autem imaginatio nõ ſolum ob cerebri inflãmationem, ſed etiam ob biliosi ſucci copiã, vt Galenus docet lib. 3. de morb. vulg. ſect. 1. cõm. 2. ex quibus duobus delirium contingere poteſt, vt etiam conſtat ex hiſtoria, quã de ſeipſo enarrat Galenus c. 1. lib. 4. de locis affectis, & apho. 12. lib. 7. Quod autẽ in febre acuta hoc ſymptoma eueniat, & tandẽ mors, exemplo nobis erit vxor Dealcis, de qua Hippocr. libro 3. de morb. vul. ſect. 3. tex. 86. inquit, ꝙ ſemper tacita villos ſtraguli captabat, vellebatq́; & ſcalpebat, plorabat, moxq́; ridebat: & alia multa, quæ in libris de morb. vulg. facilè reperies Quibus manus tremulæ, capitis ceruicisq́; dolores, ſubſurdiq́; fiũt, & nigra denſataq́; meiũt his vẽtura expectare nigra, ꝑniciosum. prorh. 3

lib. 3.

lib. 3. Etenim & colli dolor, & manus tremulæ neruorum principium offenſum eſſe portendũt.

De prædictione ex delirio. §. II.

ILLVD principio aduertendum eſt delirium à phrenitide nimium differre. Quippe deliriũ, ut teſtis eſt cap.4.lib.2.de ſympt.cauſ.Galenus, omnis deprauatus principis facultatis motus exiſtit.Phrenitis autem,ut ca. 11. eiuſdem libri autor eſt Galenus,cerebri, aut eius membranarum inflammatio eſt. Summa igitur diligentia aduertant medici, quo loco Hippocrates nomine delirij & phrenitidis vtatur,nè in errores,ut ſæpè contingit, incidant. Latius tamen multò patet delirium, quàm phrenitis,ideo frequentius uerbo delirij quàm phrenitidis vtuntur medici. Deſipientiæ,quæ cum riſu fiunt, ſecuriores:quę uerò cum ſtudio,periculoſiores:aphor. 53.lib.6. Nota eſt cauſa, quoniam quæ cum riſu fit,à ſanguine parùm aduſto, aut à ſola caliditate ſine uitioſo humore ortum habeat:quæ uerò ſeriò accidit,ex atra bile,quæ ex flaua bile ſuperaſſata nata: eſt, procreetur. Ex multa potatione rigor & deſipientia, malum. aph.7. lib.7. Sapienter Hippocrates adiunxit, deſipientiam rigori, quoniam ſæpè accidit,ut à uini potatione aliquis deſipientia corripiatur, quemadmodum in ebrijs liquidò apparet. Hæc tamen non admo-

admodum magni momenti malum præ ſe fert. Verum ubi ſimul etiam rigor acceſſerit, haud dubie malum non leue portendit, nempe caloris natiui à multa uini potione extinctionem. A profluuio ſanguinis, deſipientia ac conuulſio, malum: apho. 10. lib. 7. Quippe defectum, & ſiccitatem corporis magnam, uiriumq; cerebri imbecillitatem ſignificant, ut Gal. aduertit. A pulmonis inflammatione, phrenitis malum. aphor. 12. libro. 7. Quod tùm pars noxiorum humorum à parte ignobiliore, coſtis nimirum ad magis principem partem, pulmonem ſcilicet, transferatur. Ex capitis ictu obſtupeſcentia, & deſipientia, malum: aphor. 14. libr. 7. Quippe vulnus ad cerebrum penetraſſe ſignificat. Ex uigilijs, conuulſio, & deſipientia, malum. aphor. 18. libr. 7. Quoniam maximam ſiccitatem ſignificant, quæ lethalis eſt. Delirio ſedari pleuritidem, lethale: libro. 6. de morb. vulg. ſect. 6. tex. 11. Referamus tamen Hippocratis uerba, Delirantibus laterum dolores ceſſant: quibuſdam verò etiam febres, quibuſdam non item, ſed cū ſudoribus: quibuſdam etiam cum perturbatione: quibuſdam cutis arida, circuntenta, ſalſaque efficitur. Perſpicua hæc oratio eſt, inquit Galenus, dolor lateris quempiam inuaſit, ut ſigna, quæ affectum indicantia nominantur, nobis declarant. Quod etiam grauis tranſitus morbi atteſtatur. Quare ſæpè fit, ut Medicus repente ingreſſus,

greſſus, & morbi & doloris leuationem eſſe factam, & aſtantes lætos comperiat. Ipſe tamen lętari temerè non debet: ſed quærere, facta ne ſit iudicatio, aut abſceſſus eruperit. Quorum nullum ſi factum inuenerit, ſed ægroti oculos perturbatos, ſignaq; delirij adeſſe intueatur, tum magnum eſſe malum pronunciabit: tunc enim ſedata quidem pleuritis eſt, ſed ad perniciem: propterea quòd materia in cerebrum impetum fecit: quicunq; enim aliqua parte corporis dolent, ac plerunque dolorem non ſentiunt, eorũ ægram eſſe mentem conſtat. Ac ſæpè vſu uenit, ut pleuritis in delirium non deſinat, ſed per ſudores excernatur: quandoque etiam per tuſſim expurgetur: quandoque autem ex multorũ ſymptomatum perturbatione abſceſſus in cutẽ fiet, quamobrem illa arida, circumtentaq; efficietur: ac ſi interdum è falſo humore excitata pleuritis eſt, eundem ad cutim propellet. Qui in febribus ardentibus tremores fiũt, delirium ijs ſuccedit: aphor. 26. libr. 6. Nam tranſlatis humoribus noxijs à uenis ad neruos ſubinde per conſenſum afficitur cerebrum, deliriumq; ſequitur: quod certè non tantum non ſoluit prius malum, ut aliqui arbitrantur Hippo. uoluiſſe, ſed eo etiam peius & periculoſius exiſtit. Ex delirio quidam ægroti iugiter exurgentes, uel iacentes quidem, ſed continuò partem aliquam corporis commouentes, aut etiam delira loquẽ

tes

tes intra paucos dies extenuantur : aphor. 28. lib. 2. Deliria antecedentia criſin bona, cap. 8. lib. 1. de criſibus. Delirium malum eſt, tamē nōnunquam bonum iudicium haud ita multò poſt futurum enunciat, aphor. 27. lib. 2. Vrina, quæ habet multa ſubſidentia, qualis Dexippi poſt caluicium fuit, deſipientiam liberat : lib. 6. de morb. vulg. ſect. 7. tex. 20. Præſertim uero ſi ea urina ab humore, qui morbi author erat, ſit excreta: ſiquidem nihil abſurdum eſt, quædam interdum eſſe corpori attributa, ut multum urinæ euacuetur, ipſa tamen deſipientia perſeueret. Si urina ſit ab humore illam faciente expreſſa, tum deſipientiam ſedare poterit, quemadmodum Dexippo eueniſſe ipſe præſcribit. Vbi ſomnus delirium ſedat, bonum: apho. 2. libr. 2. Quippe calorem natiuum morbificas euiciſſe cauſas, atque adeo uires eſſe ualidas ſignificat.

De prædictione à grauedine & ſternutamento. §. III.

GRAVEDINES & ſternutamenta per omnes morbos, qui in pulmone fatigent, præire & ſubſequi, malo eſt. Sed de alijs morbis exitioſis, ſternutamenta utilia ſunt: prognoſt. 49. lib. 2. Et Celſus lib. 2. cap. 8. inquit, in eodem morbo periculoſa ſunt, tuſsis, deſtillatio, etiam (quod aliàs ſalutare habetur) ſternutamētum. Malum enim ſignum eſt anteceſsiſſe & ſuccedere graue-

dines

dines in morbis pulmonis, quoniam magnam humorum abundantiam indicant. Mala etiam cauſa, propterea quòd ad pulmonem deſcendit à cerebro illa humorum copia, quibus magis aggrauatur, & afficitur. Et idem de ſternutamento dicendum eſt. In morbis enim thoracis uitioſum eſt ut ſignum, & ut cauſa concutiens pectus: ideoq; inflammationem auget ſternutamentum. Neque obijcias ex Hippocrate, qui aphor. 51. lib. 7. docet ſternutamentum partes inferiores inanire: unde aphor. 13. libr. 6. ipſe dixit, ſingultienti ſternutamēta ſi ſuperuenerint, tollunt ſingultum. Sternutando enim non ſolū cerebrum, ſed & uentriculus ob neruos ad eum deriuatos, uehementer cōcutitur ac quaſſatur, humoresque ſingultum excitantes uacuantur. Et ob eandem cauſam. aphor. 35. libr. 5. dixit, mulieri, quæ ab uteri ſtrangulationibus infeſtatur, aut quæ difficulter partum edit, ſternutamentum ſuperueniens, bonum. Signum quidē bonum exiſtit, quia naturam oſtendit, & propriarum meminiſſe motionum, & quę prius torpebat, excitari ac reuiuiſcere, quandoquidem aliquam eijcit ſuperfluitatem. Cauſa autem iuuaminis eſt, quia uehementiore cōcuſſu atq; feruore partim quidem naturam excitat, partim uerò excernit, quæ partibus corporis firmiter infixa adhærent. Et ob eam cauſam à conceptu abortum facere ſternutamentum, ſcripſit

Plinius

Plinius capit.6.lib.7. Dicendum eſt, quòd p
ctus cum ex ea concuſsione non habeat afflu
aliquem, potius repletur, quàm euacuatur. A
de, ex cap.6.lib.2.de ſympt.cauſ. quòd ſternu
tio ex accidenti aliquando humorum, qui
pulmone colliguntur, remedium eſt, quanqu
eorum cauſa non fuit. Ad eundem modum e
quæ in uentre & gula ſingultus excitant, ſter
tationes ex accidenti purgant, itaq; fiunt ſing
tuum remedia. Id quod nõnulli, qui infirma
rant uirtute cum intelligerent, expuendumq;
pectus & pulmonem aliquid haberent, ſternu
tationem ſibi nares laceſſendo mouerunt: qu
ſcilicet quod per tuſsim eijcere non ualuerun
huius motus uiolentia educerent. dixit idem
Galen.cap.5.eiuſdem libri. Illud etiam adiun
gendum eſt ſternutamentum, quod grauedine
ſequitur, maximè morbis pectoris nocere, n
verò aliter productum: quod optimè aduert
Galen.cap.4.lib.2. de ſympt.cauſ. dicens, Ster
nutationes (ſi tamen ex catarrho non fiunt) m
ximum remedium capitis halitu repleti ſunt
Nec mirum uno impulſu tum à pulmone, tum
à capite ſpiritum emitti. Quare quod de iuua
mine Hippocrates in alijs morbis ſubiunxit, no
ad ſternutamenta, quæ ſequuntur ex grauedi
ne, referenda ſunt, ſed ad alia ab alijs cauſis ex
citata. Quod in Coacis prænotionibus ita cla
riùs ſcriptum eſt, Grauedines & ſternutatione

in mor-

in morbis circa pulmonem & anteceſsiſſe,& ſuc cedere, malum eſt. Reliquis autem ſternutatio non incommoda eſt. Veluti eſt in caro, lethargo, & alijs huiuſmodi, ut libello de inſtrumento odoratus indicat Galenus: capitis etiam dolores ex multo flatuoſo ſpiritu ortos, leuat:lib. 6.de morb.vulg.ſect.6.comment.5. Quinetiam grauedini ipſius capitis maximè iuuant, ideò medicamentis excitanda, ut lib. de inſtr. odorat. dixit Galen. Eſt denique maxima uis ad ſalutem in ſternutamento, ſi producatur, poſtquã materia morbi concocta fuerit, quoniam ſignificat naturam potentiſsimam fore, ut declarat Galenus capit.4.libr.2.de ſympt.cauſ. Quod reſpiciẽs Ariſtoteles ſect.33. prob.9.rogat in hũc modum, cur eruptio cæterorum, ut flatus, ut ructus, ſacra haud quaquam habetur, ſternutamenti ſacra habita eſt? Vtrùm quoniam cũ tres partes principes ſint noſtri corporis, caput, thorax, & aluus, flatusq́ue alui expiratio ſit, ructus uentriculi, ſternutamentum capitis, quæ pars ſacra præcipua eſt, ſpiritum hinc exeuntem, ut ſacrum ueneramur & adoramus? An quia ſpiritus omnis eruptio, partes, quas modo dixi, melius ſeſe habere ſignificat? Cũ enim minus ſternutari queunt, ſpiritus erumpens leuat, ac mitigat. Ergo ſternutamentum quoque bene caput ualere, poſſeq; concoquere, indicio eſt. Cum enim capitis calor humorem, ſpiritumve conuincit,

uincit, tunc moueri ſternutamentum ſolitũ eſt. Quamobrem moribundos interdum ſternutatorio excitamus, tãquam ſi hoc affici nequeãt, ſpes nulla ſalutis ſit. Perinde igitur quaſi bonæ indicium ualetudinis partis optimæ, atque ſacerrimæ, ſternutamentum adornat, beneq; augurantur. Quare conſuetudo ſalutandi ſternutantes ante tempora Gregorij Pont. Max. inoleuit: ueluti etiam ipſe Ariſtoteles capit. 11. lib. 1. de hiſt. anim. ſcripſit. Plinius cap. 2. lib. 28. inquit, Cur ſternutamentis ſalutamur? Quod etiã Tyberium Cæſarem, triſtiſsimum (ut conſtat) hominum, in vehiculo exegiſſe tradunt. Itaque licèt ſternutamenta ſemper naturæ opera ſint, ab affectibus autem morboſis proficiſcuntur. At morboſos affectus uoco, non ſolum cum ali qui iam ęgrotant, ſed etiam cùm in ſanitate cauſæ illa excitantes, oriuntur: quas recenſet Galenus apho. 52. lib. 7. Hippocrates uerò duas potiſſimum refert, calorem ſcilicet, & humorem. Calor enim humores rarefacit, & in flatus conuertit, quos ſubinde natura per ſternutamẽtum expellit. Solus autem humor in capite redundans ſternutamentum haud excitat, niſi à calore in uentum conuertatur, & hoc manifeſtè uidetur in multis, qui copiam humoris per nares excernunt, & tamen propterea non neceſſariò ſternutantur. Porrò cum ſpiritus flatuſve, qui continetur in cerebro, erumpit, ſonat: idque

non

non aliam fit ob cauſam, niſi quod per anguſtū narium meatum egreditur, ut Galenus oſtendit. Eſt autem ſternutamentum opus naturæ, ut dictum eſt, & ſymptoma facultatis arbitrariæ, Galeno ca. 4. li. 2. de ſymp. cauſ. authore. Quod ſi idem Galenus lib. 3. de ijs, quæ in medicatrina fiunt comm. 36. dixit, eſſe motum præter naturam, reſpexit ad cauſam, & non ad facultatem, ut cap. 3. libro. 2. de ſympto. cauſ. Galenus aduertit. Redeamus ad præſagia. Sternutamenta plura oſtendunt futuram ægritudinem, cap. 82. libr. artis med. Sternutatio ſuperueniens mulieri, quæ uterinis moleſtatur, aut difficulter parit, bonum: aphor. 35. lib. quinto. Sternutatio non prodeſt uteri exulcerationibus, inflammationibus, eryſipelatis, neque abſceſſibus, ibidem. Sernutamenta in caro & lethargo, bonum prænunciant: Galenus libr. de inſtrum. odoratus. Quare in illis morbis ſunt excitāda: nam ſi humor in capite aqueus ſit, etiam ſternutamentis adiuuatur: ac contrà ſi ſit bilioſus, excitandę ſternutationes nō ſunt: propterea quod humor perturbatur, & augetur: ut Galenus ait libr. primo. de hum. comment. 18. grauedines & raucedines in ualde ſenibus coctionem non admittunt: aphoriſm. 40. libr. ſecundo.

De prædictione ex ſingultu. §. IIII.

EX immodica purgatione conuulſio, aut ſingultus ſuperueniens, malum: aph. 4. libr. 5. Quoniam ſingultus conuulſio eſt ſtomachi, ſecundum Hippocratem, vt inquit Galenus in cõment. Neque enim eſt abſoluta conuulſio, eodẽ Galeno lib. 2. de ſympt. cauſ. cap. 2. teſte, hæc enim ſolis muſculis accidit: atqui neque ventriculus ipſe, neq; ipſius oſtiolum muſculus eſſe cẽſebitur. Si ſenioribus ſupra modũ purgatis, ſingultus ſuperuenerit, non bonum, aphor. 41. lib. 7. In hepatis inflammatione ſingultus malum, aphor. 17. lib. 7. & aphor. 58. lib. 5. Accidit autẽ ſingultus in iecoris inflãmatione ob uentriculi conſenſum, & neruorum communicationem. Quippe connexum eſt iecur ventriculo, & omnibus inteſtinis venarum commertio, & membranæ ſeu tunicæ ea colligantis, quæ quidem à peritonæo ducit originem, perinde atque illa, quæ extrinſecus iecur ambit, & quæ eſt eius veluti cutis & velamentum, in quam neruus minimus à ſexta cerebri coniugatione inſeritur, per quem illi cum ventriculo eſt communitas. Nam & qui ad ventriculum perueniunt nerui, ex ſexta illa neruorum coniugatione naſcuntur. Malum etiam eſt, quod inflammationis magnitudinem ſignificet, propter quam ventriculus in conſen-

conſenſum rapitur. A vomitu ſingultus, & oculorum rubor, malum:aphor.3.libr.7.Aphonię cum ſingultu peſsimæ:prorhet.23.libr.1.Aphoniæ, inquit Galenus, fiunt quidem & propter voci aſſeruientium inſtrumentorum læſionem, & propter principij neruorum affectum. Singultus autem eſt ueluti conuulſiua quædam oris ventriculi affectio, quòd ex humorum copia grauatur, vel mordetur, vel propter frigiditatem contriſtatur. Sed de cauſis ſingultus lege Galenum cap.8.lib.3.de locis affectis: & cap.3.lib.8.per locos. Ab ileo vomitus, ſingultus, deſipientia, vel connulſio, malum: apho. 10.libr.7. Singultus non poteſt cognoſci futurus, Galenus prorhet. 60. libro.2. Dixerat author illius operis, atque cum ijs omnibus turbidus ſpiritus factus vnà cum excretionibus genituræ ſimilibus ſingultum indicat. Galenus verò hoc eſſe falſum ita oſtendit, cum multos ægros ſim contemplatus, & mille futura præfatus, neque tamen experimento ſignis ex talibus ſingultum adfuturum noui, neque ex rerum natura indicatiuè vel ipſe inueni, vel in ſcriptore aliquo legi. Sed præſens dictio ei, quod in ludo prouerbialiter dicitur, ſimilis eſt: parturiebat montem, & murem peperit. Cæterùm ſingultus non eſt affectio pulmonis, ut Plato in conuiuio uoluit: & ſequitur Ariſtoteles ſect.33.q.13.& 17. Idque ſibi perſuaſerunt ex eo quòd

ſpiritus retentus ſingultum expellat, vt experientia docet. Is tamen euentus probat ſpiritus retentionem intrinſecas partes magis calidas reddere, ex quarum calore reſoluuntur flatus, à quibus ſingultus ortum traxit: non tamen eſſe pulmonis affectionem ſingultum.

De prædictione ex pandiculatione & oſcitatione. §. *V*.

VTRAQVE in febribus intermittentibus futuram acceſsionem ſignificat: Galenus in præſagio experientia confirmato. Pandiculatio nil aliud eſt, niſi omnium partium corporis diſtenſio. Differtque ab oſcitatione non alia ratione, quàm quòd pandiculatio omnium muſculorum ſymptoma: oſcitatio uerò eorum tantum, quæ iuxta maxillas ſunt, veluti Galenus libr. 2. de ſympto. cauſ. cap. 5. & lib. 6. de morb. vulg. ſect. 5. comm. 4. tradidit. Diſtenduntur autem potiſsimùm à ſomno experrecti, vtpote vaporantia excrementa in carnibus ſentientes, tum ob congeſti cibi concoctionem, tum ob huiuſmodi motionum quietem. Atque hoc etiam minimi quique puerorum habent, quanuis à nullo præceptore edocti: quippè natura ad huiuſmodi motum excitat, vaporantibus excrementis ſpiracula fabricans. Itaque oſcitatio, & pandiculatio, dum flatuoſus humor,

aut

aut ſpiritus vaporoſus in muſculis contentus expellitur, à natura excitantur: libr. primo de hum.comm.17. Quod autem dixi, oſcitationes ex Hippocrate antecedere febrim, non ita accipiendum eſt, vt ad omnem febrim id eueniat: non enim continentes febres perpetuò præcendere oſcitatio ſolet, cum pleraſque ſine pandiculatione, & oſcitatione fieri cernamus. Sed in intermittentibus veriſsimum quidem id eſt, ut in quibus impetu quodam è vaſis in muſculos vaporoſa quædam & fulginoſa facultatis expultricis beneficio trudantur. Cumque multus vnà cum ijs attollatur aer, commodiſsimusq; ei per os pateat exitus, illud vi ſua diducit atque aperit: ſicq; fieri obſcitationem conſequens quidem eſt.

De prædictione ex ſomno atque vigilia. §. VI.

IN quo morbo ſomnus laborem facit, mortale: ſi vero iuuat, non mortale: aphor. 1. lib. ſecundo. Idque ſi in declinatione accidat, in qua aliàs plurimum conferre ſolet, veluti Galenus in comment. ſuis copioſius explicat. Nam tum caloris natiui imbecillitatem, cauſas morbum efficientes ſuperare haud potentis ſignificat. Quod ſi verò ſomnus iuuerit, minimè lethale erit, ſui ſcilicet ratione. Quatenus enim ad ipſum attinet ſomnum, bonum quidem

portendit : noxios enim humores probè concoqui ſignificat : non tamen neceſſariò tum ſalubris futurus eſt morbus. Nam ſi complura alia ſigna mortis aderint, nihilominus ægri exitium ſequetur. Quare ſi proderit ſomnus, bonũ quidem ſignum erit: at minimè certam ſalutem portendet, niſi etiam cætera ſigna ſalubria fuerint. Vbi ſomnus delirium ſedat, bonum : apho. 2. lib. 2. Quippe calorem natiuum morbificas euiciſſe cauſas, atque adeò uires eſſe ualidas, oſtendit. Somnus atq; uigilia utrunque ſi modũ exceſſerint, malum: apho. 3. lib. 2. Malum quidẽ ſignum, & mala cauſa. Vt malum ſignum, quia idem Hippocrates lib. *6.* de morb. vulg. ſect. *6.* text. 5. ſcripſit, Labor, cibus, potus, ſomnus, venus, omnia mediocria ſunto. Cauſa etiam mala exiſtit ſomnus immoderatus, eò quod vaporoſa excremẽta effluuia cohibens in corpore coaceruat, neque ut diſcutiantur permittit. Cæterùm ſunt etiam immoderatæ vigiliæ malum ſignum : ſiccitatem enim multam portendunt. Mala quoque cauſa, quia cruditatem pariunt, atque adeo cibi & potus coctionem impediũt, uireſque deijciunt. Quare ea quidem, quæ ad ſomnum, quæque ad vigilias pertinent, accuratè ſpectãda ſunt, vt opportunè adhibeantur: vt videamus, an in principio acceſsionis, an in ſtatu, an denique in declinatione ſomnum concedere par ſit. Etenim in principio acceſsionis

nis

nis febris cum humores & crudi,& copioſi ſint, ſomnus ſemper nocet. Vt enim noxius eſt,cum abſceſſus ventrem vexat. Cauſa eſt, quia calor intrò ſe recipit,& cum eo ſanguis quoque intrò recurrit, cumque eo tempore natura nihil aduerſus morbum agat,longior fit acceſsio. At ſi crudi quidem humores in aliquo ſint,ſed tamē pauci, ſitque virium adiuncta imbecillitas,tunc ſomnus potius commodum, quàm damnum afferre ſolet. In febribus, ex ſomnis timores, vel conuulſiones, malum, aphor. 67. libro 4. Quippè pauores ingentem melancholicorum humorum copiam, caput per ſomnū replētium & aggrauantium ſignificant: conuulſiones autem pituitoſorum humorum multitudinē portendunt. De ſomno autem facto in declinatione intelligendus aphoriſmus eſt. Sudor plurimus in ſomno factus abſq; cauſa manifeſta corpus vti pluri cibo ſignificat:ſi verò non accipiēti cibum hoc accidat, ſcire oportet, quòd euacuatione indiget: aphor.41.libr. 4. De ſomno, quemadmodum ex nautra, & in conſuetudine eſt, interdiu vigilandum, noctu dormiendum eſt.Si contra commutetur,peior eſt.Minimè verò offendit, ſi quis dormiat prima luce ad tertiam diei partem. Qui verò ab hoc tempore ſomnus eſt,deterior eſt:prognoſt.11.libr. 2. Et Galenus adducens hunc locum li.1.de hum.cōment. 18. inquit, De ſomno hoc eſt etiam ab

UNIV BIBLIO ... CINA

Hippocrate conſcriptum, eſſe nobis natura cõparatũ, ut die uigilare aſſueti ſimus, noctu dormire, ſi hoc immutetur, malum eſſe: peiusque cenſeri, ſi neq; die, neq; nocte quiſpiã dormiat. Huius rei afferre cauſam poteſt, aut dolor aliquis, aut labor, aut animi ægritudo, aut corporis affectus: quem, vtrum curationem poſtulet, intueri maximè debemus. Multiplex autem ratio eſt, cur ſomnus nocturnus conueniat: quòd per alta ſilentia noctis commodius, prolixiusque dormiamus, & ab eius frigiditate facilius innatus calor intrò retrudatur, ac ab extimis partibus ad intimas reuocetur: & ab eius tenebris ſpiritus animales fugiant, oculique ſubindè claudantur, & poſt copioſum cibum ſtatim ſuccedat, non ſine coctionis alimenti iuuamento. Diurnus autem contrà nocẽtiſsimus eſt. Primum qnod cerebrum nimia humiditate oppleat, quam potius uigilijs exiccantibus abſumere ac diſsipare oportet. Deinde quia tempus, quo quis interdiu dormit ad perfectam concoctionem non ſufficiat. Hinc eſt, quod diurno utentes ſomno meridie excitati à ſomno, ob interruptam ante horam ſuam concoctionem, ſubinde acidos edant ructus, crebro quoque flatibus impleantur. Accedit, quod ſomnus diurnus nimia humiditate cerebrum implens, capitis grauedines, aliosque frigidos procreet morbos. Vt autem ſomnum

à pran-

à prandio arceamus, Aetius lib.9.cap.39.deambulationis indulgẽdum eſſe,& animi laxamenta adhibẽda ſuadet, nec vlla ratione diurnos ſomnos admittẽdos cenſet, niſi laſſitudinis ſenſus adſit, aut præcedente nocte quis nihil, aut parum admodũ dormierit. Quod ſi ſanis ſomnus diurnus nocet, multò certius ægris ipſis nocebit: niſi conſuetudinem habuerint poſt prandium dormiendi. Tantam ſanè in omnibus, quæ ad medicinam ſpectant, vim habet conſuetudo, vt ea aduentitia natura à maximis Medicis fuerit appellata: videaturq; ipſe etiam Hippocrates inter maximè neceſſarios ſcopos eam conſtituere, eiq; ſecundam poſt naturam, videlicet indicationis vim habere. Si autem natura & cõſuetudo contraria indicauerint, indicatio conſuetudinis præferenda alteri eſt, vt cap. vltimo, lib.8.de morbis medẽdis ex Galeno explicuimus: vbi à conſuetudine ſumit Galenus indicationem ſimpliciter: à natura autem & ætate non ita illam ſumit, niſi conſuetudo conſentiat. In hoc etiã prognoſtico, ſomnus diurnus aſſuetus præfertur, licèt ſit contra naturam. Permittitur autem matutinus, qui poteſt vſque ad horam diei tertiam prorogari, id eſt noſtrã nonam, vt in cõm.noſtris in lib.de morb. med. tradidimus, quia cum continuetur cum nocturno, ceſſat interruptio maximè lædens: & hic in iuuamine ſecundus eſt à nocturno: neque præ-

cipuè

cipuè laudandus, vt ferè omnes Medici hactenus credere. Aegrum noctu vigilare, & cũ angore interdiu dormire, nil boni portendit. Si ſomnus laborẽ facit expergefacto, pernicioſum eſt. Raſius lib. 10. ad Manſ. Reg. ca. 21. Somnus ſitienti ſuperueniens, bonus eſt: apho. 27. lib. 5. Coquitur enim per ſomnum, & ſubdeſcendit id quod ſitim facit. Somni profundi ſignum ſunt pituitę: Galenus apho. 2. lib. 4. In vigilia conuulſio, & deſipientia, malum: apho. 18. lib. 7. Vigilant magna ex parte, & grauiter ſe habent, ac febriunt vehementiùs ægri, quando iudicatio appropinquat: apho. 71. lib. 4. Auicenna lib. 4. part. 2. ſect. 1. cap. 49. de ſignis ex parte ſomni, & vigiliæ, inquit: Et profunditas ſomni cum debilitate pulſus, eſt malum: eſt enim propter debilitatem virtutis, non propter humiditatẽ cerebri: & propriè, cum eſt cum permiſtione rationis: & quandoque eſt hoc à putrefactione humoris frigidi. Somnus augmentatus in ægritudine, cui ſuccedit permiſtio rationis, & aſſociatur frigori extremitatum, eſt malus: ſicut ſomnus, cui ſuccedit leuitas eſt bonus.

De prædictione ex decubitu. §. *VII.*

CVBANTEM offendi ægrum à Medico oportet in latus dextrum, aut ſiniſtrum, ac manus, ceruicem, & crura paulum reducta habentem,

tem,& omne corpus molliter poſitum. Ita enim plerique bene valentium cubant: ac ita cubare, vt ſani ſolent, ſaluberrimum eſt: in vtriſq; prænotionibus ſcriptum eſt. Hippocrates confirmat hoc prognoſticum epilogiſmo iſto, Is enim accubitus optimus eſt, quo benè valentes vtuntur: at bene valentes in vtrunque latus optimè reperiuntur cubare. Accubitus ergo ille optimus erit. Galenus in cõm. analogiſmo ſic probat: quod indicat robur facultatis per muſculos firmantes corpus, optimum eſt: huiuſmodi autem eſt accubitus in latus utrunque: accubitus ergo ille optimus, quod etiam cap. 4. lib. 2. de motu muſcul. confirmat Galenus. Hæc ita intelligenda ſunt, niſi adſit conſuetudo aliter cubandi, quæ cæteris anteponenda eſt, ut ſupra de ſomno diurno diximus. Subiunxit Hippocrates, ac manus, ceruicem, & crura paulum reducta habentem: nam aut nequaquã, aut pluſquã conueniat, inflexa eſſe, utrunque malum eſt, quia præter naturam ſunt. Vt declarat Galenus lib. 6. de morb. uulga. ſect. 1. comment. 30. Cuius rei rationem Ariſtoteles ſect. 6. prob. 3. oſtẽdit, in hunc modum quærens, cur inflexo corpore cubare melius eſt, quod etiam Medici plerique præcipiunt? An, quod uenter cum recaleſcit, concoquere celerius poteſt: ſic autem fit, ut recaleat. Ad hæc, locũ flatibus dare, in quem incumbant & inuitantur, oportet. ita enim mi-

nimè

nimè infeſtabunt. Hinc enim & varices & cæteri abſceſſus iuuant, quòd ventriculos continēt, in quibus flatum recipere queunt. Ergo corpore extēto, cauerna nulla eiuſmodi adigi poteſt: locum etenim omnem viſcera occupant. Inflexa autem, & ſingula laxantur, & ſinuantur. Addit Hippocrates, & omne corpus molliter poſitū, quem declarat Galenus lib 1. de hum. cōm. 24. ita vt totum corpus non ſiccum, ſed humidum ſit. Et progn. 5. lib. 2. dixit, optimum verò eſt, ſi corpus omne æquè calidum molleq; eſt. E quibus ſanè ſententijs pulcherrima iſta mollis cū duro, & diſtenti cum relaxato collatio innoteſcit, in qua alterum laudatur, alterum verò tanquam exitioſum damnatur. Supinum verò cubare manibus, & cruribus extentis, minus bonum eſt: prognoſt. 14. lib. 1. Quippè facultatis imbecillitatem ſignificat, lib. 6. de morb. vulga. ſect. 1. cōm. 30. Et lib. 2. de motu muſcul. cap. 4. ita inquit, Itaque & ſupinū iacere & hiare ſtertoris, aut exolutionis, aut ebrietatis, aut ignauiæ, ſigna ſunt. Cęterū Galenus dubitat in cōm. progn. cur Hippoc. dixerit, minus eſſe bonum: ſi. n. non eſt bonū, ergo nec minus bonum erit. Et ipſe reſpondet, Hippocr. ita loqui, vt oſtēderet decubitum hunc eſſe neutrum ac mediū inter ſalubres, atque inſalubres: id quod ſignificat, non bonū, quod ſcriptum eſt in Coacis prænot. vbi dicitur, At ſupinū iacere cruribus ex-

tentis

tentis bonum non eſt. Itaq; non bonum, apud Hippocratem non idem portendit, quod malũ: quia hoc ſemper malum eſt: illud verò neutrũ aliquando bonum, & aliquando malum. In hoc etiam decubitu eſt inſpicienda conſuetudo, vt Auicenna aduertit. Quæ ſi fieri poteſt mutanda eſt, quoniam ex decubitu ſupino, multa genera morborum procreari ſolent, vt apoplexia, morbus comitialis, carus, & alij, quos Galenus ad finem libri de inſtrumento odoratus refert. Ex tali quoque decubitu affectiones, quæ in gula generantur, augentur, vt cap. 5. lib. 5. de locis affectis, inquit Galenus. Seminis quoque profuſio ex ſupino decubitu non raro fit, veluti Ariſtoteles ſect. 10. prob. 18. docuit. Si verò procliuior eſt, ac deorſum delabitur ſubinde ad pedes, maiori periculo eſt: progn. 15. lib. 2. Quòd extinctionem quandam ſignificet regentis corpus facultatis: vt etiam declarat Galenus lib. 2. de motu muſc. cap. 4. & lib. de tremore cap. etiã 4. Quod verò in prog. Hippocrates inquit, procliuior, Galenus lib. 6. de morbis vulga. ſect. 1. cõm. 30. procliuis, commodiùs enarrat, quoniã nulla ibi fuit facta collatio: cum ijs, quæ ſuperiore prognoſtico dicuntur. At ſi pronus fuerit, inquit, è lectuloque ad pedes delabatur, grauius eſt. Si vero nudos habeat pedes, nec admodum calidos: ac manus, collum, & crura diſpergat inæqualiter, malum eſt. Significat enim inquie-

tationem:

tationem: progn. 16. lib. 1. Quippè aut propter ventriculi vitium, aut propter virium imbecillitatem, aut propter ægri mollitiẽ talis inquietudo oriri ſolet. Priores duos modos declarauit Galenus prorhet. 44. lib. 2. vbi dicit Hippocrates, Qui cum inquietudine, & ſine vomitu exacerbantur, malè habent. Galenus in cõmen. ſcribit, Bifariam enim inquieti fiunt, vno modo, cum virtus à corpore grauatur, nullamq́; figuram facilè ſuſtinet: altero modo, cum os ventris à prauis mordetur humoribus. Priores perniciosè afficiuntur: nauſeabundi ſunt poſteriores. Ea autem imbecillitas, vt plurimum ex febre ardente naſcitur lib. 4. de ratione victus 47. Quæ ab omnibus grauatur & figuris, & veſtimẽtis, & ſtragulis, prorhet. 16. lib. 3. Quod autem morſus ventriculi anxietates inducat, cauſa eſt conſenſus vẽtriculi ad cor, lib. 3. de locis affect. cap. 5. & lib. 1. de ſympt. cauſ. cap. 7. & aphor. 56. lib. 7. vbi Galenus inquit: Eodẽ modo & ægros illos anxios eſſe aiunt, qui accubitum non perferentes, figuras euariant, quia ſemper præſens aggrauat eos. Hoc verò præcipuè illis euenire conſueuit, quibus in ore ventriculi (quod nos abutentes vocabulo, ſæpè ſolemus ſtomachum nominare) humoris aliqua propria qualitas cõtinetur, ventriculo moleſta, quæ neque plurima eſt, neque in ventriculi fluit cauitate: ſed eã ipſę imbibere tunicæ. Itaq; difficilis tolerantia atq;

implaci-

implaciditas inquietatioq́; ſequitur interdum febrem ſtabilem & ęſtuoſam, ſæpius quoque & ſtomachi malitiam, Galeno lib. 4. de ratione victus, cōm. 47. aſſerente. Monet tamen Hippocrates in ſequenti contextu 48. optimum eſſe illis febrientibus, vt quàm minimè ſe proijciāt & iactent, tanquam, vt ait Galenus, & morbi totius concoctionem iuuans, & virtutē ipſam cōſeruans. Adde, quòd multa inquietudo, ac iactatio, & ſudorem prohibet, & flatibus replet corpus. Poſtremus verò modus inquietudinis ſupra relatus periculo vacat, cum ob ægri mollitiem contingat, & maximè ſi pinguis fuerit: pinguedo enim cogit hominem iactari præ obſtructione vaſorum. Qui in die primo ægritudinis impatiens fuerit, & ſuſpirauerit, & fractus fuerit mente, amittet ſomnum ſuperfluè, & magis ſpera mortem, niſi fuerit melācholicus naturaliter, Raſius apho. 15. lib. 1. Exitioſum autem & hiantem dormire ſemper: progn. 17. lib. 1. Quoniam maximum eſt ſignum debilitatis claudentium os muſculorum: vt etiam lib. 1. de hum. cōm. 24. inquit Galenus. Si autem hiet nō dormiens, multò maiorem noxam ſignificabit. Lege Galenū c. 4. li. 2. de motu muſc. & prorhe. 11. lib. 1. & lib. 1. de morbis vulg. ſect. 1. cōm. 30. Si crura quoque ſupini cubantis admodum reducta, diſtractaque ſint: prognoſt. 18. lib. 1. Delirium enim ſignificat. Quocirca oportet, vt ipſe

conſuluit,

conſulit, brachia & crura parum reducta eſſe, vt totum corpus iaceat, extra figuras extremas conſtitutum. Extremas autem figuras intelligo, in quibus longa extentio, aut flexus, ſiue artuum, ſiue ſpinæ ſint: quæ neruis ſupra modũ extentis fiunt. Si æger eleuat ad pectus pedes, & repentè remittit, vel pedem pedi ſupra ponit, malum: Raſius lib. 31. com. cap. 1. Si quis cubet in ventrẽ, nequaquàm ſolitus ita dormire, quo tempore ſanus fuit, malo eſt: delirium enim, aut dolor circa ventris ſedes ſignificatur: prognoſt. 19. lib. 1. Si verò velit reſidere æger in ipſo morbi vigore, in omni morbo acuto malum: peſſimum verò in pulmonia eſt: prognoſt. 20. citati libri.

De prædictione ex inſomnijs. §. *VIII.*

INTEREA, quæ aliquam indicare corporis affectionem ſolent, inſomnia numerantur. Nã ſi quis per inſomnium, vt ait Galenus lib. 1. de morbis vulga. ſect. 3. cõm. 1. videat incẽdia; hũc offendit flaua bilis. Si imbres: abundare frigidum humorem declarat. Sic ſanè, ſi niuem, glaciem, & grandinem, pituitam frigidam. Si quis in fœtido ſe loco eſſe putet, putredinem humorum. Si gallorum gallinaceorum criſtas habere: aut tuſa quædam, ſanguinem exuperare. Si caliginoſa cernere, aut in locis eſſe caliginoſis, flatus

lorem, qui rigorem ſequitur. Confirmat hanc ſententiam idem Hippocrates lib. 1. de morbis vulg. ſect. 3. text. 4. dicens, At verò omnium eſt quartana ſecuriſsima, facillima, longiſsima. Hęc enim non eſt ipſa quidem tantum per ſe talis, ſed etiã à magnis alijs vindicat morbis. Et hoc etiam eſt quod tradidit aphor. 70. lib. 5. A quartanis capti, non admodum à conuulſionibus capiuntur. Si verò prius capiantur, & quartana ſuperuenerit, liberantur. Et aphoriſm. vigeſimoſexto. libr. ſecũdo. febrem, dixit, conuulſioni ſuperuenire melius eſt, quàm febri conuulſionẽ. Et aphoriſm. quinquageſimoſeptimo. libr. quarti. Qui conuulſione aut diſtentione tenetur, ſi ſuperuenerit febris, morbum ſoluit. Bonũ quoque eſt ſi lippitudini alui profluuium ſuperueniat, ut Hippocrates aphoriſm. decimoſeptimo. libr. ſexti. docuit, quia humorum abundantia ſimul euacuatur, atque ad inferiora retrahitur. Item bonum eſt, longo alui profluuio laboranti, ſpontaneus vomitus ſuperueniens, quia ſoluit morbum, vt aphoriſm. decimoquinto. libr. ſexti. dictum eſt. Item melancholica & nephritide laborantibus, hæmorrhoides ſuperuenientes, bonum: aphoriſm. vndecimo. lib. 6. Præterea, in inſaniẽtibus ſi varices, vel hæmorrhoides ſuperuenerint, inſaniæ ſolutio, aphoriſ. vigeſimoprimo. eiuſdem libri. Lienoſis quoq; difficultas inteſtinorum ſuperueniẽs, bo-

ſanaui, cum ex præſcripto inſomnij remedia adhibuiſſent: imo verò patris inſomnijs admonitus in medicinæ ſtudium incubui. Quo circa diligenter intueri ſomnia oportet, vt & qualia in ſomnis videantur, & quid in eis fiat, intelligas: quo tum præſagire in poſterum, tum vero medicinam rectè facere perdiſcas. At prædictio hæc ex inſomnijs, ut pleraque obſcura, ſic incerta quoque eſt, quare ex alijs potius ſigna ad præſagiendum petenda erunt.

De prædictione ex tranſmutatione vnius morbi in alium. Cap. XV.

AD optimè prędicendum maximè attendere oportet Medicum in morborum tranſmutationibus, quia non rarò accidit, vt ægro eiuſmodi tranſmutatio, vel mortis, vel ſalutis futuræ cauſa exiſtat. Sic bonum eſt, ſi morbum comitialem aut conuulſionem quartana comitetur. Quod reſpiciens Hippocrates libro ſexto de morbis vulga. ſect. ſexta, text. ſeptimo. dixit, quartana laborantes magno morbo non capiuntur: ſi priùs autem capiantur, & quartana ſuperueniat, liberantur. Per magnum morbum intelligit comitialem: qui ſuperueniente quartana, ſanatur, excretione ſcilicet, & concoctione humorum: & vtrunq; in quartana accidit: excretio quidem per rigorē, concoctio autem per calorem,

lorem, qui rigorem ſequitur. Confirmat hanc ſententiam idem Hippocrates lib. 1. de morbis vulg.ſect.3.text.4. dicens, At verò omnium eſt quartana ſecuriſsima, facillima, longiſsima. Hęc enim non eſt ipſa quidem tantum per ſe talis, ſed etiã à magnis alijs vindicat morbis. Et hoc etiam eſt quod tradidit aphor.70.lib.5. A quartanis capti, non admodum à conuulſionibus capiuntur. Si verò prius capiantur, & quartana ſuperuenerit, liberantur. Et aphoriſm. vigeſimoſexto.libr.ſecũdo.febrem, dixit, conuulſioni ſuperuenire melius eſt, quàm febri conuulſionẽ. Et aphoriſm.quinquageſimoſeptimo.libr. quarti. Qui conuulſione aut diſtentione tenetur, ſi ſuperuenerit febris, morbum ſoluit. Bonũ quoque eſt ſi lippitudini alui profluuium ſuperueniat, ut Hippocrates aphoriſm. decimoſeptimo. libr. ſexti. docuit, quia humorum abundantia ſimul euacuatur, atque ad inferiora retrahitur. Item bonum eſt, longo alui profluuio laboranti, ſpontaneus vomitus ſuperueniens, quia ſoluit morbum, vt aphoriſm. decimoquinto. libr. ſexti. dictum eſt. Item melancholica & nephritide laborantibus, hæmorrhoides ſuperuenientes, bonum: aphoriſm. vndecimo.lib.6. Præterea, in inſaniẽtibus ſi varices, vel hæmorrhoides ſuperuenerint, inſaniæ ſolutio, aphoriſ.vigeſimoprimo.eiuſdem libri. Lienoſis quoq; difficultas inteſtinorum ſuperueniẽs, bo-

num, apho.48.eiuſdem. Malum verò eſt ſi profluuio ſanguinis narium deſipientia, aut conuulſio ſuccedit. Malum itidem ſi morbum lateralem peripneumonia, & hanc phrenitis ſequitur. Quæ omnia reſpiciens Hippocrates libro ſexto, de morbis vulga. ſect.6.tex.octauo. dixit, pro quibus qui morbi, id eſt, contemplandum eſt, qui morbi alijs ſuccedunt. Quem locum Galenus in comment. ſuis pleniſsimè explicat.

DE

DE OPTIMA PRAEDICENDI RATIONE,

Liber IIII.

LVDOVICO LEMOSIO AVTHORE.

Quid ſit criſis, & quotuplex. Cap. I.

CRISIS varia apud Medicos eſt ſignificatio, aut pro ſolutione, aut pro commotione, quæ antecedit, aut pro ſubita mutatione, vt inquit Galenus cap. 1. lib. 1. de criſ. & lib. 2. cap. 1. & capit. 5. lib. 2. de diebus decreto. Pro ſolutione criſim accepit Hippocrates lib. de præceptionibus, cùm dixit, Iudicatio eſt morbi ſolutio. At pro perturbatione corporis, quæ excretiones, & abſceſſus antecedit ſumitur apud eundẽ Hippocratem lib. 2. de morb. vulg. ſect. 1. cùm dixit, iudicatoria, quæ non iudicant, partim mortalia, partim malè indicantia ſunt. Nam priuſquã

morbus per excretiones & abſceſſus finiatur, non mediocris in ægri corpore fit petturbatio. Vnde Galenus cap.1.lib.1.de diebus decret.dixit, Nos ſanè turbationem in morbo adeò ſubitam, iudicium ſeu criſim appellamus. Cæterùm pro ſubita mutatione accepit criſim Hippocrates aphor. 13. libr. 2. & aphor.20,libr.1. Ex ijs tribus perfecta criſis conſtat, ut Galenus aduertit capit.5.lib.2.de diebus decret. Ea autem quatuor fit modis. Nam uel eſt ſubita morborum liberatio, uel magnam mutationem in meliorē ſtatum, vel mortem repentè affert, vel facit, vt ęgrotus ſit multò peiore in ſtatu, ut Galenus docet lib. 1. de criſib. cap.1.lib.3.progno.cōm.1. aphor.23.lib.2.& libr.2.de hum.c.20. Quam criſis diuiſionem docuerat Hippocrates libr. 1. de morb.vulga.ſect.3.tex. 16. dicens, Inſuper eſt animaduertendum & cognoſcēdum, quæ ſint his temporibus futura iudicia ad ſalutem, vel ad pniciē: aut momenta ad melius, uel peius. Quod ſi Galenus ipſe capit.1.libr.3.de criſ. & lib.2.de hum.cōm.5. Sex modis criſes fieri dixit: nā vel repentè fit in ſanitatem mutatio: vel repēte hominem perimunt: uel vtrunq; horum paulatim, vel per mixtionem contingit: ac paulatim quidem, vel morbo ſeneſcente ac ſe remittente, aut ægri viribus debilitatis. Per mixtionem verò, cum æger in deteriorem aut meliorem ſtatum ſit commutatus, ac deinceps vſque ad perfectā

ſolutio-

ſolutionem aut mortem reliquum tempus totũ abſumptum ſit. Dicendum eſt Galenum locis citatis prætermiſiſſe duas poſtremas, veluti raras: item numeraſſe ſimplices criſes, non verò miſtas, quales illæ poſtremæ ſunt. Illud autem ſcito, primam criſim, quæ eſt repentina in ſanitatem mutatio, omniũ aliarum, quæ dictæ ſunt, eſſe optimam. Ex alijs verò, quę in ſubitam mortem deſinit, mala eſt: quæ verò iudicationes aliquam mutationem, non tamen perfectam morbi ſolutionem afferunt, eæ imperfectæ numerantur: ſicut quæ paulatim fiunt, non iam iudicationes, ſed ſolutiones appellantur. Sola igitur ſubita ad ſanitatem conuerſio ſimpliciter & per excellentiam, criſis nominantur. Et quidẽ omnino fit per manifeſtas quaſdam excretiones, aut effatu dignos abſceſſus. Raro enim pueruli tantummodo per ſomnum altiorem ac longiorem celeres in melius fecerunt mutationes, quas nonnulli volunt etiam nominari iudicationes: alij nequaquam comprobant, vt progn. 1. lib. 3. indicat Galenus. Et prorhetico 29. libr. 2. dixit in hunc modum, Vidimus enim in ægris quibuſdam, qui tribus, vel quatuor deinceps diebus vigiles permanſerant, difficilem excitatu ſomnum ſuperuenientem, qui prorſus noctedieque perſeuerans magnum attulit auxilium: ſæpius quoque & in infantibus ſomnum eiuſmodi ſuperuenientem non vno die ſolum, verum

quoque & duobus ex ordine diebus magno ipſis fuiſſe commodo conſpexi. Non tamen caret difficultate an criſis illa puerorum per ſomnum referatur ad concoctionem, an verò ad diſſolutionem? Cui reſpondendum eſt, ad vtrunque referri, propterea quod pueri concoctrice maximè valent, & præſertim dormientes: & ad euacuationem etiam referetur ob ſubſtantiæ mollitiem, qua præditi ſunt. Neque obijcias ex cap. 3. lib. 12. de morbis medendis, vbi inquit Galenus, Somnus concoquit, vigilia digerit: quoniã vigilia magis digerit vtile, ideò magis reddit vires imbecillas: ſomnus vero magis id quod noxium eſt, diſsipat. Si obijcias etiam, quandoque morbum per coctionem bene terminari citra vacuationem, ut experiẽtia quotidie videmus, dicendum eſt terminationem illam non eſſe criticam, ad quam eſt neceſſe ſequi vacuationem. Illa autem euacuatio melior eſt, quæ fit per ventrem inferiorem, quàm quæ per abſceſſum: deinde illa melior, per quã humor noxius, quàm per quam alter euacuatur: tertio loco quæ recto tramite fit, & poſt has quæ facile toleratur, deinde quæ cum concoctione, & in decretorio die. Hæc omnia adeſſe conuenit perfectæ iudicationi, vt aphor. 20. lib. 1. dixit Galenus. Et cùm ad optimã criſim neceſſaria ſit euacuatio, hinc apud Hippocratem criſis nil aliud eſt, quàm ſequeſtrati excretio, ante enim criſim humores

ad

ad expulſionem parantur, & bonum à malo ſequeſtratur, & eadem facultas, quæ omnia hæc operatur, aliena expellit, & iudicationes ſeu euacuationes in morbis facit. Licèt nomē criſis, inquit Galenus capit.2.li.3. de criſ. & prognoſt. 1.lib.3. è foro tranſlatum ſit. Neque enim medicorum aliquis primus inuenit id nomē, ſed omnino neceſſarium fuit, vt, qui præſens eſſet, conturbaretur, atque adeò exclamaret, & criſim id eſt, iudicium rem ipſam nominaret. Vt enim iudicium ſine reo, accuſatore, teſtibus, patrono ac iudice conſtare minimè poteſt: ſic & in morborum iudicijs iſthæc omnia eſt inuenire. Rei perſonam, æger, qui iudicandus eſt, repræſentat: accuſatoris vicem morbus implet. Neglectæ enim victus rationis, contemptæq; ſalubritatis, æger à morbo conuincitur. Teſtiū loco in morbis ſunt ſigna atque indicia, quorum teſtimonio ægrum vel euaſurum, vel moriturum deprehendimus. Patronum eximium natura ęgrotātis agit, quæ virium robori innixa, quoad poteſt, ægrum ſeruare, & à morbi iniuria vindicare ſtudet: Iudex in hac ægri cauſa medicus ipſe eſt, qui pro virium ægri fortitudine, aut imbecillitate, pro varia morbi natura, ac magnitudine, pro ſymptomatum, quæ in morbo ſpectantur, ſæuitia, aut leuitate, pro reliquorum ſignorum apparentium inſpectione atq; animaduerſione, de ægrotantis futura ſalute, aut mor-

teiu-

te iudicium profert : taleque iudicium præſentio, præcognitio , præſagitio, ſeu prædictio, Hippocrati , ac cæteris medicis dici merito ſolet.

De criſis differentijs. Cap. II.

COLLIGIT Galenus lib. 3. de criſibus cap. 7. ex criſium ſpeciebus ſex enarratis , tres eſſe ad ſanitatem , tres verò ad mortem . Prima ad ſanitatem dicitur criſis perfecta, abſoluta, fida, certa, & bona, quæ nil aliud eſt quàm morbi ſolutio . Voco, abſolutam, inquit Galenus cap. 2. libro. 1. de diebus decretorijs, quæ in morbo nihil facit reliqui : fidam , firmam , ſecuram, quæ redit nunquam . Hac criſi fuit iudicatus Meto, & alij plures , libris de morbis vulgaribus apud Hippocratem . Secunda dicitur imperfecta criſis, tuta , manifeſta, indicata , quæ nil aliud eſt, quam ſubita morbi diminutio . Voco imperfectam criſim, cùm ex morbo quippiam relinquitur: tutam, quæ ſine periculoſis ſymptomatis accidit, ſic manifeſtam, cui excretio quædam , vel abſceſſus inſignis ac cõſpicuus adeſt: cum bonis ſignis, quæ à contemplatorio prius eſt indicata. Hæc à medico ſępè adiuuatur aphor. 20. libr. 1. Hanc criſim paſſus eſt Epicratis vxor , Cleonactides , Herophon. Clazomenius, mulier , quæ in litore decumbebat, Pythion, Chærion , & alij non pauci in libris citatis . Tertia non propriè

criſis

criſis dicitur, ſed ſolutio, quæ in longiori tempore & paulatim facta eſt. Sicuti verò uel effatu digma euacuatio, uel omnino decubitus cum veloci perturbatione neceſſariò in criſibus fiūt: ità in ſolutionibus neque agitatio aliqua, neq; euacuatio, neq; decubitus accidunt. Tres quidem hi ſunt modi commutationis morborum, cùm à morbo liberari debet ægrotus. Tres verò alij proportionaliter oppoſiti iſtis exiſtunt, cum moriturus eſt. Vel enim ſubitò moritur vnà cum turbatione, & agitatione, & quibuſdā excretionibus, uel abſceſsibus effatu dignis. Quemadmodum Philiſcus lib. 1. de morb. vulg. Silenus, Eraſinus, Crito, uxor Dromeadæ, Philiſta in Thaſo, illa anginoſa quæ apud Bitonem agebat: & alij plures. Vel mortem non ſubijt quidē ex iſtis, ſed multò deterius euaſit, & hęc criſis appellatur incerta, periculoſa, obſcura, non indicata, & mala, qualē habuit Hermocrates, filia Eurianactis, adoleſcens ille in Mendacium foro, Philini vxor, & alij non pauci. Tertia verò ſpecies malæ ꝑmutationis, quæ paulatim fit vſq; ad mortē, maraſmus nominetur, ſed de hoc genere mortis, veluti de illo poſtremo ſalutis genere Hippocrates in libris de morbis vulgaribus non meminit, ſed ſolùm de quatuor prioribus, ut ipſe lib. 1. de morbis vulg. ſect. 3. tex. 16. ſcriptum reliquit.

De

De indicijs optimæ criſis. *Cap. III.*

GALENVS cap.3.lib.3.de criſ. & aphor. 20. lib.1.ſex in vniuerſum videtur docere conditiones perfectæ & optimæ criſis. Prima eſt, quod per excretionem, aut abſceſſum fiat euacuatio: item humor noxius & abundans euacuetur, rectitudo obſeruetur, facilè toleretur, concoctio adſit, & in die iudicatorio fiat. Qui hoc modo probè iudicati ſunt, hæc maximè conſequuntur. Coloratiores fiunt & valentiores cum exurgũt, & euacuationis commoditas manifeſtè perſentitur, quia humor noxius excretus eſt, & facilè ferunt pro euacuationis modo, rationeve, quia nihil cum malo ſimul de bono deceſsit. Si verò cum abijſſe iam morbus putatur, ſymptomata adhuc tum perſtiterint, vt pallor, vt faſtidium, ut peruigilium, ut ſopor, recidiuam pertimeſcere, atque cauere ſanum adeo eſt. Porro in ijs, qui exquiſitè ſunt iudicati, declinatio vix ſenſu pernotari poteſt: nam excretis ſubitò noxijs humoribus optata mox ſalus aduentat, vt non adeò declinaſſe, ſed vnico illo naturæ inſultu expugnatum receſsiſſe morbum appareat. Cæterùm euacuatio non vno modo ſit, ſed pluribus, ut per vomitum, per deiectionem, per vrinas, per fluorem ſanguinis nariũ, per ſudorem, per hæmorrhoides, & in mulieribus

bus per menſes. Vidimus enim etiam in multis per hęmorrhoidas prius exiſtentes in ſede apertas, morbum ſolutum: ſimiliter & in fœminis menſtrua purgatione facta. Oportet autem & in his prægreſſa concoctione, in morbi vigore excretionem fieri, quo bona & tuta iudicatio fiat. Præcedit & in his notabilis grauitas, & dolor lumborum, imò etiam imi ventris dolor ac diſtentio. Per abſceſſum etiam non vno modo fieri criſim, intelligimus, ſed multis quoque: quoniam aut ſunt inflammationes, aut bubones, aut papulæ. Hæ autem aut minimæ ſunt vix cutem attollentes, quales à pulicum morſu inferuntur: aut maiuſculę, & cutem aliquantulum attollentes, vt morbilli, aut adhuc maiores, vt variolæ, quæ ſuppurari ſolent. Atqui hæc omnia papularum genera inter ſe differunt magnitudine, copia, colore, & modo apparitionis, vt ſtatim dicemus.

De ſignis antecedentibus vnamquamq; criſim. C. IIII.

VBI iam affutura eſt criſis, non parua turbatio in ægri corpore præcedit, & præſertim in nocte iudicatoriam exacerbationem præcedente. Quibus enim criſis futura, his nox grauis ante acceſsionem, vt inquit Hippocrates aph. 13. lib. 2. Grauitates enim, & vigiliæ, & deliria & graues ſopores, & ſpirandi difficultates, &

vertigi-

vertigines, & ſenſus obtuſi, & dolores capitis, colli, ſtomachi, ac multarum aliarum partium adſunt. In quibuſdam vero aurium ſonitus, & ſplendores oculis obuerſantur, & lachrymæ inuitæ fluunt, & vrina ſupprimitur, & labium concutitur, & alia quæcunq; pars tremula efficitur. Et contingit obliuio ac ignorantia præſentium, & vehemens rigor aliquando incidit, aut ardor anteà non factus, & in ſumma exacerbatio ante ſolitam horam irrumpit, & multus ſopor ac ſitis intolerabilis ſequitur, & vociferantur ac exiliunt velut conſternati, & decubitus figuram ſeruare non poſſunt: & timor impendet vidētibus. At imperitus medicus videns ſymptomatum accidentium tempeſtatem perturbatur, & cum familiaribus ægri calamitatem deplorat, & per condolentiam occultat imperitiam. Verùm generoſi medici eſt non turbari, neque ignorare quid euenturum eſt: ſed ex præſentibus præno ſcere, non ſolùm quòd iudicatio futura eſt, ſed etiam qualis futura eſt. Hæc omnia Galenus li. 3. de criſ. cap. 2. docet. & lib. 1. de diebus decret. cap. 1. & prog. 11. & 12. lib. 3. Ex Hippocrate lib. 1. de morbis vulg. ſect. 2. à tex. 51. vſque ad tex. 58. Particulares autem criſes docet cognoſcere Galenus cap. vlt. lib. 1. ad Glauc. & cap. vlt. lib. 3. de criſibus, ex qbus locis has notas deprompſi. Primùm ergo ſplendores ante oculos obuerſantes præcedunt profluuium ſanguinis è naribus,

item

item oculorum hebetudo, oculi lachrymantes, & rubicundi, malæ rubicundæ & nares, hypochondriorum ſine dolore tenſio, difficultas ſpirandi, deniq; nares prurientes. Hanc criſim paſſus eſt Meton.lib.1.de morbis vulga.ſect.3.& iudicatus eſt:& uirgo Lariſſæ lib.3.de morb. vulg. ſect. 3. & iudicata fuit. Vomitus autem ſigna ſunt cordis morſus, capitis dolor, vertigo, tenebroſa oculis obuerſantia, labij inferioris agitatio, ſaliua multa & tenuis. Habuit hanc criſim Epicratis vxor lib.1.de morb. vulga. ſect.3.& iudicata eſt. Cęterùm ſudore iudicatus Horophō. lib.1. de morb. vulg. ſect.3. & Cleonactides, & mulier quædam, quæ in litore decumbebat, & Melidia.Item Periches lib.3.eiuſdem operis, & virgo Abderæ,& Anaxion, & Nicodemus. Per vrinas verò iudicatus fuit Pythion, qui propè Telluris ædem habitabat. Et per deiectiones, Clazomenius. Conſiderandum tamen eſt, nunquid per ſudorem, aut vrinæ excretionem criſis ſit futura,& quo pacto dignoſcenda. Vbi enim criſi imminente vrina præter rationem ſupprimitur, vigorem initio iudicatorium expectare oportet. Quod Hippocrates lib.6. de morb.vulga.ſect.1.tex.9.ijs confirmat uerbis, Ante uigores urinæ ſuppreſsiones. Quod ſi itaque ex iam dictis ſignis ſciamus uigorem eſſe iudicatoriū, definiendum ſubinde erit qualis ipſum ſecutura ſit excretio, ſudor nimirum, aut uomitus, aut

alui

alui deiectio, aut horum aliqua, aut omnia. Si enim urina, & aluo ſuppreſsis, rigore æger correptus eſt, ſudor multus neceſſariò ſequetur. Nam cùm ſeroſæ humiditatis in corpore collectæ tria ſint uacuationis loca, quia uel per vrinam, uel aluum, uel per ſudorem uacuatur: ut duobus prioribus locis ſuppreſsis, per tertium, nempe ſudorem, copioſe admodum vacuetur neceſſe eſt. Si verò ſola vrina ante vigorem ſuppreſſa fuerit, conſiderandum tum erit, nunquid ante iudicium plura alui excrementa, aut pauciora prodierint. Si enim multò magis, quàm antea conſueuit fieri, aluus excreuerit, uigor expectandum non erit, ſed cognoſcere oportet inclinationem ſeroſi humoris ad aluum factum eſſe, adeòq; uniuerſum humorem hanc, naturam per aluum excreuiſſe, ut mirum non ſit ſuperuacuis omnibus per aluum eiectis, retentam eſſe vrinam. Sin pauciora per aluum excreta ſunt, inclinationem ſeroſi humoris ad ſudoris loca, adeoq; cutem factam eſſe conijciēdū erit, ideoq; iudicatorium vigorē ſudor ſubſequetur. Quòd ſi uomitus etiam ſigna, quæ paulò antè recenſuimus, affuerint, per ambas excretiones, hoc eſt, ſudorem & vomitum æger iudicabitur: & magis vtique per earum alteram, cuius indicia magis præualuerint. Verbi gratia, per vomitū magis, ſi illius indicia, ſudoris ſignis præualuerint. Per vtranq; æquè, ſi notæ harum æquales

quodam-

quodammodo fuerint. Si autem vomitus indi-
cia haud aderint, tunc poſt vigorem expectare
tantum oportet ſudores: præſertim ſi ægrotan-
tes increſcente acceſsione vaporibus ſurium ela
tis delirauerint: exterioreſq; corporis partes ca
lidiores ac rubicundiores fuerint. Tunc enim
humorum ad eas fieri inclinationem, ac motum
certò monſtrabunt, & multò quidem certius,
ſi vapor quidam calidus, qui ante non aderat,
per eas partes exhalet. Siquidem is vapor ſub-
ſequentis ſudoris quaſi certus quidam nuncius
eſſe ſolet. Quod ſi verò pulſus etiam undoſus
fuerit, & inſigniter mollis, adhuc magis ſudores
expectandi ſunt. Nihil autem mirum vndoſum
pulſum, cum non niſi propter humorum copiã
fiat, quemadmodum etiam mollis, ſudoris eſſe
certum nuncium. Porrò, ſi humorum ad interio
ra motus ſigna affuerint, per alui deiectionem
æger iudicabitur. Si verò vomitus etiam ſigna
affuerint, & venter inſigniter excreuerit, tam
per vomitum, quàm per deiectionem iudicabi-
tur. Quapropter eius, quæ per aluum fit excre-
tionis nec manifeſta, nec propria ſigna exiſtũt,
ſed ex eo, quòd iudicij quidem adſunt indicia:
deſunt autem vomitus, profluuij ſanguinis na-
rium, & ſudoris, colligere licebit. Obſeruandũ
preterea an plura egerantur, quàm ante iudica-
tionem conſueuerint. Sic enim ſignificatur illac
potius impetum fore, detenta præſertim vrina.

Quãquam autem nullum horum ſignorum adeſt, poteſt tamẽ non ſolùm per alui deiectionẽ ſed & per hæmorrhoides, & in mulieribus per menſes fieri iudicium. Non eſt autem difficile, præſertim in mulieribus, definire vtrum per menſes, aut alui deiectionem iudicium ſit futurum. Si enim inſignis lumborum grauitas, & tenſio, & dolor fuerit, certum eſt humorum inclinationem ad vterum eſſe, ideoq; tum iudicium per menſes, & minimè per alui deiectionem fiet. Hanc criſim per menſes paſſa eſt libr. 3. de morbis vulg. ſect. 3. mulier illa, quæ in Thaſo habitabat, & virgo Lariſſæ. Num verò ad abſceſſum vertatur morbus, inquit Galenus etiam capit. vlt. lib. 3. de criſ. duplici ſignorum genere, communibus nimirum & proprijs, cognoſci poteſt. Cõmunia autem vocamus, quæ in quamuis partem futurum abſceſſum oſtendunt, quæ quidem triplicia ſunt. Primùm, ſi æger ſalubriter ſe habet. Secundùm, ſi ſenſim & paulatim non ſoluitur morbus. Tertium, ſi vrina neque multa, neq; multam ſubſidentiam habens; ſed cruda ac tenuis mingitur. Cuius rei teſtis eſt Hippocrates, qui prognoſt. 34. libr. 2. ità ſcriptum reliquit: Qui tenuem ac crudam multo tempore mingunt vrinam, ſiquidem alia ipſis ſalubria ſigna adſint, ijs abſceſſum ad loca, quæ ſub hypochondrijs ſunt, expectare oportet. Propria verò appellamus, quæ abſceſſum ad certam aliquã partem

tem

tem futurum eſſe denunciant, quæ quidem quatuor ſunt numero. Primum operandi difficultas celeriter incipiens, mox autem rurſus deſinens, quæ humores quidem ſurſum verſus tendere, adeoq; abſceſſum in ſupernis ſedibus erupturũ denunciat. Secundum capitis dolor, & grauitas. Tertium, coma, & grauis ſopor. Quartum, ſurditas. Hæc enim omnia humorum motum ad ſuperiora ſignificant, & in glandulis poſt aures futurum abſceſſum demonſtrant. Si verò morbus diuturnus fuerit, neque vllum ex iam dictis quatuor ſignis apparuerit, ſed grauitas, vel tenſio, vel inflammatio, vel dolor in infernis corporis partibus fuerit, motum humorum deorſum fieri, atque adeò in illis partibus futurũ abſceſſum nunciabunt. Cur autem ante iudicationem talis turbatio in corpore fiat, Oribaſius in commentarijs ſuis in Hippocr. aphor. 13. libr. 2. eleganti ſimilitudine explicat, in eum modum ſcribens. Quare ante decretorium diem perturbatio fit? Nimirum, quia natura velut iudex reſidet in tribunali, ante quod duo litigantes accedunt: unus ad alterum dicit, En vinco: alter inquit, non vincis, ſed ego. At ubi ingreſſi fuerint, & ſilentium indictum, diſcernit index apud ſemetipſum, & ſic loquitur, ille uincit, & quod anteà fuit litigioſum, poſtmodum efficitur quietum. Sic itaq; & natura, ut iudex conſtituitur, virtus & humores cum affectu litigãt,

natura verò media eſt. Dicunt humores, nos illuc ingredimur, quia noſtrum eſt. Virtus reſpõdet, ego aſſumo tanquam quod meum eſt. Si ſe iunxerit natura cum humoribus, uincitur virtus: ſi vero ſe iunxerit cum uirtute, vincuntur humores, & affectus, & fit iudicatio ad ſalutem. Sic itaq; confidit uirtus naturæ, quemadmodũ ſi deploratus homo habeat patronum bonum. Hactenus Oribaſius.

De ſignis antecedentibus omnia papillarum genera. Cap. V.

SVMATVR in hoc loco nomen papulæ ad ſignificandas puſtulas, quæ apud Hippocratem exanthemata & ecthymata dicuntur. Nomen ſanè generale ad uariolas, morbillos, & morbum culicarem, de quibus Hippocratem & Galenum ſcripſiſſe, ſed raro vidiſſe, in comm. noſtris in lib. 5. de morbis medendis annotauimus. Etenim Galenus apho. 9. lib. 6. duplices puſtulas facit, nonnullas ſublimes, nonnullas uerò latas. Sublimiores à calidiore generari humore, ait, prurituṁque excitare: humiliores uero à frigidiore obortas, & citra pruritũ eſſe, quòd ſcilicet, in latitudinem extentæ diffientur, & humor ipſas faciens minus acris ſit. Eodem ſanè modo morbili ſublimes ſunt, prurituṁque excitant: variolæ verò humiles ac latæ, neque admodum

dum prurientes. Morbilli à calidiore, variolæ autem à frigidiore humore generantur. Præterea quemadmodũ ecthymatum generatio, Galeno loco iam citato teſte, ex ſuperuacuis humoribus eſt, qui partim tenues, partim etiam craſſi ſunt, ita etiam uariolarum & morbillorum: ex craſsioribus variolæ, ex tenuioribus autẽ morbilli. Et quemadmodum ecthymata, Galeno libr. 3. de morbis vulga. ſect. 3. comm. 51. teſte, ex tenuibus humoribus facta, vlcerationes cum humore efficiunt: ex craſsis verò procreata in humorem tantùm cutem extollunt: ità etiam morbilli cutem non tantum attollunt, ſed etiã exulcerant, variolæ autem tumorem duntaxat efficiunt. Et ob id variolarum ſemper exitus difficilior eſt, quòd ex craſsioribus & magis tenacibus humoribus ortum ducant, & hoc nomine cutem non facilè penetrare poſsint. Hinc eſt quòd multi variolis intus detentis moriantur: pauci autem in morbillis, quod facilè, quandoquidem, ex tenuioribus humoribus ſint, erumpant. Difficiliùs autem erumpere puſtulas latas, Simonis exemplo Hippocrates li. 6. de morbis vulg. ſect. 2. text. 30. oſtendit Huic enim quũ hyeme puſtulæ latæ factæ eſſent, non erumpebant, niſi cùm ad ignem inungeretur, aut calida lauaretur, quòd nimirum calida vnguenta ac balnea cutem denſatũ, craſſosq; humores, tenuiores efficiebant. Quod ẽt apud Hippocratẽ

morbus fuiſſet culicularis, quem nunc, tabardete, & tabardillo, & pintas, vulgò appellamus, non erit difficilè probare, ex ijs quæ nobis ipſe Hippocrates ſcripta reliquit. Namque lib. 1. de morbis vulgar. ſect. 3. in hiſtoria Sileni inqt hæc verba, Octauo frigidus toto corpore ſudor, papulæ cum ſudore rubentes, rotundæ, paruæ, varis ſimiles permanebant, neque abſceſſum efficiebant. Et libr. 2. eiuſdem operis ſect. 3. Fiebant autem, inquit, in febribus æſtiuis, circa ſeptimam, octauam, & nonam diem, aſpretudines in cute miliaceæ, culicum morſibus maximè ſimiles, non valde pruriginoſæ. Hæ perſeuerabant vſque ad iudicationem. Nulli equidem maſculo tales erupiſſe vidi. Mulier autem nulla mortua eſt, cui hæ fiebant: & graui auditu præditæ, & ſoporoſæ erant. Et lib. 5. verſus finē, Eu phranoris filio, inquit, puſtulæ veluti culicū morſus, verum modico tempore. Item Pherecydes lib. 7. eiuſdem operis, octauo habuit has maculas veluti culicum morſus. Fullo quoque, in eodem libro, corpus habuit velut à culicibus compunctum. Herodotus quoque apud Aetium tetrab. 2. ſer. 1. cap. 129. ſic de iſtis maculis ſcripſit, In febrientibus aſsiduè fiunt puſtulæ circa labia & naſum, iuxta febrium ſolutionē. Verum in principijs febriū non ſimpliciorum, ſed à prauis humoribus ortarum circa totum corpus exoriuntur vibices ſimiles culicum mor-

ſibus.

ſibus. Actuarius libr. 1. Meth. medendi cap. 23. ita inquit, Multa variaq; exanthemata, & papulæ exoriuntur. Siquidem veluti ſi ab vrtica aut culicibus eſſent demorſi, in cute quædam eſſloreſcunt, quæ modò permanent, modò reuertuntur, ac craſsitiem, aut copiam, aut expultricis facultatis imbecillitatem commoſtrant. Rarus tamen hic morbus apud veteres fuit, & olim etiam in Hiſpania raro uiſus. Poſt tamen bellũ Granatenſe, ſuperioribus annis (annus erat redempti orbis ſeſquimilleſimus ſexageſimus nonus) vigere populariter per vniuerſam Hiſpaniã vidimus, tanto impetu, ut de repente ſanis alioqui degentibus hominibus morbus obreperet, & adeò erat ſæuus, vt quos inuadebat, ferè omnes necabat cum grauiſsimis ac lethalibus ſymptomatis. Erant autem huiuſmodi. Febris aliquando erat mitis, quæ venenoſitatem præ ſe ferebat, & hæc ardens, ſiuè cauſus: frequentior tamen continens ex totius ſanguinis maſſa putrente, omni mutatione inſigni vſque ad indicationem priuata. Pulſus frequens, paruus, debilis, & præterea diuerſus, præſertim propè macularum apparitionem nonnunquam formicanti ſimilis, interdum varius, aliquando intercidẽs, nimirum dum maculæ prorumpebant, Reſpiratio item frigida, fœtida, interdum difficilis, cordis tremor, & anguſtia: pleriſque maxima inquietudo ob æſtum, & pectoris qua premuntur
 angu-

anguſtiam:noctu verò amplius (quo etiam tempore pulſus eſt vehementior & magis inæqualis) quod ſuſcitati vapores minus diſſlari & diſcuti poſsint, magiſque incluſus maneat calor. Inde fit, vt nuſquam conſiſtere valeant, huc atque illuc agitati, & in lecto ſeſe dimouẽtes impatienter, velamenta abijciunt. Oris item ventriculi dolor, totius corporis grauitas, laſsitudo, impotentia vigilandi, vigilia, delirium, cui ſuccedit aliquando obliuio, & inſolentia: ſitis maxima, faſtidium, excrementorum fœtor horrendus Vrina interdum principio inculpabilis, quæ poſteà nonnunquam turbatur: ſæpè tenuis, & cruda, frequentiùs craſſa, turbida, ac intẽſioris coloris, quæ craſſum, rubrum ac turbulentũ ſedimẽ habeat. Vrina item nigra, cum qua etiã multos liberatos vidi. Item manuum & linguæ tremor, nauſeæ quoq; & vomitus. Sed hæc ſymptomata & alia innumera communia ſunt: huius verò febris nullum aliud proprium eſt, niſi maculæ illæ per corpus diſperſæ, quas putridi humoris ſæuitie fieri conſtat, ob incendiũ quidem eius, ebullitionemq́; & agitationem, quam calor extraneus efficit. Sunt ergo huiuſmodi exanthemata, vt eorum naturã definitione explicemus, maculæ rotundæ in cute florentes à vaporibus ſanguinis putridi ac peſtilentis, vt plurimum genitæ. Neque temerè adiectum eſt, vt plurimum, quoniam abſque febre in pueris

præſertim, has maculas apparuiſſe ſine vllo periculo conſpeximus. Fuit enim facta ſanguinis ebullitio abſq; illius efferueſcentia, ideo febris non fuit oborta. Si autem cum febre erumpant, periculo plenæ ſunt, & maximè ſi ſymptomata fuerint praua. Multis nãq; varijsq́; temporibus prodire ſolent. Aliquando enim vnà cum ipſa febre, quæ magnam humorum copiã præſagiũt, & in hoc tempore ſunt periculoſiores. Aliquando poſt vnam, aut alteram venæ ſectionem prodeunt, quoniam leuata natura, poteſt iam ad cutem partem ſubtiliorẽ ſanguinis expellere. Non minorem tamen nequitiam habent eo tempore, quàm quæcunque aliæ euacuationes exiguę, vt aduertit Galenus prorhet. 6. lib. 2. & lib. 1. de morb. vulg. ſect. 2. cõm. 35. Securiores ſunt in iudicatione ipſa, propterea quod facultatem eſſe robuſtam oſtendunt, & coctione humoris præmiſſa, optimè ſequitur expulſio. Quocunq; autem morbi tẽpore maculæ iſtæ apparent, & videntur vi cauſæ, & ſigni prodire, deterrimę sũt, quia imbecillitatem facultatis ſignificant, grauatã præ multitudine humoris putridi, ac veneno ſi. Nũc autem paſsim diuagatur hic morbus, ſed mitior, minusq́; ſęuus, quàm olim. Fit id partim, quòd medicorum operą domita ſit vis mali, humorumq́; ſæuitia mitigata: partim, quòd natura ſpacio temporis aſſueta malo, velut domeſtico ac familiari, non ità cum illo luctatur,

vt anteà. Primùm enim pullulabant illæ maculę morbi ratione, & humorum malignitate, à quibus natura imbecillis reddita, ferè omnes moriebantur. Nunc verò natura quaſi aſſueta potentior, & vt plurimum illam humorum malorum ſuperfluitatem ad cutem non expellit, niſi cum fortis ac robuſta eſt. Illud ergo in apparitione iſtarum macularum erit maximè conſiderandum, num ſymptomaticè, an verò criticè appareant: nam ſi critica fuerit excretio, & ſimul adſit alia euacuatio notatu digna, vel per ſudorem, per alui deiectionem, aut per quãcunque aliam partem, conferet, & ægri leuiùs ſe habebunt; ſi autem ſymptomatica, haud quaquam, ſed contrà. Et ſi mox deliteſcant, ex certioris mortis indicijs habebis, quòd naturæ vim exolui ijs ſignificetur, atque venenum intrò remeet: quod Galenus prorhet. 1. li. 1. perpẽdens, dixit, Talium autem ſignorum genus deterrimum eſſe cõſtat. Nempe, quæ vel tubercula, vel puſtulæ ex imo ad cutem enata recurrerunt grauiſsima omnium exiſtunt. Sudores quoque, qui cęperunt quidem, ſed protinus ceſſauerunt, praui ſunt: deiectiones item, & quæ per ſanguinis eruptiones, vel in mulieribus per vterũ vacuantur. Omnia ſiquidẽ hæc deteriora ſunt his, quæ nullo apparẽt pacto, ſi, vbi cęperint, ceſſent. Hæc ille. Omnes itaque multitudinis corrupti, & habitum erodentis humoris ſigna ſunt. Quæ verò

in facie oriuntur, omnium malignißimæ ſunt. Deteriores autem ſunt plures quàm pauciores, & maiores quàm minores, & quæ citò delētur, quàm quæ multo tempore durant. Deteriores item feruentes, quàm quæ pruritus inducunt. Itē minus malæ ſunt pallidæ, flaue, rubre: damnantur virides, cæruleæ, liuidæ, nigræq́;. Quod ſi Galenus in ea peſte, cuius adeò ſæpè meminit, & teſtimonio Thucididis cōfirmat, ſcribit, exanthemata nigra omnibus conualituris appa ruiſſe, veluti apho. 21. lib. 4. & cap. 12. lib. 5. de morb. medendis. Primùm dico Galenum, eo loci de morbis medendis, non loqui de maculis rubentibus, ſed de variolis, vt ibidem annotauimus, quoniam efficiebāt abſceſſum: quod de maculis pulicaribus nullo pacto intelligendum eſt. Deinde dico, quod ſuprà quoque aduertimus, non eſſe abſurdum cum ſignis malis, forti exiſtente virtute, ægrotos liberari, vt nos ſæpè & in hoc etiā morbo vidimus. Cæterùm ſigna antecedētia omnia exanthematum genera hæc ſunt. Quando febris acuta latenſque pueros (quos vt plurimùm infeſtat) iuuenesve inuadere cœperit, & vehemens dorſi ac corporis dolor ac grauitas ingruit, difficultasq́; ſpiritus, narium & aurium pruritus, terrōres per ſomnum, oculorū rubedo, punctiones vniuerſi corporis, & pandiculationes impetunt, tunc variolas aut morbillos breuißimè ſuperuenire certū eſt.

eſt. Quando verò febris acuta continens præ-ſertim, difficultasq́; ſpirandi, & acceſsio conſue tam horam anticipans, multus æſtus, membro-rum torpor, pulſus frequens, vrina craſſa & ru-bra anteceſſerint, criſim futurã per maculas ru-bentes ſperato.

De differentia bonæ, & malæ criſis. *Cap. VI.*

OPTIMA criſis, quæ ſolùm ſimpliciter, & abſoluto ſermone criſis dicitur, vt dicit Ga lenus cap. 10. lib. 3. eiuſdem nominis, non con-iectura artificioſa, quemadmodum reliqua, ſed certa, firmaq́ue cognitione aſſequitur. In hu-iuſmodi enim morbis ſtatim ab initio omnia ſigna periculo uacant, ac ſecuritatem pollicen-tur. Quod Hippocrates prognoſtic. 8. lib. 3. di-xit in hunc modum, Siquis minima temporis parte iudicandus eſt, præſentiri propenſius po-teſt: maximè enim ab initio diſsidet. Qui enim cõualiturus eſt, faciliùs ſpirat, ſine dolore agit, noctu dormit, & alia ſigna ſecuriſsima habet. Itẽ in bonis criſibus natura valida admodũ & robuſta eſt, ac materiæ obnoxiæ dominatur, p-priaq́; ratione agit, atq; ſuo modulo operatur neq; vllo caſu interturbatur. Proinde vt tũ de-finiti ac ordinati ſint eius motus, ita prænotio-nes etiam de ijs motibus certæ ſint oportet.

Contra

Contra malarũ criſium prænotiones minus certæ ac ſtabiles ſunt. Siquidem in ijs natura imbecilla, & à noxia materia vincitur, adeoq́; motus eius ſunt incerti, & inordinati, atque incogniti. Quapropter prudente artifice & exercitato Medico malæ criſes indigent, qui ſciat primum nunquid futuræ ſint: ſecundo quo die, & tertiò, vtrũ confeſtim ægrotantem interficiãt, an duntaxat noceant. Quemadmodum bona criſis indicatur, ſic & mala, vt apparuit in Philiſco lib. 1. de morb. vulg. ſect. 3. qui cum quarta die vrinam nigram reddidiſſet, die ſexta ad meridiem eſt defunctus. Silenus quoque vndecimo die obijt, quia quarto & ſeptimo mala ſigna præceſſere. Vxor quoq; Philini vigeſimo obijt, & decimo quarto, & decimo ſeptimo, mors eius fuit indicata, & ſic de alijs pluribus poteramus dicere. Cæterùm ſine criſi mors tribus modis contingere poteſt, authore Galeno c. 9. lib. 3. eiuſdẽ nominis primus: in principijs acceſsionum: alter tempore ſtatus, à morbi vi natura ſuperata: alius in declinationibus, qui rariſsimè accidit, vigore ſoluto vitali. Malam artẽ criſim Galenus appellat, vbi natura tentauerit, ſed ſuccubuerit. Eſt autem primum & maximum in morbis mortalibus ſignum, quòd ſine criſi mors ſit ſubſecutura, virium imbecillitas: nam virtus iam proſtrata, ad pugnam contra morbum non excitatur. Secundum verò,

rò, ſi nullum adſit ſignum, vel minimum, coctionis: & præter hæc, ſi magnus ſit morbus, atque malignus, atque etiam celeriter moueatur. Cùm enim hęc affuerint, omnino abſque criſi mors ſubſequetur. Quamobrem cum in bonis criſibus multum ſciẽtiæ ac certitudinis ſit, contrà in malis plurimum coniecturæ, & incertitudinis, prius exercitari in optimarum criſium prænotione Medicũ oportet, deinde in eorum, quæ etſi non ſunt optima, bona tamen exiſtunt, atque tandem ad malorum prænotionem progrediendum erit. Cæterùm optimæ criſes in vigore morbi, in augmento autem, ſi ſalus ſubſecutura, aut imperfectæ vel non ſecuræ, fiunt. Neque temerè dictum eſt, ſi ſalus ſit ſubſecutura: in exitialibus enim morbis magna ex parte ægri augmento, vel in principio moriuntur. Si igitur dies aliqua index futuram eſſe criſim pręoſtendit, ſimul etiam malam fore oſtendet. Fac enim quarta die viſam eſſe primùm in vrina nebulam nigram, aut ſublimamẽtum nigrum, aut aliquid aliud huiuſmodi: ſint verò & alia omnia ſigna ac ſymptomata pernicioſa, vt in Philiſco apparuere, morietur quidẽ omnino ægrotus ille, eò quòd ſingula iam commemorata perniciẽ portendant. Verùm ſi in imparibus diebus acceſsiones fiant, ſeptimo malum iudiciũ die futurum eſſe: ſi vero in paribus, ſexto. Certiorem verò expectationem faciet tibi morbi motus. Si enim

cele-

celeriter moueatur, iudicium accelerans fore conteſtabitur, hoc eſt, ſexto die futurum eſſe iudicium ſignificabit: ſin tardè moueatur, ad ſeptimum differetur iudicium. Quum verò index dies nullum mali iudicij futuri ſignum dederit, eius quoque prænotio difficilis erit. Ea igitur criſis mala potisſimum iudicabitur, in qua aduerſus morbum natura quidem inſurgit, ſed tamen victa in duello ſuperatur. Quæ eſt cauſa, cur non expectata concoctione ante tempus ad dimicandum cum morbo natura incitatur? Magnitudo & velox morbi motus & violẽtia ad certamen naturam prouocans, & tanquam calcaria & ſtimulos præbens, vt prodire in congreſſum velit. Nam ſimile quid circa ventrem & inteſtina contingit, cum in eorum cauitatibus vellicãs aliquis & acris ſuccus continetur, non ſuſtinent nanque: ſed mox protrudere à ſe quicquid tunicis adhæſit nituntur. Non laceſſita autem ſtatum, hoc eſt, concoctiones ſemper natura expectat, cuius rei illud maximum argumentum eſt, quòd eo tempore ipſa ſua ſponte ad iudicium progreditur, & pugnam appetit, quamuis nullis irritantibus vrgeatur. Quæ eſt diſtinguendi ratio, eos qui in mortem ſoluti leuiores tamen apparent, ab ijs qui re vera diſcuſſa duntaxat febrili caliditate melius ſe habent? Non alia ſanè quã ex pulſu melior. Hic nanque in his validus & vehementisſimus eſt, & bene ordinatus & æqualis,

lis,

ſis, vt qui talis à virium robore proueniat: contrà autem obſcurus ſufficienter, & inæqualis, & nullum ordinis decorem & cultum habens, quibus in febribus interitus adeſt. Denique qui moriturus eſt, ſpirat difficulter, conflictatur, vigilat, & alia ſigna deterrima habet, ut Hippocrates prognoſt. 8. lib. 3. docet.

Quomodo prænoſcere oportet, an iudicabitur morbus, aut non, & quando. Capút VII.

MAGNI morbi, qui & citò & vehemẽter mouentur, omnino iudicantur. Parui verò & obſcuriores, & qui debiliter mouentur, ſi diuturni ſunt, ſoluuntur paulatim citra iudicationem. Raro verò & ad abſceſſum tales procedunt. Cæterùm ſi qua febris prorogatur, ſaluè affecto homine, neque dolore detinente aut ob inflãmationem, aut ob aliquam cauſam euidentem: expectari oportet abſceſſum cum ædemate ac dolore, qui in aliquem articulum, maximèq́; inferiorem decumbat, vt inquit Hippoc. progno. 23. lib. 3. Et Galenus in com. docet, triplicẽ cauſam prorogationis febrium, aut propter aliquam partem affectã curatu difficilem, aut propter humores crudos & craſſos inconcoctosq́; aut propter aliquod commiſſum: ſi nec affecta fuerit pars, aut nulla alia cauſa, aut ægri cõmittentis, aut curantium eum, aut propter exterio

rem

rem cauſam, uerbi gratia tempus, terram, conditionem, domicilium prauum, conflictationẽ, ſolicitudinem, angorem: reſtat, vt humoribus crudis ac concoctu difficilioribus prorogetur. Tertiana autem febris etiamſi intermittat, tamen quia cito, & vehementer mouetur, iudicatur. Quartana verò, quia diuturna eſt, paulatim ferè ſoluitur: item omnes, qui pigriùs mouentur. Naturam itaque morbi inſpicere oportet, an bilioſus ſit, aut pituitoſus, aut atræbilarius. Deinde anni tempus, & ægroti ætatem, & temperamentum, ac ſtudium, & prægreſſam victus rationem. Imò & regionem, & ſtatum ambientis nos aeris. Poſteà verò conſiderare exacerbationum circuitus, & an intermittant, ſiue non, velut in continuis ac continentibus videre datur. Si enim feſtinauerint, & ſemper anticipauerint conuenientem horam & vehementiores facti fuerint, & per tertiam occurrerint, breui iudicationem futuram indicant. Si verò pigrè moueantur, & eadem hora irruerint, & quotidie contigerint, tardam fore iudicationem ſignificant. Quod Hippocrates reſpiciens aphor. 30. lib. 4. dixit, Quibuſcunque acceſsiones fiunt: quacunque hora febris dimiſerit, ſi eadem cras occupauerit, iudicium difficile ſequitur. Supponatur quiſpiã, inquit Galenus, prima die cępiſſe febricitare hora tertia, & ceſſauiſſe quauis alia hora: deinde die ſecundo eadem hora ter-

tia cœpiſſe: rurſus, ceſſaſſe febris quacunq; hora, & tertio rurſus die hora tertia cępiſſe, mox rurſus quouis tēpore finita febris: cœpiſſe iterum quarto die eadem hora tertia, & ità deinceps ſeruari quidem ſemper horam tertiam, in qua acceſsio ſuum facit initium, non ſeruari autem alias, in quibus finitur. Hunc qui tali laboret morbo, neceſſe eſt tempus longum ægrotare: cùm horam ſui principij acceſsio habeat inconcuſſam. Hoc quidem nos ab experientia cōprobatū eſſe dictum arbitramur: eius verò cauſam talem eſſe opinandum eſt, quando cauſa acceſsionum non fuerit fixa ac ſtabilita, non ſeruare eundem terminum ac circuitum: vbi verò firmata fuerit, ſeruare: atque ideò difficulter ſolubile, quod fixum ac ſtabilitum: facilè verò ſolubile, quicquid non tale. Firmata enim magnam vim demolientem expoſcūt, quæ longo tempore, & per fortiora ac plura auxilia fit. Quod ſi Galenus cap. 14. lib. 2. de cauſ. pulſ. dixit, Inſuper ordo, vt æqualitas naturæ, ſi quid aliud, familiarius eſt. Dicendum eſt, hic Galenum loqui de diſpoſitionibus naturalibus, in quibus optimum eſt, ordinem ſeruare: ſecùs in diſpoſitionibus præter naturam, vt in febrium acceſſionibus. Conſiderandæ inſuper ſunt & ſuperfluitatum concoctiones, an bonæ ſint, & an in diebus indicatiuis fiāt, viribus robuſtis. Si enim morbus ſtatim ab initio oſtēderit omnia ſigna

extra

extra periculum, in primo quaternario indicationem promittit. Si verò in quarta præſignificauerit, ſeptimam non tranſgreditur. Leuiſsimæ enim febres, & in ſignis ſecurisſimis fientes, quarta die quieſcunt, aut citius, inquit Hippocrates. Maligniores verò & in ſignis grauiſſimis fientes, quarta die occidunt, aut etiam citius.

Quod ſemper in acceſſionibus criſes fiant. *Cap. VIII.*

FIVNT criſes in acceſsionibus, tum quod in ijs humores vehementer moueantur, & veluti ebullientes erumpant ſanguinis profluuio, vel ſudoribus, vel vomitu, vel deiectionibus, vel hæmorrhoidibus, vel mēſtruo mulieribus: tum propterea, quòd id temporis ad excernenda illa impellatur natura: ſimul quòd grauata, & afflicta ad excernendum irritetur: ſimul quòd illis magis fuſis & diſcretio noxiorum humorum promptior, & iudicium fiat procliuius. Vnum enim ex illis, quæ naturam ſtimulant, & veluti prouocant, acceſsio eſt, nullā quietem nec moram concedens, verùm incitās, mouensque, &, veluti dixeris, pugnam indicens. Hinc dixit Hippocrates lib. 1. de morbis vulga. ſect. 3. text. 13. Quæ diebus paribus accedunt, paribus iudicantur: quorum verò ſunt in imparibus acceſsiones,

nes, imparibus iudicantur. Cæterùm huiuſmodi acceſsiones in ſtatu vniuerſali morbi fieri debent, in quo criſes optimæ fiunt. Contingit autem nonnunquam duas acceſsiones, vbi maximè factæ fuerint inuicem æquales, ſtatus, tempus circunſcribere: nonnunquam verò vnam omnibus alijs præcedentibus, reliquisque ſequentibus eſſe maiorem. Ad tres autem extendi acceſsiones ſtatus tempus, in morbis acutis non admodum accidit: in diuturnis verò non modò ad totidem, ſed longè plures, vt inquit Galenus capit. 10. libr. 1. de criſ. Quare non ſolùm in vna acceſsione, ſed in pluribus ſtatus tẽpus conſiſtit. In quo ſanè tempore totum naturæ permittendum erit, nec quicquam à Medico agendum, niſi, vt victum conuenientem inſtituat. Vnde Hippocrates aphor. 20. lib. 1. dixit, quæ iudicantur, & iudicata ſunt integrè non mouere, neque nouare, vel medicamentis, vel alijs irritamentis, ſed ſinere oportet. Non mouendi itaque humores ſunt, quos nunc natura magno conatu expellere ſtudet, ne ſcilicet, naturæ actionem turbemus, atque adeò per viã minus conuenientem humores noxios vacuemus. Neque etiam poſtquam natura integrè iudicauit morbum, eius actionem, vel medicamentis purgantibus, vel alijs irritamentis, hoc eſt præſidijs, quibus noxium humorem educimus, vt eſt venæ ſectio, vomitio, clyſteris, vri-

nam,

nam, & ſudorem elicientia, nouare conuenit. Nam quorſum attinet poſt integras,&perfectas naturæ euacuationes, alias inſtituere? Neque enim vlla ratione committendum, vt corpus iam propter eam, quæ præceſſit, vacuationem abundè imbecillum, Medicus per ſequentem aliamve reddat imbecillius. Quocirca cùm omnia à natura ipſa rectè fiunt, aut facta ſunt, nihil Medico agendum erit, ſed vniuerſa illi permittenda. Vbi igitur imperfecta iudicatio fuerit, hoc eſt, Galeno cap. ſecundo lib. primo. de diebus decret. teſte, vbi à morbo quippiam relictũ fuerit, ab ipſo Medico ſubinde vacuandum erit. Omnis enim ars, & diſciplina implere vult id, quod deeſt naturæ, vt Ariſtotel. cap. 17. libr. 7. Pol. & in principio queſt. Mechan. inquit. Quando verò non integrè iudicatur morbus, natura deficit: nam ſi potens eſſet, quis dubitat iudiciũ perfectisſimum poſſe præſtare? Et cùm ars naturam imitetur, teſtante eodem Ariſtotele cap. 8. lib. 2. Phyſic. & cap. 3. libr. 4. Meteo. & libr. de mundo ad Alexandrum, ſi aliquando contigerit, quòd natura humorem noxium per conuenientem locum non integrè euacuet, hanc Medicus imitabitur, cuius ipſe miniſter eſt, & per loca conferentia humorem noxium educet, velut Hippocrates inſinuauit aphor. 21. libro primo. dicens, Quæ ducere oportet per loca conferentia, eò ducere. Loca autem conferen-

tia Galenus docuit cap.94. lib.artis med.& nos ſatis ſuperque in com. noſtris in libros Galeni de morbis medendis, expoſuimus. Neque illud hoc in loco erat prætereundum, quod Galenus ſcripſit capit.8. libr. tertio. de diebus decretorijs, criſes ſcilicet, vt plurimum in acceſſionibus contingere, quibus verbis innuere videtur, quòd non ſemper in acceſſionibus fiant iudicia. Sed quia iſte locus cap. 7. libr. 6. huius operis explicandus eſt, ideò hic eum omiſſum facimus.

Per quas vias vnuſquiſque morbus, qui per excretionem ſinitur, iudicandus eſt. *Cap.* IX.

SI Medicus rectè cognouerit, per quem locum natura in ſingulis morbis ſuas excretiones moliatur, haud dubie illis attentus, perpendet viam, vt ſuas quoque euacuationes ritè operetur. Nam ſi natura aquam inter cutem per vrinas, vel alui deiectiones, perſanat: Medicus ab ipſa edoctus in curanda aqua inter cutem, id præcipuè intendet, vt per vrinas, vel alui excretionem materiam morbificam expellat. Et hoc ſanè eſt quod Hippocrates ipſe apho. 21. libr. primo. hortabatur, dicens, quæ ducere oportet, per loca conferentia, eò ducere. Quibus verbis Medicum monet Hippocrates initio, vt diligenter naturam ipſam in expellendis

lendis humoribus noxijs imitetur, vt quæ ferè ſemper per commoda & idonea loca, eoſdem vacuet. Debet igitur & ipſe quæcunque ſunt in corpore noxia, non niſi per conferentia loca educere. Non autem temerè adiectum eſt, per conferentia loca: His enim verbis Hippocrates vult, vt Medicus naturam in ijs, quæ rectè ab ipſa fiunt, imitetur. Tertiana ergo febris, vt plurimum, per ſudores, vel vomitum, vel bilioſam deiectionem terminatur. Quotidiana per vomitum, vrinam, deiectionem, & ſudores abit. Synochæ febres per nares emiſſo ſanguine finiri conſueuerunt. Phrenitim diſcutere ſolet ſudor copioſus, vel ſanguinis profluuium è naribus. Lethargus, & peripneumonia rariſſimè profluuio ſanguinis ſoluuntur. Ardentes febres terminat vel ſanguis emanans è naribus, aut ſudor multus, vel vomitus, aut bilioſa deiectio. Pleuritis rariùs, quàm ardens febris, ſæpius verò quàm lethargus ſanguinis excretione per nares diſcutitur. Inflammationes hepatis, & lienis ſanguinis quoque per eundem locum eruptio tollit. Iuuat tamen omnes, quæ circa præcordia conſiſtunt inflammationes ſudor bonus. At ſudores febribus præſertim ardentibus proprij ſunt; ſemi tertianas illi abigunt, pituitoſæ, bilioſęque deiectiones, & vomitus: quartanas verò cum ſudoribus, atræ variæque deiectiones. Lethargi in parotidas ferè

terminantur. Præbet & ſuas notas morbi materia. Etenim bilis flaua, vt pote calida & leuis ſuperiores extimasque partes vt plurimum petit, per ſudoremque digeritur. Atra per aluum ferè educitur. Sanguis tenuis & calidus per nares viam quærit, craſſus verò & feruēs ad venas partium inferiorum potius delabitur. Pituita nunquam per ſudorem, ſępius per vomitum, aut per aluum excernitur: aliquando verò in inferiorũ partium articulos decumbit, vt in quotidiana, quartanaq; febre, & hydrope euenire videmus. Ex loco præterea, ſubiectoq; corpore licet idem prædicere. Nam gibbæ hepatis affectus per ſanguinis fluxũ è nare dextra, per ſudores, & vrinas præſertim cũ calidi fuerint, expurgari cōſueuerunt. Alij verò morbi frigidiores & humidiores illic conſiſtentes per vrinam potius abeunt, aut vomitum. Simæ uerò illius partis morbi per uentrem exitum petunt. Coſtalis morbus per ſputum, ut plurimum ſoluitur. Cerebri affectus calidi, & humidi per nares, frigidi uerò & humidi ad aures potiùs abſcedunt, vel in reſolutionem alicuius membri terminantur. Præterea quæ dextras partes corporis infeſtant, cum dextris magis conſentiunt, quàm cum ſiniſtris, & per illas ſe ſe exonerant. Veluti hepar per narem dextram potius, quàm per ſiniſtram lædentem humorem emittere ſolet: contrarium uerò facit lien, utpote qui in ſiniſtra parte ſit colloca-

locatus. Eodem modo cum dextram uteri partem urget inflãmatio, ſi ſanguinis profluuium è naribus ſperetur, illud per dextram narem expectandum eſt, ſi modo naturæ vincentis bene ficio uacuatio contingat. Eſt prætereà conſulenda ægri natura, & corporis conditio, quæ non contemnendas notas præbebunt. Nam his, qui podagra infeſtari conſueuerunt, ad articulos decumbere ſolent humores, qui alios morbos, & potisſimum febres pariunt: nimirum cum ità comparatum ſit, vt ad partes debiliores, rariores, inferiores, calidiores, & concauas, excrementa ferantur. Quæ quidem ſigna à cauſis, ſine quibus non, & cum quibus uacuationes contingunt, ducuntur. At ualida natura aptiſsimum quemq; locum etiam diſtantisſimũ eligit. Quæ uerò infirma eſt, propinquum quẽque capere cogitur. Vnde ex cauſis efficiẽtibus euacuationem notas capere licebit, ad locum deſignandum, per quem expectatur euacuatio futura. Ad quod quidem genus pertinere illæ uidentur, quæ ex ægri proprietate ſumuntur. Sunt enim, qui per aluum, vel ſudorem, uel aliũ peculiarem locum ſe à morbis eiſdem liberare ſolent, conferente ad id certa quadam, & occulta proprietate, quæ in alijs eodem modo affectis non reperitur. Adhæc cauſæ iuuantes, lædentesque non leniter conferunt. Quippe quæ iuuant, eò quòd ſudorem moueant, per exter-

nas

nas partes ſolutionem morbi fore portendunt. Quæ verò ſudorem arcent, admonent expectandum eſſe, vt natura per alias uias ſeſe à morboſis humoribus exoneret. Dant & ſua ſigna effectus morbi. Etenim actio læſa peculiariter alicuius membri oſtendit aliquando quo morbus reijcietur: quod docet uehemens continuusque in febribus ſynochis capitis dolor, qui ſanguinis profluuium per nares prenunciat. Atque eò quidem ſpectat quod ab Hippocrate ſcribitur aphor. 32. libr. 4. abſceſſus ſcilicet, in illis partibus expectandos, quæ per morbum plurimum laborarunt, tanquam triſtis actio præſagiat, in quem locum abituræ ſint morborũ cauſæ, & unà cum illis ipſi morbi. Adhæc excrementa inter affectus morborum idem hoc modo præmonſtrant. Si enim alicuius partis recrementa ſuppreſſa fuerint, aut parcius emittantur, docent fore, vt per alias excretio fiat. Sicut urina ſuppreſſa, inſtante criſi ſudorem, uel copioſam deiectionem, aut uomitum nunciat. Ac illud quoque eſt, quod in eodem libro apho. vltimo ſcribit Hippocrates, parciùs eos mingere quibus ſoluta eſt aluus, & contrà minores fieri deiectiones quando copioſior vrina redditur. Nec ſolũ quidem ex copia excrementorum aliarum partium, ſed etiam ex eorũdem qualitate, & loco, quẽ natura per morbi curſum tentauit, idem præſagiemus. Nã hoc modo cùm tenues,

aquo-

aquoſæque vrinæ in febribus apparent, abſceſſum circa faciem expectamus: cùm verò craſſæ mingũtur, in articulis, inquit Hippocrates, decumbent humores. Nec illud quidem à ratione alienum eſt exiſtimare per aluum, aut os, aut ſudorem vacuationem futuram, quæ morbũ tollat, ſi anteà per eas partes in acceſsionibus natura ſeſe exonerauit. Poſſunt & ex qualitatibus corporis notæ quædam ſumi: quòd cum omnibus conſtare putem, ſuperfluũ eſt hoc loco addere. Patent quoque ſigna, quæ ex ſimilitudine aliorum ſumuntur: quippe cùm ſæpius ſudorẽ, aut vomitum expectandum eſſe in tertianis, aut alijs febribus prænunciemus, eò ꝙ omnes, qui in illis temporibus huiuſmodi morbis laborarunt, emiſsis per eas partes humoribus, aut liberati, aut extincti fuerint. Atq; hæc quidẽ prædicta indicia multò anteà, quàm hæc fiant Medicum præmonent. Reliqua, quę hic deficiunt, de aliorum morborum excretione ac iudicio, Medicus doctus vſu ac experientia, ex ijs, quæ hactenus ſcripſimus, ex Gale. lib. 3. de criſibus c. 3. & 11. cognoſcere, & præſagire optimè poterit.

Quòd Medicus tenetur non ſolùm, quæ in morbis euentura ſunt, prædicere, ſed etiam futuræ ægritudinis ſigna exactè perpendere. Cap. X.

NON minus indagãda eſt ea medicinæ pars, quę inſtantem morbum declinat, prophy-

laticè Græcè dicitur, Latinè pſeruatoria, quàm illa, quæ in morbis euentura præſagit. Vtraque enim ad prædicendum attinet: & vtraq; ſignis vtitur. Quapropter Medicus nõ ſolùm tenetur quę in morbis ſunt ſucceſſura, pſagire, ſed etiã morbum ipſum euenturum prænunciare, cauſasq; ſignorum ſubtiliter inueſtigare, quantùm, ſcilicet vires humanæ inquirere valent, ad eorum ſanationem feſtinandum. Neq; enim facilè cauſæ cognoſci huiuſmodi poſſunt, vt hominem morbos non infeſtare præcaueamus, quẽadmodum videlicet & canis virus rabientis, cuius ſignum in corpore non continetur vllum antequam propè ad rabiem, qui cõmorſus eſt, venerit. Proinde & huiuſmodi gratia cauſarum laborantes ipſos, de ſingulis, quæ ipſis contigere, interroget, neceſſe eſt Medicus. Hæc itaque Galenus reſpiciens de ratione præſeruandi, & prædicẽdi futuros morbos in diuerſis locis multa tradidit, veluti lib. artis med. cap. 82. lib. de conſtitut. artis cap. 19. lib. ad Traſ. cap. 30. lib. 6. de ſanit. tuenda. cap. 11. Et in methodo medendi frequentiùs. Docet igitur futuræ ægritudinis ſigna duplicia eſſe, alia quidem toto genere præter naturam: alia vero ſecundum naturã, ſed quæ quantitate, qualitate, & tempore immutantur, cuiuſmodi eſt cibi, & potus appetentia ſolito maior, vel minor, & quæ ſuo tempore non fit, ſed citiùs, aut tardiùs, aut inſoliti cibi, aut

eius

eius excrementorum, vel plurium, vel paucio-rum, vel liquidiorum, vel duriorũ excretio. Simili modo humidiorum recrementorum defe-ctus, ac exuperantia pręter naturam, aut eorum colores, aut ſubſtantię, aut temporis excretioni à natura deſtinati mutatio. Vigiliæ quoque, ac ſomni prolixiores, aut ſuo tempore non aduenię̄tes. Similiter potus liberalioris, aut parcioris calidi, aut frigidi inſolita cupiditas. Quemadmodum veneris immodicus vſus, aut intempeſtiuum deſiderium. Sudores plures, aut pauciores, quàm naturæ conueniat. Ad motũ tarditas, aut hunc molientibus grauitas. Aut vehemens exolutio. Aut menſium ſuppreſsio, aut profuſio miaor, aut minor. Quemadmodũ ſanguinis ex venis, quæ hęmorrhoides dicuntur, fluxio. Sed & ſi tanta in cibo & potu, quanta priùs fuit, voluptas non ſentiatur, futuræ ægritudinis eſt nota. Similiter autem & mentis hebetudo præter naturam, aut obliuio quædã inſolita, aut pluribus ſomni, quàm antè viſis pleni. Quinetiam auditus, guſtus, & viſus hebetiores ac obſcuriores. Atque vt ſemel dicam, quæcunque ſecundum naturam inerant, vel aucta, vel imminuta, vel tempore, vel quantitate, vel qualitate immutata. Atque adeò corporis moles maior & minor, rubicundior, aut albior, ſimiliter liuidior, & nigrior. Ructusq; & ſternutamenta, & flatus plures, aut pauciores, quàm

ex

ex conſuetudine. Eodem modo narium, palati, vel aurium (quibus cerebrum expurgatur) recrementa quantitate, qualitate, aut tẽpore immutata. Hæc quidem ex eorum genere cenſentur, quæ ſecundum naturam ſunt. Morſus autẽ ventris, vel ſtomachi, vel alicuius inteſtinorũ, aut dolor, qui vel ventre exonerãdo, vel vomẽdo, vel vrina reddenda, vel alius quiſpiam mediocris ſentitur, ex eorum, quæ præter naturã ſunt genere eſſe cenſentur. Nondum tamen ita affecti ægrotare dicuntur, quemadmodum nec quibus caput aut granatur, aut dolet, cum nondum hæc ſolita impediant opera: atqui hic eſt ægrotandi terminus in eiuſmodi affectionibus. Quocirca eandem affectionem cum alijs comparatam, iam morboſam & neutram etiam dicimus. Nam pro virtutis robore, vel facile ferentis, vel iam victæ, harum quæque aut morbus eſt, aut neutra affectio. Eodem modo & quæ in ſenſibus fiunt, non quæ maioris, & minoris ratione inter ſe differũt, ſed quæ ex genere prę-ter naturam ſunt, morboſa ſigna exiſtunt, tantiſper dum exigua ſunt, & nondum à ſolitis operibus hominem abducere poſſunt. Eiuſmodi autem ſunt, cum guſtui, vel ſalſum, vel amarũ, vel aliquem alium ſaporem omnia, quæ eduntur, & bibuntur repræſentant: aut etiam ſi nihil aſſumatur, talis ſaliua apparet. In odoratu verò cũ ſine rei odore præſentia qualitatem aliquã ſentimus:

timus: aut cùm plura diuerſa, quàm naribus obiecta, eundem omnia, ac ſi eſſent ſimilia, odorem repræſentant: ſæpè vero nihil omninò odoramur: aut cum fœtorẽ aliquem, etiam ſi nihil adſit, quod grauiter oleat, ſentimus. In auditu autem ſonitus, & ſtrepitus pręter naturam ſunt. Similiter & quæ oculis nigra, obſcura, cęa, ruſa, & flaua apparent. Atque horum alia rotunda eſſe, alia oblonga, quædam gracilia, quædã craſſą: omnia autem volitare videntur. In tactu autem, tum inæqualitas quædam, vel denſitąs, vel grauitas, vel tenſio, vel ſtupor, vel vlceroſa affectio in toto corporis habitu ſentitur. Pari modo in vna quaque corporis parte vel tenſio, vel contuſio, vel morſus, vel grauitas, ſi nec magnę nec ſtabiles ſint, neutrum eſſe affectum ſignificant, morbum verò prænunciant. Quinetiam vnus morbus alterum præſagit, & minatur, veluti de multis refert Raſius lib. 4. ad Manſorem regem cap. 8. quem tranſtulit Auicenna lib. 1. par. 3. ſect. 5. cap. 1. quales ita referũtur. Cùm capitis dolor vehemẽs fuerit, aut hemicrania diuturna, verendũ eſt, ne ad oculos humor deſcendat, & dilatetur pupilla. Palpitatio faciei diu pmanens, ſi multa fuerit, & fortis, oris torturam adeò portendit vicinam, vt ſtatim inuadere debeat. Totius corporis palpitatio multa, & diu permanens conuulſionem prænunciat. Stupor paralyſim portendit. Faciei & oculorum rubedo,

do, atque venarum in ipſis manifeſtatio, & lachrymarum deſcenſus, & claritatem luminis patiendi impotentia: omnia hæc ſi cum forti capitis dolore affuerint phrenitidis prognoſtica erunt. Incubus, & vertigo, ſi diu perſeuerauerint, forteſq; extiterint, apoplexiã portendẽt. Triſtitia abſque manifeſta cauſa diu permanẽs, & cordis malignitas, atque deſperatio melancholiam ſignificant. Cum aliquis ante oculos quaſi muſcas volare, vel quaſi pilos ſtare aſpexerit, vel in circuitu eorum, quæ aſpicit quaſi fumum, vel vaporem viderit, principium deſcenſus aquæ, id eſt, ſuffuſionis innuitur. Raucedines, & grauedines ſi frequenter euenerint, ne phthiſis, uel aſthma, uel pulmonis proueniant paſsiones, timendum erit. Sudor multus, & diu perſeuerans, corporis ſignificat repletionem. Si autem ſudor malè fuerit olens, quòd febris ſit iam uicina ſignificat. Cordis tremor fortis, & frequens, mortem portendit ſubitaneã. Repletio ſuperflua timorem hæmoptoicæ paſsionis futuræ, atque apoplexiæ, & mortis ſubitaneæ affert. Si ſenſuum turbatio ac motuum debilitatio, cum repletione affuerint, ne ſuperueniat apoplexia, timendum erit. Grauitas ſi in dextero fuerit latere apud coſtas poſteriores punctura, atque tenſio, hepatis ſignificat læſionem. Egeſtio plus ſolito tincta icteritiam ſignificat. Facies etiam ac palpebræ, & extremitates

ſi

ſi inflatæ fuerint, præſagient hydropem. Fœtor, qui eſt in vrina, putrefactionẽ ſignificat, & q̃d febres euenire debent. Laſsitudo, & diſſolutio cum deperditione appetentiæ, febrem ſignificant. Appetentiæ autem deſtructio, & nauſea innuunt col icam. Grauitas, & tenſio in inferioribus ventris, & iliorum, cũ vrinæ à diſpoſitione ſolita permuatione, nocumentum in renibus inceptum demonſtrat. Ardor vrinæ diu perſeuerans, veſicã & virgã puſtulis hæreditabit. Mollis egeſtio ani, aduſtionem, ac puncturã faciẽs, dyſenteriam demõſtrat futuram. Pruritus ani, futuras ſignificat hæmorrhoidas, ſi non cauſa, & vermium paruorum multorum, ibi exiſtẽtiũ cõtingat. Hæc Raſius, & Auicenna, & alia quoque. Celſus lib. 2. cap. 7. Ante febres, inquit, ſi caput graue eſt, aut ex ſomno oculi caligãt, aut frequentia ſternutamenta ſunt, circa caput aliquis pituitæ impetus timeri poteſt. Si ſanguis, aut calor abundat, proximum eſt, vt aliqua parte profluuium ſanguinis fiat. Si ſine cauſa quis emacreſcit, ne in malum habitum corpus eius recidat, metus eſt. Si præcordia dolent, aut inflammatio grauis eſt, aut non toto die concocta fertur vrina, cruditatem eſſe manifeſtũ eſt. Quibus diu color, ſine morbo regio malus eſt, hi vel capitis doloribus conflictãtur, vel terrã edunt. Qui diu habent faciem pallidam & tumidam, aut capite, aut viſceribus, aut aluo laborant. Si

in cõtinua febre puero venter nihil reddit, mutaturq́; ei color, neq; ſomnus accedit, ploratq́; is aſsiduè, metuẽda neruorum diſtenſio eſt. Frequens autem deſtillatio in corpore tenui, longoq́ue, tabem timendam eſſe teſtatur. Vbi pluribus diebus non deſcendit aluus, docet aut ſubitam deiectionem, aut febriculam inſtare. Vbi pedes turgent, longæ deiectiones ſunt. Vbi dolor in imo ventre, & coxis eſt, aqua inter cutem inſtat. Sed hoc morbi genus ab ilibus oriri ſolet. Idem propoſitum periculum eſt his, quibus voluntas deſidendi eſt, venter nihil reddit, niſi & ægrè & durum: tumor in pedibus eſt, idemq́; modò dextra, modò ſiniſtra parte ventris inuicem oritur, atque finitur, ſed à iocinore id malum proficiſci videtur. Quibus in pueritia ſanguis ex naribus fluxit, dein fluere deſijt, hi vel capitis doloribus conflictentur neceſſe eſt, vel in articulis aliquas exulcerationes graues habeant, vel aliquo morbo etiam debilitentur. Quibus fœminis menſtrua non proueniũt, neceſſe eſt capitis acerbiſsimi dolores ſint, vel q̃libet alia pars morbo infeſtetur. Eademq́; his pericula ſunt, quibus articulorum vitia, dolores, tumoresq́; ſine podagra, ſimilibusq́; morbis oriuntur & deſinunt. Vtique ſi ſæpè tempora ijſdem dolent, noctuq́ue corpora inſudant, frons prurit, lippitudinis metus eſt. Si mulier à partu vehementes dolores habet, neque alia

præterea

prætereà ſigna mala ſunt circa vigeſimum diē, aut ſanguis per nares erumpet, aut in inferioribus aliquid abſcedet. Quicunque etiam dolorem ingentem circa tempora & frontem habebit, is alterutra ratione eum finiet, magiſq; ſi iuuenis erit, per ſanguinis profuſionē: ſi ſenior, per ſuppurationem. Febris autem, quæ ſubito ſine ratione, ſine bonis ſignis finita eſt, ferè reuertitur. Cui fauces ſanguine & interdiu & noctu replentur, ſic vt neque capitis dolores, neq; præcordiorum, neque tuſsis, neq; vomitus, neque febricula præceſſerit, huius aut in naribus, aut in faucibus, vlcus reperietur. Si mulieri ex inguine febricula orta eſt, neque cauſa apparet, vlcus in vulua eſt. Frequens ſingultus, & præter conſuetudinem continuus, iecur inflammatum eſſe ſignificat. Quibus ſæpè ex naribus fluit ſanguis, his aut lien tumet, aut capitis dolores sūt, quos ſequitur, aut quædam ante oculos tanquā imagines obuerſentur. At quibus magni lienes ſunt, his gingiuæ malæ ſunt, & os olet, aut ſanguis aliqua parte prorumpit. Quorum ſi nihil euenit, neceſſe eſt in cruribus mala vlcera, & ex his nigræ cicatrices fiāt. Omniſq; deiectio lipienti prodeſt. At varix ortus, vel per ora venarum ſubita profuſio ſanguinis, vel tormina, inſaniam tollunt. Humerorum dolores, qui ad ſcapulas, vel manus tendunt, vomitu atræ bilis ſoluuntur. Et quiſquis dolor deorſum tendit

ſanabilior eſt. Singultus ſternutamento finitur. Longas deiectiones ſupprimit vomitus. Mulier ſanguinem vomens, profuſis menſtruis liberatur. Quæ menſtruis non purgatur, ſi ſanguinẽ ex naribus fudit, omni periculo vacat. Quæ locis laborat, aut difficulter partum edit, ſternutamento leuatur. Aeſtiua quartana febre breuis eſt. Cui calor & tremor eſt, ſaluti delirium eſt. Lienoſis bona tormina ſunt. Denique ipſa febris (quod maximè mirũ videri poteſt.) Sepè præſidio eſt. Nam & præcordiorum dolores, ſi ſine inflammatione ſunt, finit, & in iecinoris dolore ſuccurrit, & neruorum diſtentionem rigoremque, ſi poſtea cœpit, ex toto tollit, & ex difficultate vrinæ morbum tenuioris inteſtini ortum. At dolores capitis, quibus oculorum caligo & rubor, cum quadã frontis prurigine accedunt, ſanguinis profuſione, vel fortuita, vel etiam petita ſubmouentur. Si capitis, aut frontis dolores ex vento, vel frigore, aut æſtu ſunt, grauedine & ſternutamentis finiuntur. Febrem autem ardentem, ſubitus horror exoluit. Si in febre aures obtuſæ ſunt, ſi ſanguis è naribus fluxit, aut vẽter reſolutus eſt, illud malum definit ex toto. Nil plus aduerſus ſurditatem, quàm biliosa aluus poteſt.

DE

DE OPTIMA PRAEDICENDI RATIONE, LIBER V.

LVDOVICO LEMOSIO AVTHORE.

An ſint decretorij dies. Cap. I.

IN quocunque die poſſe morbos finiri, dũmodo adſit coctio, experientia quotidiana clarè nos docet: eadem etiam demonſtrat in quibuſdã diebus fœlicius hos morbos, in quibuſdam verò infœlicius, illos terminari; ideóque minimè ambigendum erit diem à die diſtingui fœlicitate, & infœlicitate euentuum. Quod Hippocrates, vir, vt cæteris fide dignior, ita omnium conſenſu decernendi peritiſsimus animaduertit, & nobis ſcriptum reliquit. Et Galenus ipſe poſt Hippocraté doctiſsimus ab adoleſcentulo dies criticos obſeruare incępit, vt ex ipſius experientia de ipſorum diſſentione indicaret, & inuenit, vt

 Hippo-

Hippocrates, quoſdam morbos in certis diebus abſolutè terminari, fideliter, tutò, manifeſtè, conſpicuè, & ſalubriter, veluti in ſeptimo, vndecimo, decimo quarto, & alijs decretorijs: alios verò in alijs imperfectè, infirmiter, cum periculo, obſcurè, ſine ſignis & malè, vt in ſexto, octauo, & alijs. Vnde ſæpè illi in mentem uenit ſeptimi diei naturam regi aſſimilare, ſexti uerò tyranno. Ille ſiquidem clementior, tanquã bonus aliquis princeps, quos iudicat, vel ſupplicij partem adimit, vel illuſtrat victoriam: hic è cõtrario, vel pernicie illius, quem iudicandum accepit, gaudet, vel ſalute dolet: quæritque, vbi animum expleat, & malè ægrum, qui in ipſum incidit, tractet, & longa punitione exerceat. Atque hæc non ſemel, aut bis, ſed millies longa experientia obſeruaſſe, teſtatur. Vnde cap. 7. lib. 2. de diebus decretorijs, inquit, Ego in tota æſtate interim plures, quàm quadringentos homines acutè ægrotantes vniuerſos, vel ſeptimo, vel nono die criſim habuiſſe conſpexi: in alio rurſus anno quoſdã decimo quarto, quoſdã vigeſimo, plurimos poſt morbi reuerſionẽ: in alio permultos ſanguinis fluor quinto, perfectè ſeptimo vel nono die. Vidi etiã in Autumno aliquando omnes undecimo iudicatos, ſed hoc quidem bonam criſim attulit: in alio autem Autumno omnibus ſexto die in ſalubre iudicium accidit. Quapropter etiam magis mihi

ſubit

ſubit mirari eos, qui planè nullum in diebus diſcrimen uerùm eiuſdem omnes dignitatis eſſe arbitrantur. Hæc ille. Ex quibus clarè intelligitur in morbis iudicandis dies à diebus differre. Quod primus Hippocrates longa experientia inuenit, & in ægrotantibus innumerabilibus obſeruauit, vt ex libris de morbis vulgaribus vnuſquiſque clarè percipere valet. Quapropter in libro de ſeptimeſtri partu dixit, Medicum, qui ægrotorum ſalutem rectè coniectare volet, animaduertere quidem oportet, & contemplari omnes dies: ex paribus verò decimum quartum, & vigeſimum octauum, & quadrageſimũ ſecundum. Hic enim terminus ponitur à quibuſdam pro harmoniæ ratione, & integer ac perfectus numerus: uerùm ob quam cauſam, longiùs fuerit in præſenti exequi. Et iterum in eodem libro, Morbi & ſanitas & mors, conceptus, abortus, & partus in mulieribus, hæc omnia partim ſecundũ dies, partim ſecundũ menſes, partim ſecundum dierum quadragenarios, partim ſecnndum annum, ſignificationem ſui præbent. Et in eodẽ libro. In omnibus his temporibus inſunt ad unumquẽq; & utilia multa, & hoſtilia multa. Et ſtatim, dies maximè inſignes in plurimis, ſunt primi, & ſeptimi, multum potentes in morbis. Et iterũ dies alij intra quadrageſimũ inſignes quidem minus ſunt, multi uerò iudicant, & verũ. Eadem ratio iudicandi,

ſcilicet eſt in decretorijs diebus. Hanc dierum diuerſitatem in prognoſticis & aphoriſmis docuit ſæpè Hippocrates, libro etiam de carnib. & lib.4.de morbis,& lib. de diebus decretorijs. Et Galenus eandem millies confirmat,vt in toto hoc opere videtur: Aetius quoque, Paulus, Oribaſius,& reliqua Græcorum turba. Omnes item Medici Arabes, Raſius, Auicenna, Zoar, Haliabas, Auerroes,& alij omnes. Ariſtoteles quoque dies decretorios dari in morbis, planè credidit, lib.5.de hiſt.anim. cap. 20. & ſect. 26. quæſt.15.diem tertium eſſe decretorium,dixit. De qua re vide Ludouicũ Cæliũ lib. 14. antiq. lect.cap.11. Omnes ergo in eo conueniunt,non omnem numerum dierum eſſe aptũ ad criſim, vt experientia docet,ſed vnumquenq; propriã habere naturam ac facultatem,qua morbi benè aut malè terminantur. Non eſt itaq; nec Aſclepiadi,nec Celſo,nec ijs,qui ſunt iſtorum ſententiam ſecuti, temerè aſſentiendum. Neque uerò credendum eſt, id priuilegij, elogijq; iam dictis diebus ab Hippocrate fuiſſe aſcriptum, numerorum quodam ſtudio, atq; amore,aut quia ab illis mercedem accipiũt Medici, ut Galenus cap.3. lib. 1. de diebus decretorijs, inquit: nec quia pares dies imparesve ſint,ſed quia nõ modo id uſu, qui plurimùm hic ualet,ijs dieb. ita reſpondere, uerumetiam ratione, compertum habuit, ut ſequentibus dicemus. Verba autem

Celſi

Celſi ex capit.4.libr.3.hæc ſunt. Eſt autem alia de diebus ipſis dubitatio, quoniam antiqui potisſimum impares ſequebantur, eosque tanquã tunc de ægris iudicaretur, iudicatorios nominabant. Hi erant, dies tertius, quintus, ſeptimus, nonus, vndecimus, quartus decimus, vnus & vigeſimus: ita vt ſumma potentia ſeptimo, deinde quarto decimo, deinde vni & vigeſimo darentur. Igitur ſic ægros nutriebant, vt dierum imparium acceſsiones expectarent, deinde poſteà cibum, quaſi leuioribus acceſsionibus inſtantibus darent, adeò, vt Hippocrates, ſi alio die febris deſiſſet, recidiuam timere ſit ſolitus. Id Aſclepiades iure vt vanum repudiauit, neque in vllo die, quia par aut impar eſſet, his vel maius, vel minus periculum eſſe dixit. Interdum enim peiores dies pares fiũt, & opportuniùs poſt earũ acceſsiones cib. datur. Et paulò poſt inquit, Atque idem alio loco quartum quenque diem, vt in vtrunque efficaciſsimum apprehendit, id eſt, quartum, ſeptimum, vndecimum, quartum decimum, decimum ſeptimum, in quo & ab impari ad paris numeri rationem tranſit: & ne hoc quidem propoſitum conſeruauit, cùm à ſeptimo die vndecimus, non quartus, ſed quintus ſit: adeò apparet: quacunque ratione ad numerum reſpeximus, nihil rationis ſub illo quidem authore reperiri. Verùm in his quidem antiquos tunc celebres admodum, Pythagorici

nume-

numeri feſellerunt: cùm hic quoque Medicus nō numerare dies debeat, ſed acceſsiones intelrueri, & ex his coniectare, quando dandus cibus ſit. Hactenus ille. Qui nimis imprudenter ac temerè Hippocratem taxauit, intelligens parū quid Hippocrates per dies decretorios intellexerit. Non enim numeros ipſos obſeruat Hippocrates, ſed criſes, quæ in certis diebus fiunt: cùm fieri non poſsit, vt, qui de diebus decretorijs quippiam referre aggreſſus ſit, nihil de criſi etiam dicat: vel, qui de criſi doceat, non etiam de diebus decretorijs verba faciat, vt capit. 8. libro 3. de diebus decretorijs Galenus ſcripſit. Quare non numerus, ſed potiùs motus naturę, author iudiciorum eſt, in certis diebus factus. Quare tantum abeſt, vt Pythagoricos numeros ſectatus ſit, vt Galenus ſubinde mirari ſe dicat loco citato, Pythagoram uirum alioqui tam ſapientem, numeris tantum tribuiſſe. Quod ſi Celſus non ignoraſſet, nec Hippocratem nugari, nec ſui diſsimilem eſſe, nec à numeris Pythagoricis deceptum aſſeueraſſet: nec Aſclepiadem, quem paulò antè dixerat vicem exhibuiſſe tortoris, Hippocrati, temerè antetuliſſet. Quod etiam ſcripſit Celſus, Hippocratem tantum voluiſſe in diebus imparibus fieri iudicium, falſum eſt, cùm ipſe Hippocrates libr. 1. de morb. vulg. ſect. 3. tex. 13. dixerit, quæ diebus paribus accedūt paribus iudicantur, quorum verò ſunt

in imparibus acceſsiones, imparibus iudicantur. Vnum quoque & vigeſimum diem decretorium feciſſe Hippocratem, proclamat Celſus, quod etiam falſum cùm vigeſimum diem faciat decretorium Hippocrates, vt Galenus enarrat cap.9.lib.3. De qua re latius in ſequentibus, cùm membratim dies ſequamur, dicemus. Cæterùm cognitio horum dierum maximè vtilis eſt, tum ad præſagiendum prudenter, tum ad rectè curandum. Ad præſagiendum, inquam, quoniam apparentibus notis futuræ criſis certè pronunciabimus, eam euenturam in die decretorio, vt ſi quarta die adſunt coctionis ſigna, certior erit prædictio de morbi exitu in ſeptimo futura, quàm in ſexto. Adde etiam, quòd in die iudicatoria apparentia ſigna, ſiue bona, ſiue mala multò firmiora erunt, quàm ſi alijs diebus appareant. Item poſt criſim peractam ſecũdum naturam diei, eam probamus, aut reprobamus. cognitio quoque horum dierum ad morborum curationes non leue momentum adfert, ne videlicet, ijs timeamus, qui fidis diebus iudicati ſunt, aut tenuem victum præbeamus: ne ve perfidis diebus iudicatos parum diligenter obſeruemus: vt capit. 3.lib.1.in quit Galenus. Et capi.6.lib.2.ait, Proinde fides iudicij, vel fallacia, hoc eſt, certitudo, vel incertitudo, ad bonam victus rationem iudicatis morbo præſcribendum conducit. Et cap.11.eiuſdem libri, & cap.

13.lib.

13.lib.3.idem latius docet, veluti & cap.1.lib.1. docens, nō bene iudicatos recidiuare, ſi aliquo modo peccent. Præterea in diebus imparibus non purgandum: in quo priores Medici maximè peccauerunt, non ſcientes quòd humor in corpore ægroti magis turbatur in imparibus diebus, nimirum corpore humorem ad ventriculum tranſmittente. Et ſi quis iam turbatum adhuc magis perturbet medicamento immiſſo, nihil miri eſt, ex talibus hominē perire, vt Hippocrates inquit lib.4.de morbis. Neque etiam venæ ſectio in huiuſmodi diebus exercenda eſt, vt plenius in ſequentibus oſtendemus. Nam præter id, quod in his diebus aliquam naturæ euacuationem ſperamus, etſi non ſperetur, mutatio ſæpè occulta in illis videtur fieri, quæ nullo pacto noſtris euacuationibus erit perturbanda, vt in cerebro ſphacelato conſtat, apho.50.lib.7. Quibus cerebrum, inquit, ſphacelatum eſt, in tribus diebus pereunt: ſi verò hos euaſerint, ſani fiunt. Et in tetano, aphor.6.lib.5. Quicunque tetano corripiūtur, in quatuor diebus pereunt: ſi verò hos effugerint, ſani fiunt. Item in grauidis vis illa dierum occulta reperitur, vt Hippocrates docuit libro 6. de morbis vulga. ſect. 7.text.29. & Ariſtoteles libr. 5.di hiſto. anim. capit.20. In fracturis etiam cranei, & in vulneribus, perſpicuè apparent in huiuſmodi diebus mutationes, quare cauendæ erunt euacuationes

nes, vt libro, de aquis, aere, & regionibus, Hippocrates docet.

Quid ſint dies decretorij, & de cæterorum dierum differentia. *Cap. II.*

DIEM appellat Galenus tempus ex die ac nocte compoſitum, libro ad eos, qui de typis ſcripſerunt: & lib. 1. de criſ. cap. 16. Et cap. 2. lib. 2. eiuſdem operis. Vtrum verò quis decretorius dies putãdus, an in quo iudicij aliquis dies extitit, an in quo morbus primùm diſcuſſus eſt? Affirmat autem Galenus, lib. 1. de diebus, cap. 3. decretorium eum dici, in quo quis iudicatus eſt. Cæterùm cùm partes criſis tres ſint, ex Galeno cap. 11. lib. 3. de criſ. perturbatio, uacuatio, & morbi ſolutio, ſi non incidant omnes tres in vnum diem dignoſcere oportet, cui illorum ſit criſis referenda, vt ſic intelligamus ex natura diei, an fuerit fidelis, & tutus. Quam difficultatem propoſuit Galenus capi. 8. lib. 1. de diebus. Et eam dirimit, ad notas has docens reſpiciendum eſſe nempe ad acceſsionum analogiam, ad dierum naturam, ad decernendi temporum numerum, ad ipſum iudicij tempus. Ad acceſsionum analogiam ſic: imparibus diebus ſi æger magis laborarit, proprium magis diei imparis iudicium: quemadmodum, ſi paribus, illius proprium: nam in acceſsionibus plurimum iudicia

con-

contingunt. Cæterum ad dierum naturam hoc pacto: ſi ambigas, vtrum noni diei vel decimi ſit iudicium: ſi enim ſalubre, ac bonum, perfectum, ſine periculo, noni magis eſt: ſi imperfectum, malum, & periculoſum, decimi. Ad numerum decernendi temporum, quoniam hæc tria erant decretoriæ acceſſionis initium, decretoriæ motionis principium, finis ipſe iudicij: qui dies tempora duo accipit in ſe ſe, magis iudiciũ ſibi vendicat. Sic & ipſum tempus iudicij vtra die fuerit longius, illi magis iudicium attribuẽdum eſt. Si igitur quatuor quidem hæ notæ vno die introducantur, huic quoque tu iudicium attribues. Et, ſi vna ex his relinquatur, ſic quoque adhuc adſcribes: ſed iam & alterum ipſius criſis participem fieri putabis. Si verò æquales fuerint, iudicium quoque vtriuſque diei commune eſſe cenſebis. Interim verò non duos modo, ſed tres etiam dies iudicium attingit. Iterum igitur huic mediam, quantum ad temporis longitudinem attinet, præpones: non tamen vniuerſum ei concedes, ſed primum quidem, ſi abſque indice & contemplatorio die criſis fuerit, conſiderandum eſt: quoniam diximus maximam hoc potentiam habere. Secundò regulis quoq; alijs, quas modò enarrare deſij, vtendum eſt, nempe acceſsionum collatione, dierum natura, decernendi temporum numero, & ipſo iudicij tempore. Itaque Medici nominant dies decreto-

to-

torios, authore Galeno prognoſt. 1. lib. 3. in quibus firmiter pariter ac plurimæ fiunt in morbis mutationes: vti eos indices, quicquid futurum in decretorio die ſit, prænunciant: quales quartus ſeptimi: & vndecimus decimi quarti, & decimus ſeptimus, vigeſimi. Hos enim contemplandos eſſe rectiſsimè in aphoriſmis Hippocrates dixit, quod in his aliquod ſignum appareat futuræ iudicationis: iudicatiuum quidem in altero aliquo decretorium dierum: vt ſi die ſeptima futura morbi iudicatio per ſanguinis de naribus manationem, aut ſudorem ſit, die quarta vel ſudare æger modicè, vel ſanguinem de naribus fundere incipiet. Qua ſanè ratione (vt ait Galenus) indices ac contemplabiles ab Hippocrate meritò dicti ſunt: vt decretorij, quòd in ijs iudicia fiant, quales ſunt ſeptimus, decimus quartus, vigeſimus, quadrageſimus, ſexageſimus, & alij complures, de quibus Hippocrates in lib. de morbis vulga. primo & tertio, & Galenus libris de decretorijs diebus abundè multa. Dies porrò intercalarij, quos intercedentes ſcholæ vocant, inter decretorios & indices medij ſunt, quales habentur, tertius, quintus, ſextus, nonus, duodecimus, in quibus indicia fieri quandoque, ſed praua, imperfecta, grauia, & in malum finem plerunque tendentia ſolent. Nam quæ præter rationem incidunt in morbis aliquando, ordinemque, & ſtatus natu-

ræ

ræ motus confundunt: qualia ſunt uel præceps nimium humoris motus, vel nimia illius copia, acrimonia, venenoſa qualitas, & inepta ſeruata victus ratio, & extrinſecus accidentia: hæc inquam cùm obuenerint, efficiunt, ut iudicia incerta, mala, periculoſa, & lethalia in intercalarijs diebus eueniant. Porrò in diebus decretorijs non poteſt contingre, modò nullum peccatum committatur, niſi frequens morbi ſolutio, ea nimirum quæ ad ſalutem ſit: abſoluta, id eſt, nihil in corpore relinquens: nam quę relinquũtur in morbis recidiuas facere conſueuerunt, ideoque talis fidelis erit, & tuta, id eſt, ſine grauibus ſymptomatis: item manifeſta, id eſt, cum euacuatione, aut magno abſceſſu, & indicata, id eſt, quòd præcedant indicia criſis, & in ſumma frequentia iudicandi & firmitas in die decretorio adeſt, vt Galenus prognoſtico. primo. libro tertio. & prognoſt. 54. lib. ſecundo. & capit. tertio. lib. 2. de diebus tradidit.

De dignitate, & potentia dierum decretoriorum, Cap. III.

GALENVS cap. 5. li. 1. de diebus decretorijs. Et capit. 8. lib. 2. eiuſdem operis, collocauit ſex ordines horum dierum, ſecũdum eorum potentiam: & in primo ordine conſtituit ſeptimũ diem, qui omnium eſt fortiſsimus, quia frequen

ter

ter ſoluit & perfectè, & cum fide, & ſalubriter, & ſine periculo, & clarè, & cum bonis ſignis. In ſecundo ordine ſtatuit decimum quartum, qui maximè ſeptimi naturam imitatur. In tertio verò, nonum, vndecimum, & vigeſimum poſuit. In quarto decimum, ſeptimũ, & quintum. In quinto, quartum: denique in ſexto, tertium, & decimum octauum. Dies autem nõ decretorij intra vigeſimum ſunt octauus, decimus, duodecimus, decimus ſextus, & decimus nonus. & decimum quintum omiſit typographus. In quibus diebus nunquam aut rariſsimè fiunt criſes. Decimus tertius certè omniũ decretoriorum imbecillimus: omnium verò, qui non decernunt, fortiſsimus, tanquam in medio quodam vtrorumque, virtutis ſitus. Vehementiſsimę itaque ſunt criſes, quæ vſque ad decimum quartum diem veniunt: minus ijs, quæ ad vigeſimum vſque pertingunt: inde ad quadrageſimum productæ, adhuc etiam minus vehemẽtes euadunt: in illo autem perfectè ſoluuntur. Præterea Hippocrates aphor. 24. lib. 2. & lib. 1. de morb. vulg. sect. 3. text. 14. quem ſequitur Galenus illis in locis, & prog. 1. lib. 3. veluti in libris de diebus decretorijs, diuidit in quaterniones ſingulas ſeptimanas. Quaterniones autem illos, ſeu quaternarios indices & cõtemplabiles appellat, quòd ſcilicet, dies decretorios iudicatoriosve indicent, & quòd in ijs quales illi futuri ſint, Medi-

cis contemplari poſsit. Et quinam vtrique ſint hoc ſchemate facilè intelligentur.

Indices.	*Decret.*	*Indices.*	*Decret.*	*Indices.*	*Decret.*
4	7	11	14	17	20
24	27	31	34	37	40
44	47	51	54	57	60
64	67	71	74	77	80
84	87	91	94	97	100

QVI autem dies inter indices & iudicatorios intercidunt, à Medicis intercidẽtes, & intercalares nominantur. Et ij quidem à decretorijs natura & vſu differunt. Natura, quòd decretorij naturæ ſuæ ratione ſint perfecti, & quòd omnibus rectè factis, nulliſque interuenientibus erratis, ſolius naturæ motu, nulloque alio impellente in ijs iudicia fiant. Proinde decretorij illi dies, qui per quaternarios ac ſeptenarios digeruntur, maximam vim habent. Contra intercidentes minus perfecti ſunt, nec in ijs naturę motu, & impulſu, ſed morbi malitia & morbificarum cauſarum vehemẽtia, aut aliquo extraneo impellente iudicia eueniunt. Hinc non ineptè à quibuſdam prouocatorij, quòd ſcilicet in ijs natura non ſuaſponte, ſed prouocata & irritata pugnam aduerſus noxios inſtituat, & adoriatur humores, ſunt appellati. Quapropter multò mi-

norem, quàm decretorij nominati vim habent. Differunt etiam inter ſe vſu. Nam quaternionũ circuitus ad futuri vigoris & iudicij notitiam conducunt: ad iudicium verò iam factum diſcernendum, num fidum, aut infidum fuerit, intercidentium cognitio confert. Sed iam de ſingulis diebus minutatim dicamus.

De natura dierum vſque ad vigeſimum primum. *Cap. IIII.*

PRIMA, & ſecunda dies ex ſententia diſcipulorum Dioclis, vt refert Gal. cap. 9. libr. 1. de diebus decretorijs, morbos decernunt. Verùm ipſe Galenus hanc rem in hunc modum diſtinguit. Aut criſis ſignificat omnem morbi ſolutionem, aut præcipitem in morbo ac ſubitam in ęgrotãtis corpore morbi ſolutionem. Primo modo in prima & ſecunda die criſes fiunt, quoniã in illis febres diariæ ſoluuntur: altero verò modo, minimè, eò quòd naturam in duobus diebus nequit morbum concoquere: concoctio autem vt ſępè dictum eſt, criſim præcedere debet. Hinc eſt, quòd omnis euacuatio, quæ ijs diebus à natura fit, peſſima eſt, vt apho. 22. libr. 4. docet Hippocrates. Quoniam quando aliquis incipit morbus, ſi quid excernitur, nihil tunc excernitur naturæ ratione, ſed ſunt omnia ſymptomata, earum, quæ præter naturam ſunt in corpore,

 re,

re, diſpoſitionum. Quod ſi Hippocrates libr. primo. de morbis vulga. ſect. 3 tex. 14. in hunc modum ſcripſit, circuituum verò, qui iudicant imparibus diebus, primus, tertius, quintus, &c. quibus verbis videtur docere primum diem decretorium eſſe: dicendum eſt ex imparibus diebus primus circuitus ad tertium vſque diem peruenit. Sed quorſum iſthæc adducimus, cùm ipſe Galenus hunc locum capit. 8. libr. tertio. de diebus decretorijs interpretetur in hunc modum, dicens: Quapropter ab acutis omnibus ordine inciperemus, denuò decernentium dierum cauſas inueſtigantes. Iam quidem in primo febres diarias ſolui contingit, idque ferè nulla cum vehementia & perturbatione effatu digna: quanquam nonnulli Hippocratem quoque dies decretorios in Epedimeon primo enumerantem, & primi meminiſſe putant, duplici nomine errantes: circuitus enim primus, & non dies primus manifeſtò ſcriptus eſt in parium, impariumque dierum catalogo. Quemadmodum igitur in parium enumeratione primum circuitum præfatus, quartum diem inducit, ità in mentione imparium, tertium. Si verum obijcias ex Galeno, qui libr. primo de criſ. capit. 17. dixit, morbum aliquem prima die ad ſtatum peruenire poſſe: in ſtatu autem fit criſis: in prima igitur die criſis fiet: proinde prima dies decretoria erit: huic dicendum eſt, in

qua-

quacunque die hominem mori poſſe, non tamen in quacunque die poſſe liberari. Morbi igitur qui prima die ad ſtatum deueniunt, non ſunt ſalubres, immo lethales, qui non iudicantur, ſed magnitudine ſua & ſæuitia homines iugulant: iudicium autem non de malo, ſed de bono abſolutè dicitur.

Tertia dies eſt primum annumuranda inter dies decretorios, vt Hippocrates libr. 1. de morbis vulga. ſect. 3. tex. 14. tradidit: & Galenus declarat libr. 1. de diebus, capi. 5. & libr. 3. capit. 8. Quòd ſi Galenus aphor. 36. libro. 4. dixit, quartam diem eſſe primam iudicatoriam: quamuis, inquit, ſit primus iudicatorius, dicendum eſt, eſſe primum quartum dierum parium: imparium verò tertium, vt voluit Hippocrates. Hic autem in ſexto ordine iudicandi, fuit ſuprà collocatus, propter eà quòd rarò bene iudicat, & ferè ſemper malè. In tertio nanque die perijt Crito libr. 1. de morb. vulga. ſect. 3. text. 26. Famula quoque Oneſidemi tertio die obijt libro 5. de morb. vulga. Harpalus etiam lib. 7. eiuſdem operis, tertio die defunctus eſt. At Tymochares fuit tertio die iudicatus, libr. 5. citati operis: & multi tertio die iudicabantur libr. 4. de morbis vulga. Frequentiùs autem, vt dixit, tertia die ægrotantes pereunt, quàm liberantur. Quare fac memineris, inquit Galenus libro 3. de morb. vulg. ſect. 3. com. 18. in hiſtoria Philiſci,

vbi quartus perinde, vt tertius grauia habeat ſymptomata, & ſigna in morbo acuto, breui expectandum iudicium eſſe: ſi paribus diebus inuadebat, potius in paribus: ſi vero imparibus, in his. Atque vbi iudicium, illic ſcilicet & mors, in morbis quidem exitialibus. In his ergo morbis, ſi vena ſecanda eſt ante tertium faciendum; & luxata reſtituenda ſunt libro 3. de fract. com. 32. Quòd ſi intra biduum facta non fuerint, erunt tardanda quouſque quartus dies tranſeat, vt libro 4. de articulis, com. 32. docuit Galenus.

Quarta dies, vt ſuprà dixi, decretoria eſt. Cur verò illam in aphoriſmis Hippocrates non conſtituerit nulla alia de cauſa factum eſt, quàm quòd in aphoriſmis de febribus acutis, ardente nimirum, & tertiana agit, quarum ortus cùm à flaua bile exiſtat, de tertio in tertium mouentur. Quum autem iudicia plurimum in acceſsionibus fiant, nihil mirum ſudores in imparibus diebus ortus eſſe iudicatorios, atque adeo bonos. Quare non temerè libro 1. de diebus decretorijs cap. 4. Galenus inquit, ſi imparibus diebus magis laboret æger, proprium magis diei imparis iudicium. Huc etiam reſpexit Hippocrates, qui aphor. 61. libro 4. ſic ſcriptum reliquit. Febricitantem, ſi non diebus imparibus febris (ſcilicet acuta) dimiſerit, ſolet recidiuare. Si verò paribus contingant

acceſ-

acceſsiones non mirum, ſi quarta dies decreto-ria ſit, in qua Caluus Lariſſæ, & Pericles Ab-deræ iudicati fuere libr. 3. de morb. vulgar. ſect. 3. text. 76. & 77. Sed ille ad mortem, hic verò per ſudorem ad ſalutem: nam & ad bonum, & ad malum indicat quartus dies, vt Hippocra-tes prognoſti. 2. libro 3. innuere ijs verbis vide-tur. Simplicisſimæ enim febres, ac ſignis fir-matæ ſecuriſsimis, quarto die, aut citius deſi-nunt. Deterrimæ vero, ac ſignis affligentes difficillimis, quarto die aut citius interimunt. Cæterùm qui ſint illi, qui quarto aut moriãtur, aut viuant, declarat Galenus capit. 13 libro p. de diebus decret. dicens, Si quis primo diè acuta febre infeſtetur, nullum autem pericu-loſum ſignum ipſi adfuerit, ſed in vrinis aliqua concoctionis nota inuenta fuerit, non extra quartum diem morbus ſoluetur. Quinetiam ſi multa lethalia primo die ſtatim deprehendan-tur, morietur planè non extra quartum diem. Si quarta die tantopere celebratur à Galeno, vt iudicatoria, cur Galenus libro 3. de criſi. ca-pit. 4. dixit, tantum ſemel vidiſſe in quarta die criſim: Archigenem vero bis? Auget difficul-tatem, quoniam morbi exactè peracuti quarto die terminantur. Aut igitur Galenus eos num-quam vidit: aut frequentius criſes contingerent in quarto. Præterea in febribus intermitten-tibus ad criſim expectandus eſt numerus ac-

ceſsionum, non dierum, vt prognoſt. 8. libro 3. & libro 1. de morb. vulga. ſect. 3. com. 17. & aphor. 59. libro 4. inquit Galenus. Ob id igitur exquiſita tertiana ſeptem circuitibus, non diebus ſeptẽ, iudicari natura ſolet. Quinetiam, quod quartus dies à principio numeranti aduerſus ſeptimum eſt, id quarta circuitio aduerſus ſeptimam circuitionẽ. Quartus enim dies, ſeptimi index eſt: & item quarta circuitio aduerſus ſeptimam circuitionem. Sed uidemus frequenter quarta acceſsione iudicari tertianam intermittentem: non ergo quartus dies rarò iudicat, ſed ſæpè. Dicendum igitur eſt ex eodem Galeno libr. 3. de diebus decret. cap. 8. ob id rarò contingere criſes in quarto, quia tempore intermiſsionis febrium non fiunt criſes, niſi in acceſsionibus, quæ cum non fiant in quarto, rarò igitur criſes fiunt in quarto. Et id eſt quod Galenus loco citato & cap. 8. libr. 2. eiuſdem operis, dixit, plurimùm acceſsiones in tertio fieri, rarò ergo in quarto: proinde rarò criſes in quarto. Si enim ſit celer motus morbi, in tertio: ſi verò quodammodo tardior, in quinto: ſi vero febris fuerit ſynochus, in quarto. Synochus autem cùm rarò ſoleat terminari per fluorẽ ſanguinis narium in quarto, hinc dixit Galenus rarò criſes fieri in quarto. De potẽtia autem quarti diei aphor. 24. libr. 2. Dixit Hippocrates, quẽ declarauit Galenus cap. 11. libro 1. de diebus

de-

decretorijs, & prognoſt. 8. lib. 3. nēpe hunc ait, indicem ſeptimi eſſe: quod eſt, eam habere naturam, vt qualiſnam ſeptimus eſt futurus, indicet. Cùm ergo ſignum malùm quarto apparuerit die, malus de neceſsitate ſeptimus eſt futurus: ſi verò ſalubre, & bonum, ſeptimus bonus erit. Nam proportione virtutis ſigni tum magis, tum minus, vel bonum, vel malum fore ſeptimum ſequens eſt.

Quinta dies iudicatoria eſt morborum peracutorū lib. 3. de diebus decret. cap. 8. In hac die iudicatus eſt Meton lib. 1. de morb. vulg. ſect. 3. per fluorem ſanguinis narium: & Eraſinus eſt mortuus in hac etiam die, ibidē: Philiſtes quoque in Thaſo mortuus lib. 3. eiuſdē operis ſect. 1. Itaq; criſis quinto plurimis contingit, aphor. 36. lib. 4. & cap. 15. lib. 11. de morbis med. Et ſi coctionis ſigna in quinta die apparuerint, iudicabitur morbus nona. Cum autem in febribus, inquit Hippocrates, lib. 4. de ratione victus, tex. 62. quinta die terrificum quippiam fuerit, vel venter repentè liquida deiecerit, & animæ defectus prehenderit, vel vocis priuatio, vel conuellatur æger, vel ſingultiat, ex his angi, grauiterq; affici cōſueu it, ſudoresq; circa tum muſtacem, tum faciem, tum ceruicem, ab occipitio eſſe cōſueuerunt. Qui autem hæc patiuntur ſpirituoſi paulò poſt morientur.

Sexta dies iudicat, ſed cùm difficillimis ſymptomatis,

ptomatis, & periculo nō mediocri, adhæc abſq; fide, imperfectè, obſcurè, ſine notis, & ad malū lib. 1. de diebus cap. 2. & prognoſt. 1. lib. 3. & capit. 4. libr. 1. de diebus inquit, Sextū autem diē, quantò pauciores in eo iudicantur, quàm in ſeptimo, tantò quoque maligniorem inuenio, vt qui ferè ex aduerſo natura ſeptimo oppoſitus eſt. Etenim, qui in quarto ad peiorem ſtatum recidunt, plerique ſexto moriuntur. Quod reſpiciēs Hippocrates lib. 1. de morb. vulg. ſect. 2. tex. 75. inquit, ęgrotantes tempeſtate illa tertia ferè omnes ſexta die perire. Non eſt tamen in vniuerſum ſextus malus, quoniā virgo, quę Lariſſæ habitabat lib. 3. de morb. vulg. ſect. 3. text. 83. Sexta die per fluorem ſanguinis narium fuit liberata. Duo tamen addidit Hippocrates, alterum, huic non repetiit, tanquam mirum, quòd in ſexto die fuerit perfectè liberata; reliquum cauſam ſolutionis morbi, nam dixit, Cum virgo eſſet, poſtquam iudicata fuit, tunc primò menſes eruperunt. Item lib. 1. de morb. vulg. ſect. 2. tex. 83. ex illis duobus fratribus Epigenis, vnū fuiſſe iudicatum ſexto, alterum verò ſeptimo, ſcriptum reliquit. Auicenna quoque lib. 4. par. 1. tract. 1. cap. 6. docet planè poſſe dari criſim optimam ſexto. Quid multa? Hippocrates lib. 4. de morb. vulg. refert multos ægrotos ſexta die iudicatos, & addidit, omnia in his temporibus ſexta, & octaua iudicabantur, circa Pleiadū oc-

caſus. Hoc autem ob nil aliud contingebat, niſi quia febres paribus repetebant; alias criſis in eo ferè nunquam bona fit, quod ſi aliquando contingat euacuationem in eo fieri, quæ ægro conferat, impoſſibile eſt quin poſt ſequatur fortis ægri labor, & magnus timor, neque æger eſt ſecurus, quin aliquid ex materia ægritudinis remanſerit, ex quo ægritudo faciet recidiuam, vt Raſius optimè lib. 10. ad Manſorem regem cap. 29. aduertit.

Septimum dicimus primum omnium dierũ decretoriorum eſſe, non numero videlicet, & ordine primum, ſed potentia & dignitate: omnes enim ſummatim decretoriorũ notas occupat. Etenim plurimos indicat, & abſolutè, item cum manifeſta excretione, vel abſceſſu, ſine periculo vehementi: & vt plurimũ quartus eum prænunciat. Nam, ſi vrinæ in illo planè, vel ſputi, vel deiectionis, vel appetitus, vel mentis, vel ſenſus, vel alterius cuiuſdam ſimilis manifeſta contingit mutatio: illam, vt non ſimilis in ſeptimo iudicatio comitetur, quomodo fieri poſſet, bona, ſi ad ſalutem: mala, ſi ad peiora portendat. Plerunque igitur bona iudicia eueniunt in die ſeptimo: etenim hoc ei præter cæteros accedit, quanquam nonnulli etiam in eo moriantur, & euidenti conuerſione ad peiora pergentes, in ſequenti quodam decretorio intereunt. Appareat verò euidenter bonũ in quarto die ſignũ

nullius periculi circa ægrotum ſit ſuſpicio: fieri non poteſt, quominus ſeptimo die fiat iudiciū, ſi nihil extrinſecus peccatum fuerit. Decretorius itaque fortiſſimus omnium eſt dies ſeptimus.

Octaua dies eſt decretoria in paribus, vt Hippocrates lib. 1. de morb. vulg. ſect. 3. tex. 14. teſtatur. Hinc lib. 4. eiuſdem operis dixit ipſe Hippocrates, octaua die multos iudicatos fuiſſe. At in diebus imparibus ſi aliquando in octauum diē, vel decimum ſubita morbi ſolutio incidat, ſimilis ferè ei eſt, quæ in ſexta accidat: verùm rarò in his ſoluitur, nec cum fide, nec bene, nec perfectè: inſuper ad hæc obſcurè ſimul, & citra notas: vt Galenus inquit cap. 5. lib. 1. de dieb. decretorijs.

Nonus quidem plurimos iudicat: ſecundam vim obtinet quintus: & poſt hūc tertius: vt dixit Gale. cap. 8. lib. 2. de diebus decreto. Quod ſi Auicenna lib. 4. part. 2. ſect. 2. cap. 6. dixit, dies eſſe debiliores, quò plus à principio diſceſſerint, fortior igitur erit tertius quinto, & quintus nono. Dicendum eſt, re vera quintum diem fortiorem eſſe, ſed quia nonus inter duos decretorios ſeptimum, & vndecimum eſt, vel non factum in ſeptimo die iudicium, vel vndecimo futurum ipſe ſibi vendicat: rariùs quidem ſeptimi, ſæpè vndecimi criſim aſſumit. Etenim peculiare ſeptimo diei iudicium non ad nonum, modò

dò pauci errores commiſſi ſint, vnquam peruenerit. Vndecimi propria criſis è contrario habet, nempe cùm & exactè omnia geſta ſint, & violenta noni diei acceſſio inuadat. Lege cap. 8. lib. 3. de diebus decret. & prognoſt. 31. lib. 3.

Decimus dies, ſi aliquando ſubitam morbi ſolutionem efficiat, erit ſimilis ei, quæ in ſexta accidit, verum rarò in hac ſoluitur, nec cum fide, nec bene, nec perfectè: inſuper ad hæc obſcurè ſimul & citra notas. Cæterùm tã raro dies decima iudicat, vt Galenus lib. 1. de morb. vulg. ſect. 3. cõm. 14. dixerit, eos bene dixiſſe, qui ex paribus excluſerunt decimum, & vigeſimum octauum, propterea quòd non ſunt decretorij. Cùm autem Hippocrates lib. 3. de morb. vulg. ſect. 1. tex. 4. in hiſtoria Pythionis ſcripſerit, decimo ſudauit, ſputa ſubcocta, iudicatus eſt, vrina circa iudicium ſubtenuis. Galenus in cõm. inqnit, At quod de die decimo commemorandum produxi, ideſt, Neque in his vulgarium morborum libris eſt planè quiſquam iudicatus die decimo, neque ipſe aſſeruit vſquam eſſe decretoriũ decimum diem: ſicut dixit, non raro vndecimũ. Habes capita in commentarijs de diebus decretorijs collecta eius omnia, vbi & quadrageſimus oſtenditur, non quadrageſimus ſecundus morbos iudicare, vt quorundã fuit opinio, qui circuitus dierũ decretoriorũ fieri integris ſeptimanis ducebant. Quòd ſi ideò demum arbitretur

bitretur quis non eſſe morbum Iudicatum in totum, q; die decimo ſudarat, non vndecimo Pythion, non rectè exiſtimet: nam judicium non integrũ eò, quòd haud dum ſit concoctus morbus, neceſſariò fiat. Multos enim cum ipſe conſcripſit Hippocrates, tum nos cõſpeximus diebus decretorijs non ex toto iudicatos per ſolã vrinæ cruditatem. Hæc ſi ambo coniuncta ſint, imbecillis decimo die, & vrinæ cruditas: non oportebat fortaſſis hominem iudicari, aut non ſalubriter, ſanè & decretoriè. Potuit igitur cum vndecimo eſſet ſcriptum, nõ decimo, ſtatim ab initio in eo eſſe offenſum, quod in alijs multis cernas, quæ ab ijs, qui primi deſcripſerunt, neglecta in perpetuũ manent. Sed de die decimo hæc ſatis ſint.

Vndecimus dies eſt iudicatorius bonus, aph. 36. lib. 4. Habent autem vndecimus, & decimus quartus eandem proportionem & naturã, quã cum ſeptimo, quartus, cap. 8. lib. 2. de diebus. Hinc dixit Hippocrates apho. 71. lib. 4. Quibus ſeptimo die iudicatur morbus, ijs quarto nubeculam habet vrina rubicundã, & alia ſigna proportione. In cuius commentarijs dubitat Galenus, cur ſi quarta die appareat ſignum coctionis, morbus ſeptima iudicabitur, non verò ita fiat, ſi vndecima die appareat coctio, vt decima quarta iudicetur. Et reſpondet, q; morbus, qui quarta die præbet victoriæ ſignum, mouetur celeriter,

leriter, & fieri non poteſt, quin ſeptima iudice-tur: at verò qui vndecimo vrinas coctas præbet, tardius mouetur, & vires imbecilliores ſunt, propterea nō tantum indiget tribus diebus, ſed pluribus, vt experientia confirmat Galenus.

In duodecimo rari quidem adeò, vt nobis viſi ſint nōdum: & ſi cui aliquando ante nos in duodecimo die criſis eueniſſe viſa eſt: vel imperfecta, vel infida, vel periculoſa, uel obſcura, vel ſine ſignis, vel omnino ad malum accidere viſa eſt. Verba ſunt Galeni cap. 12. lib. 1. de dieb. decretorijs.

Decimus tertius medius inter hos ordines dierum ſubitò non ſoluentium, maximè uidetur mihi eſſe poſitus, octaui dico, decimi, duodecimi, decimiſexti, decimi noni, & tertij, quarti, quinti, ſexti, ſeptimi, noni, vndecimi, decimi quarti, decimiſeptimi, decimioctaui, vigeſimi. Nec ſcilicet ita reijciendus, ſicut hi, qui ſecundæ ſunt notæ: nec ita ſoluere morbos natus, ſicut ij, qui primæ ſunt notæ: cap. 5. lib. 1. de diebus decretorijs, inquit Galenus.

Decimus quartus dies naturam ſeptimi maximè imitatur, cap. 7. lib. 1. de diebus. Quemadmodum ergo peracuti in ſeptimo finiuntur: ita acuti in decimoquarto. Hinc apho. 23. lib. 2. dixit Hippocrates, Acuti morbi in quatuordecim diebus indicantur. Eſto igitur febris continua, per tridui accesſiones: tertio quidē die, ho-

ra vndecima: quinto, noctis hora prima acceſſionem habeat: ſeptimo, noctis hora tertia: ſemper enim acceſſionem duabus horis poſt uenire ſtatuamus. Quapropter etiam noni diei noctis hora quinta, undecimi ſeptima fiet acceſſio. Sunto iam huic alia ſimilia per vniuerſum morbi decurſum à principio uſq; ad noctem undecimam. Vndecimo uerò die coloratiores ſimul urinæ reddantur, & quaſi albæ nubeculæ in ijs innatent, priùs nõ uiſæ. Hic non mediocris ſpes eſt uerè Medicis morbũ in decimo quarto die diſcuſſum iri. Euenit tamen ſubinde ſolutionẽ in dierum quendam ſequentium incidere. Inuadat deinde quotacũque hora decimæ tertię noctis acceſsio cũ totius corporis cõcuſſione. Fieri ſiquidem poteſt, ut horam cõſuetam præoccupet, aut nõ præoccupet: ambo enim eueniũt: magis tamen, ut alterum præoccupet, cùm criſis futura eſt. Sit iam quoq; moleſta grauisque, ſi placet, tota nox decima tertia facta, quo certiùs firmiusq; iudicium fore ſperemus: quoniã impoſsibile eſt eum, qui tam grauiter laborarit, in acceſsione decima tertia nocte incipiente non iudicari. Iam uerò nihil indefinitum ſit, fingamus noctem grauem: inuadat acceſsio hora octaua cum uehementi corporis cõcuſsione, nullumque aliud ex ijs, quæ in criſibus ſuperueniunt, ſymptoma abſit, pulſus fiat inordinatus, inæqualis: ſed motus crebriores, elati, & magni

appareant.

appareant. Huiuſmodi æger, vbi acceſsiò cum corporis concuſsione inuadens vigorem ſuum receperit, ſudare ſtatim decretorio modo in decimo quarto, videlicet die incipit: ſic enim euenit decimatertia nocte hora octaua, ſi acceſſio inuadat. Itaq; iam faciliùs reſpirat pro euacuationis ratione, moueatq́; ſeſe, & pulſus edat meliores: tum facilis toleratio iſta comitetur: & toto die vniuersũ corpus æqualiter inſudet, dein ad veſperam in totum febri leuetur. Talis æger tutò iudicatus eſt. Hæc autem omnia, quæ de quarto decimo die, & ſeptimo diximus, ſunt intelligenda, niſi ſit peſtilens conſtitutio, vt aphor. 13. lib. 2. Galenus aduertit: quoniam id quod naturæ anteà fauebat, in ſtatu peſtilenti fit ei inimicum, propterea quòd eo tempore natura citius deſtruitur, quo venenum vincere conatur: quæ cùm venenum non vincat, neceſſe eſt, vt ab eo vincatur, & ſubindè mors ſequatur.

Decima quinta dies non ſcribitur inter iudicatorios, neque contemplatorios, neque intercidentes, licet admodum raro contingat, alicuius ex præcedentibus diebus iudicationem in ipſam labi, vt voluit Galenus cap. 7. lib. 1. de diebus: quæ non perinde ſecura eſt, vt ſi anteà fieret. Obijcies tamen ex Hippocrate, qui tertianam exquiſitam terminari in quindecim dieb. vult, quoniã ſeptem circuitus, quindecim dies complent: nam primus circuitus eſt tertia dies:

ſecundus, quinta: tertius, ſeptima: quartus, nona: quintus, vndecima: ſextus, decima tertia: ſeptimus decima quinta. Dicendũ eſt, vt ſupra quoque annotauimus, in tertianis, numerũ acceſsionum eſſe dierum, & ità in ſeptimo die iudicatam fuiſſe tertianam dicemus. Archigenes autem docuit à die decimo quinto incipere tertiam ſeptimam, quoniam vigeſimam octauam decretoriam fecit. Sed de ſeptimanis in ſequentibus dicendum.

Decima ſexta non eſt iudicatoria, veluti de duodecimo diximus, ex eodem Galeno cap. 5. lib. 1. de diebus decretorijs. Quod ſi aliquando in decimam ſextam labatur criſis, ſine fide omnino erit & ſi æger qd peccet, morbus denuò reuertetur: cap. 7. eiuſdem libri. Vnde cap. 4. dixerat, nunquam duodecimam, aut decimam ſextam iudicantes vidiſſe.

Decimus ſeptimus bonus, & iudicatorius eſt, apho. 36. lib. 4. Quare multi in libris de morbis vulgaribus decima ſeptima fuerunt iudicati. Si nãq; morbus celerem motum obtineat, & aliorum nullum obſtet, forſan etiã decimus quartus decernet, ſin minus, in decimo ſeptimo criſis erit, cap. 13. lib. 1. de diebus. Hunc diem decretorium eſſe multis teſtimonijs Hippocratis probat Galenus, cap. 3. lib. 2. de diebus decret. Quo in loco adducit librum primum de morbis vulg. ſect. 2. temp. 1. text. 18. & tẽp. 2. tex. 89.

vbi

vbi Hippocrates cōplures in vtraque aeris mutatione fuiſſe die decimaſeptima iudicatos, cōceptis verbis enarrat. Eſt autē decima ſeptima dies indicatoria vigeſimi, quod manifeſtiſsimè docuit Hippocrates aphor. 24. lib. 2. dicēs, Cōtemplabilis rurſus decimus ſeptimus, quippè quartus eſt à decimo quarto. Nam cū ait, decimum ſeptimum diem eſſe quartum à decimo quarto, palàm fit omnibus, poſtremum ſecundæ ſeptimanæ diem eſſe tertiæ ſeptimanæ principiū, eaque ratione per quaterniones, vt priores duas, procedere. Cæterùm nullam vigeſimi diei mentionem fecit eo in loco Hippocrates, quòd ſcilicet hunc ipſum decimus ſeptimus iuxta rationem iam dictam indicet, cùm ſit ſeptimanæ tertiæ ſeptimus dies. Vt enim in prima ſeptimana quartus eſt index ſeptimi, & in altera vndecimus decimi quarti: ita decimus ſeptimus, qui eſt quartus à decimo quarto, erit index vigeſimi, qui eſt tertiæ ſeptimanæ vltimus dies. Hac etiam ratione cæteri indices vſq; ad centeſimum colligi poſſunt, vt ex præcedenti tabella planum fuit.

Decima octaua non eſt decretoria, neque aliquem in ea die ſuperſtitem manſiſſe monet Galenus cap. 4. lib. 1. de diebus decret. Et ſi aliquādo in eam diem, criſis futura in ſeptimo decimo, labatur, imbecillior ſanè erit. Quid opus eſt multis verbis? Nullū enim nec in primo, nec

in tertio Epidemion libro, vel ſuperſtitem, v
mortuum in decimo octauo vidit Hippocrat(
quare decretorius minimè. Quod ſi Hippocr
tes dixit lib.1.de morb.vulg.ſect.2.tex.84. Iu
cabatur exactè octauo decimo, reſpondet il
dem Galenus. Et quid habet admirationis
varietate morborum inſignes extitiſſe iudici
rum diuerſitates? nos hic de cõſtitutis iudici
rum temporibus loquimur. Illud vero adu(
tendũ eſt, quòd ſi vigeſima prima erit, dies d
cretoria eſt, vt vulgus cum multis Medicis e
ſtimat, decima octaua illius erit index, vel
decima ſeptima vigeſimi, vt cap.3.lib.2. de d
bus decret. Galenus ſcribit.

Decima nona non iudicat, neque aliquem
ea iudicatũ vidit Hippocrates. Quòd ſi tert
na exquiſita aliquando nouem circuitibus t
minetur, vt in Coacis prænotionibus docet H
pocrates, qui ſanè circuitus decem, & nouẽ d
bus finitur, iam igitur dies decima nona dec
toria eſt: dicendum eſt, quòd ſuprà eſt anima
uerſum, has acceſsiones vicem dierum ſubi
& ita potius finitur tertiana nona die, quia n
na acceſsione, quàm decima nona die.

Vigeſimus dies benè iudicat, apho.36. &
lib.4. Vigeſimus enim & ſæpè numero & v
dè iudicationem efficere cernitur, prog.1.lib
Cur autẽ vigeſimus fortior ſit vigeſimo prim
declarat Galenus cap.9.lib.3.de diebus, ad q
locum

locum ſe ablegat ipſe Galenus progn. 4. lib. 3.

Vigeſimus primus apud Hippocratem non eſt decretorius, apho. 38. lib. 7. Nam ex omnib. ægrotis, quos refert in lib. Epid. Nullus ſeruatus eſt, ſed ne mortuus quidē, niſi vxor Dealcis, quæ in horto decumbebat, in vigeſimo verò complures ſeruati, quamuis nonnulli etiam vita defuncti. De iudicatorijs diebus, qui poſt vigeſimum numerantur, agit Galenus cap. 10. lib. 1. de diebus, qui per ſuos indices cognoſci valent ex tabella ſuperiori capite, deſcripta.

De morborum principio, à quo dierum computatio fieri debet. Cap. V.

GALENVS cap. 6. lib. 1. de dieb. decretorijs, dubitat, quodnā ſint principium morbi, à quo dies decretorius cōputari debeat, & cōcludit, principium totius morbi dici oportere illud tempus, in quo homo febrire incipit, adeò manifeſtè, vt continuitatem corporis ſibi ſolutā eſſe putet, & non amplius in publicum prodire valet, & conſueta vitæ munia obire, & propterea decubitu opus habuit. Non enim idem eſt diſplicētiam habere, & febrire. Cui enim caput dolet, aut diſplicentiam habet, & corpore grauatus eſt, poteſt ferè in principijs conſueta facere, donec præualens ipſi morbus vires eius deijciat. Hippocrates ſanè medicorum omniū diligentiſſimus, vniuerſa hæc cum obſeruaſſet,

quemadmodum quòd complures repentè nullo prius oborto ſymptomate, quidam ſtando in rectum fatigati, febricitare inceperunt, memoriæ prodidit: ità iudicationes euenientes à primo die, quo febricitauit homo, non ab illo, quo capite doluit, vel huiuſmodi aliud quippiã paſſus eſt, accuratè inſpexit, quoniam in huiuſmodi principijs decretoriorũ dierum experientia Medicis eſt. Ergo non à primo morbi inſultu, quia inſenſilis eſt, neque à decubitu, quia varius, ſed cùm primùm febricitauerit æger, initium morbi faciemus. Quid ſi morbus iudicetur: & iterum reuertat, fiet ne computatio à reuerſione, an à primo morbo? Antequã huic dubio reſpondeamus, docendæ ſunt cauſæ, à quibus morbus ſolet reuerti. Prima enim eſt, ſi criſis fiat in die iudicatorio, ſed nõ integrè ac perfectè, tunc recidiuam expectare oportet: & hoc modo eſt intelligendus Hippocrates apho. 12. lib. 2. dicens: Quæ relinquentur in morbis recidiuas facere conſueuerunt. Deinde ſi morbus ſoluatur ſine coctionis ſignis, aut non in die decretoria, redibit ſanè: vt Hippocrates inquit progno. 22. lib. 3. & lib. 1. de morb. vulg. ſect. 3. text. 15. Et prorhetico. 17. lib. 2. apho. 27. lib. 2. Et apho. 36. lib. 4. Prætereà ſi euacuatio fiat, & illa generalis non ſit, vt accidit Pario in Thaſo lib. 3. de morb. vulga. ſect. 3. tex. 72. Item, ſi tumor aliquis repente euanuerit, progn. 68. lib. 2.

Denique

Denique quãdo anni tempora inconſtantia fue rint, recidiuas haud dubiè expectabimus, vt apho.8.lib.3.ſcriptum eſt. Hæc omnia docet euenire Galenus exemplo morſus canis rabidi, qui aliquandiu in ſuis ſeminarijs latens, poſteà tandem apparet, prorhet. 17. lib.2.& c.5.lib. 6. de locis affectis. Ijs in hunc modũ dictis, illud aduertendum eſt, ꝙ ſi morbus redeat in virtute cauſæ materialis relictæ reuerſionẽ eandem eſſe cum primo morbo dicendũ eſt: eandẽ, in quã, non genere ſolùm & ſpecie, ſed numero quoq;. Cõtingit etiam ſæpè diebus quibuſdã decretorijs incipere: & cum numerum aliquem decretoriorũ exceſſerint, denuò in alio quodam decretorio die iudicari. Hac ratione omnes particulares acuti fiunt: poſtquã verò omnes coierint, diuturni. Interdum interualla ipſorum numero quodam decretorio circunſcribuntur, vt cap.5.lib.2.de diebus decret. inquit Gale. Veluti ſi quis vndecimo die iudicatum imperfectè, decimo quarto morbus repetat: deinde vigeſimo rurſum die iudicato parum integrè, recidiua vigeſimo ſeptimo adueniat: inde poſteà acutè ægrotans, quadrageſimo iterum iudicetur. Itaque ſola recidiua redditur morbus acutus; id autem, quod ex vtroque cõponitur morbus diutinus dicitur, vt etiam lib.1.de morb. vulga. ſect.1.cõment.36.& ſect.2.comment. 83. & 85. ſcribitur. Ex ijs colligitur, quòd ſiue numeres à

primo morbo, ſiue à recidiua ſecundũ vtranq;
computationem in die decretorio accidit criſis. Sic Herophon decima ſeptima iudicatus eſt, qui nono ſudauerat, & iudicatus, quinto die à iudicio redit morbus. Et Anaxion quoque trigeſimo quarto eſt prorſus iudicatus, qui dies decretorius fuit, & à primo morbo & à recidiua. De qua re vidi hiſtoriam duorum fratrum Epigenis lib. 1. de morbis vulga. ſectio. ſecunda, text. 83.

An à partu, vel febri fieri debeat computatio dierum. Cap. VI.

PER partum intelliges totum doloris tempus, à prima hora dies computando, ut optimè aduertit Auicenna libro tertio, part. vigeſima prima, ſect. 2. cap. 6. ex Hippocrate lib. 1. de morb. vulga. ſect. 3. in hiſtoria vxoris Hippocratis, vbi inquit, Epicratis vxor, quæ apud Archegetem ægrotabat inſtante iam partu, rigore correpta eſt, nõ incaluit, ut ferebant. Poſtridie eadem erant: tertio die filiam peperit. Vides quo pacto Hippocrates totum doloris tempus partum appellat, ſiue vna, ſiue plures dies duret. Quare non rectè Auerroes, lib. 4. collect. 40. c. accepit partum pro ea duntaxat hora, qua mulier peperit. Dubiũ ergo eſt, ſi modo pariat mulier, dein quinta die accedat febris, num com-

putatio

putatio dierum criticorum fieri debeat à partu, an verò à febre. Cui ſanè dubio videtur Hippocrates reſpondere prognoſt. 10. lib. 3. dicens, pari modo in mulieribus iudicationes fiunt à partu: & Galenus in com. ait. Principium numerationis tibi fiat, non quo die cœperint febricitare, ſed quo pepererint. In quibuſdam igitur circa ſecundum aut tertium incipiunt diem, à partu, ex quo multi numerant futuram iudicationem. Sed res non ità ſe habet: ſed ex quo pepererint, numerationem fieri oportet dierum. Cæterùm idem Hippocrates ſibi ipſi aduerſari videtur, quippe qui lib. 1. de morb. vulg. ſect. 3. text. 21. in hiſtoria vxoris Philini, & tex. 22. in hiſtoria vxoris Hippocratis, & text. 27. in hiſtoria vxoris Dromeadæ, à febre & non à partu computat, & numerat decretorios dies. Nonnulli videntes hanc controuerſiam dixerunt, libros de morbis vulga. eſſe prius ſcriptos, quàm libros prognoſticorum, quare ſentẽtia progno. eſt præferenda ijs, quæ in lib. Epid. docentur. Confirmant ſuam ſententiam ex Galeno capit. 6. lib. 2. de diebus decret. vbi ità inquit, Demonſtratum enim nobis ſæpius eſt, epidemiorum libros prognoſtico priùs, & aphoriſmis ſcriptos eſſe, quòd memoriam rerum priùs obſeruatarum ſuggerant. Ex hoc itaque loco inferunt, Hippocratem tanquam obſeruatorem, & non vt præceptorem, libros de morbis vulgaribus,
ſcripſiſ-

ſcripſiſſe, quare reliquis ſunt poſthabendi. At ij non vident eundem Hippocratem in ijſdem libris à partu quoque dies enumeraſſe, decretorios, veluti conſtat ex libro 3. eiuſdem operis, ſect. 2. in hiſtoria illius mulieris, quæ apud Pantimedem degebat: & in hiſtoria vxoris Oecetai, & in hiſtoria mulieris, quæ decumbebat in Men dacium foro, & ſect. 3. in hiſtoria illius mulieris, quæ apud frigidam aquam in Thaſo ægrota bat, in quibus omnibus palàm à partu Hippocrates enumerat dies, veluti & in prognoſticis enumerauit. Non eſt igitur hac in re facienda diſtinctio inter libros Epidemiorum, & progno ſticorum libros: cùm vtrobique ſimilis ſit ſententia, quæ ſi diuerſa eſſet, Galenus diremiſſet, neque eam ſilentio præterijſſet, veluti non præterijt alias multas, quæ videbantur reluctari ipſi Hippocrati, in ijs, quæ in aphoriſmis tradiderat. Alij plures excitarunt hanc difficultatem, multas imaginantes ſolutiones, ad ipſum Hippocratem conciliandum; nullus tamen, iudicio meo, ſcopum tetigit, neque mentem Hippocratis intellexit. Dicendum igitur eſt, quòd quemadmodum ſi duo genera morborum coniungãtur, vt inflammatio, & febris, vnumquodq; ſuas expoſcit iudicationes, ſeu excretiones, vt Zoilus libro 2. de morbis vulga. ſect. 2. qui poſt puris emanationem, ſudore opus habuit ad ſalutem, quoniam febricitabat, & Anaxion libro 3. eiuſ-

dem

dem operis ſect. 3. præter ſputorum reiectionẽ,
criſim per ſudorem eſt paſſus, vt à febre libera-
retur, ità vnumquodque ſuum computum ac nu
merum dierum habet, ſiue febris antecedat, ſi-
ue ſequatur, vt etiam in vulneribus fit. Pari igi-
tur modo in partu, & in febre à partu fieri de-
bet. Habet enim partus ſuum iudicium, nimi-
rum congruam ac decentem purgationem, quæ
in aliquibus terminatur quarta die, alijs ſepti-
ma, veluti nonnullis decima quarta, & ità in
quolibet alio die optimo, licèt nullus terminus
in hac purgatione præſcribi poſsit. Sat eſt in-
telligere partum illum eſſe morbum, & iudica-
ri per purgationem, quę paulatim in melius ſem
per tendere debet, quæ ſi retineatur non ſolum
morbus, ſed etiam & mors continget, vt acci-
dit vxori Philini. De qua Galenus ſic inquit,
mulieri enim huic ex retenta à partu purgatio-
ne, & morbus cõſtitit, & mors. Quòd ſic Hippo
crates huius mulieris hiſtoriam enarrans, in-
quit, purgatam ex præſcripto naturæ, fuiſſe, di-
cendum eſt, hoc in primis diebus fuiſſe factum,
nam decima quarta die, vt ipſe inquit, purga-
tio deſita eſt. Non eſt igitur cur aliquis in intel
ligendo hoc Hippocratis loco, excrucietur. Par
tus igitur criſis, eſt purgatio: cui ſi febris ſequa
tur, requiritur altera criſis. Veluti curatio par-
tus, diuerſa eſt à curatione febris: ab vtroq; igi-
tur numerabuntur dies, à partu ſcilicet & fe-
bre,

bre, quia vnumquodque ſuam expoſtulat criſim, ad id tamen, quod magis vrſerit, magis Medicus inſpiciet, altero non neglecto. Vnde non mirum ſi aliquando à partu, aliquando verò à febre initium ſumat Hippocrates computationis dierum. Quando ergo Galenus inquit à partu, & non à febre, id vult docere, à partu fac computationem dierum, & ſi febris ſequatur, non ſolùm ab hac, verùm etiam ab illo, vt cęteri Hippocratis loci declarant. Quare de hac re nemo ampliùs ambigat.

Quòd in iudicatorio die non eſt vtendum medicamentis purgantibus. Cap. VII.

HIPPOCRATES aphor. 20. lib. 1. in hunc modum ſcripſit, Quæ iudicantur, & iudicata ſunt integrè nec mouere, neque nouare aliquid, ſiue medicamentis, ſiue aliter irritando, ſed ſinere oportet. Cùm enim in criſi quædam ſit turbatio, magnaque concertatio eſſe ſoleat, certè ſequitur, vt natura labore conflictata, neque remedia, neque medicamenta, neque irritamenta ferre queat. Itaque cum ſit indicatio, totum negotium eſt naturę committendum, vt ne tu, quidpiam molitus, magis prægraues, aut ad immoderatam euacuationem irrites, atque ita ægroto mortem afferas. Cùm igitur tibi ſit propoſitum, medicamentum dare, quod aluum ſub

ducat,

ducat, caue, ne id facias in morbi exacerbationibus, atque inuaſionibus, & diebus ijs, in quibus fieri iudicationes ſolent: Vis enim medicamenti corrumpitur, quod fortè humores ſurſum vergant, & contrà, quàm vt fieri euacuationem, oporteat. Huc reſpiciens Hippocrates lib. 4. de morbis, dixit in hunc modum, Quicunque iam à febre continua correpti, pharmaco vſi ſunt in diebus paribus, hi nimium purgati nunquam ſunt. Qui verò in diebus imparibus medicamento forti vſi ſunt, nimiũ purgati ſunt. Multi verò etiam perierunt nimium purgati. Proinde priores Medici in hoc maximè peccarunt. Medicamenta enim exhibuerunt in diebus imparibus, & homines perimerũt, nõ ſcientes, quòd hæc res ſe ita habet. Humor enim in corpore ægroti magis turbatur in imparibus diebus, nimirum corpore humorem ad ventriculum tranſmittente. Et ſi quis iam turbatum, adhuc magis perturbet medicamento immiſſo, nihil miri eſt ex talibus hominem perire. Hæc ille. Ex quibus omnibus colligitur, quòd in die iudicatoria non eſt vtendum purgantibus medicamentis, quòd præter id, quod naturam à ſuo munere turbamus, noxam nõ paruam ægrotantibus afferemus. Hac etiam ratione id oſtendi poteſt: aut purgandus eſt humor putreſcens, aut qui nondum putruit. Non humor qui putridus eſt, propterea quòd acceſsionis tempore

re mouetur ab interioribus partibus ad exteriores :;medicamentum autem contrà facit, vt Galenus inquit aphor. 5. lib. 4. Neque etiã purgabitur ea die, qui nondum putruit, quia melius die quietis fiet: nullus ergo humor die acceſſionis erit purgandus, & multò minus in acceſſione, in qua criſis expectatur. Si verò neceſſitas vrgeat, vt vacuare cogaris in exacerbatione, tum ſcito, per ſuperiores eſſe euacuandum, vt per ſanguinis profluuiũ, aut vomitum, aut quid huiuſmodi. Cùm verò exacerbatio deſierit, tunc per inferiora euacuabis, vt per vrinam, aut per ſedem, & eiuſmodi loca, quemadmodum eſſe accommodatius videbitur, veluti Galenus libr. 2. de hum. com. 13. ſcriptum reliquit. Hæc autem ſunt intelligenda in acceſſionibus, in quibus iudicia expectanda nõ ſunt, quoniam in ijs neque venæ ſectione, neque medicamento vti oportet, ſed totum negotium naturæ permittendum eſt. Purgans igitur medicamentum in diebus decretorijs propinari non debet, neque item eo tempore ſanguis mitti prodeſt, quoniam etſi naturæ magnam vim non inferat, naturæ tamen motum auertit, quem ægrè ferre certum eſt. Hoc in ſtatu prohibetur, quoniam tunc naturam maximè laborare, ac fatigatam eſſe, quã ſæpè inquit Hippocrates: propter quod ne ipſi moleſtiam addamus inedia commendatur. Quod ſi alimentum tantopere officit, magis

gis euacuatio lædet, diebus præſertim iudicato rijs. Vnde non temerè Hippocrates libro 2. de hum. com. 21. non propè iudicationem, ſed longius ab ea purgare conceſſit. Neque omnes iudicatorij dies, dies iudicij ſunt, ſed qui in morborum ſtatibus contingunt, in quibus naturæ & morbi lites apud iudicem (vt progno. 5. lib. 3. vult Galenus) componuntur, atque de eis ſententia fertur. Hoc enim in ſtatu fit, ideò Medicus litis iudex ab omni opere vacare debet, & natura præſertim, cuius res agitur. Hi enim ſunt dies, in quibus excretiones, quæ bonę ſunt fieri, Hippocrates libro de iudicationibus oſtēdit: nam malæ, quæque in morbi gratiam excernuntur, alios dies ſibi vendicant, quemadmodum lib. 3. de diebus decret. cap. 3. Galenus teſtatur. Criſis ergo optima in die iudicatoria neceſſario fieri debet, mala autem & in decretoria & in non decretoria: quod de morte, & ſalute etiam dicendum eſt.

Declarantur cauſæ, cur noſtris temporibus non itâ frequenter contingant criſes, quèmadmodum tempore Hippocratis & Galeni. Cap. VIII.

VNVM autem dolendum maximè eſt, nos, niſi valdè rarò dies decretorios adnumerare perfectè poſſe, cùm magna principij temporis parte tranſacta ab omnibus ferè vocemur ęgrotis,

tis, aut ſi opportunè accerſimur, quamuis diligenter ſingula inueſtigamus, ad interrogata tamen ſæpènumerò illi neſciunt reſpõdere, etiam ſi idiotæ non ſint, & tamen in morborum acutorum curationibus ij maximè neceſſarij ſunt, vt ſuprà oſtenſum eſt. Et hæc vna cauſa eſt, quare criſes non manifeſtæ appareant, quæ in omni morbo acuto fieri non ſemper eſt opus, ſed quandoque paulatim ac ſenſim, qui morbum generant humores diſcutiuntur, vt ſæpe euenire videmus. Et licèt à Medico principium morbi cognoſcatur, adhuc tamen criſes bonæ impediuntur medicamentis purgantibus temerè & intempeſtiuè exhibitis, cibis etiam nimijs, & alijs rebus non naturalibus præpoſtere, & non vt decet, adminiſtratis. Adhæc varia ægrorum in ſe peccata, Medicorumque, ſi Medici appellandi ſunt, non artis corruptores, qui hoc ſeculo permulti ſunt. Nec minus illa, quæ ęgris propter miniſterium, & illa, quæ extrinſecus accidunt nonnunquam. Quæ nam igitur ſunt quæ committuntur peccata, declarat Galenus cap. 11. lib. 1. de diebus decretorijs, ità dicens, Quædam ſanè ab ipſo ægroto, videlicet: quædam à Medicis his admirandis, putantibus, niſi quis introgreſſus ad ęgrum, deinde ſuccingens ſe uel cataplaſma impoſuerit, vel perfuderit, aduſſerit, vel clyſterem indiderit, vel venam inciderit, vel cucurbitulas adiunxerit, vel confricuerit,

elv

vel nutriuerit, aut huiuſmodi aliud factitauerit nihil ab ipſo geſtum eſſe artificioſum: hi enim quoties ad ægrum accedunt, toties peccant. Nõ igitur iudicium in ſeptimo die, ad quem paratum erat, fieri poteſt, tot intereà erroribas admisſis. Quandoquidem naturæ motus ſtatutis periodis pro ſui ratione contingit: interim ab exterioribus peccatis circuitus ſeruare prohibetur. Sic itaque Hippocrates vndequaque admirabilis inquit, Natura omnino ſufficit. Peccatur in hanc extrinſecus cataplaſmate, inunctione, & totius, & partis inſperſione. Sic etiam Medicum naturæ miniſtrum appellat, re vera Medicum, non pharmacopolam quendam ex triuio. Tantum enim hic à iuſta naturæ miniſtri appellatione abeſt, vt etiam maximè contrarium nomen ipſi magis conueniat: inimico videlicet, & naturæ ipſius, & ægrotantium hoſti iure appellato. Quapropter nos meritò, cùm quiſpiam de ægro aliquo euentum iubet prædicere, cum diſtinctione id facimus, dicentes: Huic morbus ſoluitur iſto die, primum ſi victus ratione à nobis, non alio quodam Medico regatur: deinde ſi nihil peccet, & faciat quæ iniunguntur, omnia: poſtremo ſi nullus magnus extrinſecus error admiſſus fuerit. Quæ iam exteriora peccata ſint (quoniam hoc quoque diffinire pollicitus ſum) opportunum erit dicere. Vt, ſi æger incendio domus accidente, aut latronibus inua-

dentibus, aut fluuio inundante, ſubitò cogatur fugere, quanta ei noxa aduenerit, quorſum attinet referre? Simili modo, ſi tegmen aliquod delapſum vel parietem ſentiens extimeſcat, ſimul & fugam repente moliatur; item, ſi per regulam quippiam defluat, vel pluuia copioſior oborta capiti ægrotantis incidat, vel alius etiam quomodocunque ipſum irrigauerit, vt locum mutare, vigil eſſe, & timere cogatur, & hoc non mediocrem ipſi offenſam inducit. Eodem pacto vicinorum tumultus, vel alia quædam talis vigiliȩ cauſa eueniens, aut nuncium aliquod triſte, pro noxæ ipſius magnitudine etiã prædictionis perfectionem corrumpit. Vigiliȩ ſiquidem propter ipſum morbum intra prædictionem, & criſim ægris aduenientes, nihil præſagia offendunt. Quæ vero extrinſecus inopinata eueniunt, horum nihil Medicus prȩcognoſcit: vnde nec futuram inde offenſam conijcere poteſt, nec prædictioni ſecundum morbi rationem factæ adijcere. Hæc itaque ipſa Hippocrates ſtatim in Aphoriſmorum principio præcipit, inquiens, Oportet non ſolùm ipſum, quæ res poſtulat, facere, verùm etiam ægrum, aſsidentes, & exteriora. Si nanque, ait, diſquirere quippiam & indagare ex noſtris cogitas, ipſe primùm opportuna facito vniuerſa. Deinde æger in omnibus præcipienti obtemperet, nihilque ex intemperantia peccet. Poſteà ij, qui adſunt ei, nihil erroris

com-

committant, vt vel iram ob delicta concitent, vel triſtitiam ex intempeſtiuis nuncijs afferant; vel offenſam, quòd imperfectius in re adminiſtranda ſe gerant: ſed apparatus omnis ante iudicij tempus promptè ſtatuatur. Obſonia pulchrè parentur: miniſterium inculpatè exhibeatur. Inſuper quartum genus eorum, de quibus rationem habendam iuſſit, appoſuit: nominat ipſum vno complexus nomine, exteriora, multiforme licet exiſtat: atque hoc culpa vacet. Etenim pluuiæ, tonitrua, fulgura, vicinorum tumultus, canum latratus, inſultus latronum, domus ruina, defluens aqua, fluuius irruens, incendia, ictus, atque eius generis vniuerſa exterioribus attribuuntur. Hæc igitur quatuor genera, quorum partes etiam ſunt diuerſæ, dum naturæ motus impediunt, ſubinde circuituum ordinem deſtruunt: quoniam, vbi quartus dies euidens iudicij ſignum attulerit: ſi neque Medicus quid peccauerit, neque æger, neque miniſtrorum quiſquam, immo, ſi neque extrinſecus error admiſſus ſit, ſeptimo die neceſſario criſis futura eſt. Hactenus ergo demonſtrauimus quibus de cauſis futura impediatur criſis, quarum præcipuam maximè à Medico pendet. Hinc eſt, quòd cum Hippocrates verus fuiſſet imitator naturæ, perinde & Galenus, criſes non impediebant, ſed potiùs cum ſumma prudentia expectabant, vt ex libris de mor

bis vulgaribus conſtat. Noſtrates verò Medici, tantum abeſt, vt eas expectent (tanta eſt eorum imprudentia) vt potius perturbent, ſuis remedijs temerè adhibitis: qui, vt videantur aliquid ſemper noui facere, nunquam ad ægrotos accedunt, quin remedia aliquot adhibeant, quibus & naturam impediunt, & eandem adeò fatigant, vt pugnam aduerſus morbum committere non valeat. Parum enim conſiderant illud Hippocratis dictum, Optimum medicamentum eſt nihil dare: & illud, Si non profis, ſaltem ne noceas: & illud quoque, Natura ſufficit. Præſtaret igitur aliquando ſolam relinquere naturam, quàm imprudenter eam adiuuare, ne dicam impedire ac perturbare, vt plerique Medicorum faciunt, quorum errores natura fortis occultat, ac corrigit: quæ ſi ipſa clamaſſet, proh dolor, quàm pauci Medici, qui re vera tales eſſent, inuenirentur. Alij autem præueniunt ac prærumpunt criſim in principio euacuantes humores, cum quibus ſimul idonei cum ijs, qui lædunt, excernuntur, vt Galenus cap. 8. libro 3. de diebus decret. aduertit. Concocta enim medicanda ſunt, vt ſæpè proclamat Hippocrates. Concocta quoque iudicanda, ſi quidem prius natura concoquit, deinde ſecernit, poſtremò expellit. Verum cogitur interdum ea, quæ moleſta ſunt, ante perfectam concoctionem amoliri: ſicuti

etiam

etiam interdum concoctione iam abſoluta moratur, & præ imbecillitate lentè ad munus obeundum progreditur. Facultas igitur quæ aliena expellit, ea eſt, quæ iudicationes in morbis facit. Proinde, cum omnia ea, quæ in animante ſunt, iam concocta ſint, tunc optimæ iudicationes fiunt. Priùs autem expelli, ac iudicationem præuenire malum eſt: propterea quòd cum ijs, quæ noxia ſunt, etiam vtilia excernantur. Id quod fieri ſolet, cùm natura vel à Medico, vel ab ijs, quæ corpore continentur, irritetur. Quanquam non Medicus ſolus afferre cauſam erroris poſſit, ſi quid minus rectè fecerit, ſed etiam ægrotus, & miniſtri, & alia, quæ propriè externa appellantur: vt in ipſo corpore offendunt morbi, cauſæ, & acceſſiones. Ac ſi acceſſio ſit, quæ naturam ſtimulet, nullam quietem, nullamque moram concedit, ſed excitat, mouetque, & tanquam ad pugnam prouocat. Quemadmodum igitur natura preſſa magna vi excrementorum, & humorum infeſtantium cogitur ſæpènumerò eos extrudere, idque malum eſt, ſi id antequam concocti humores ſint, & ante tempus iudicationis faciat, ità noſtrum erratum iudicandum eſt, ſi idem propè iudicationem fecerimus. Quocirca expectandum eſt, vt longiùs à iudicatione id fiat, vt ſi natura nihil tūc fecerit, nos faciamus: quod non bonum ſit, ſi prius expurges. Quomodo

ergo (inſtabit quiſpiam) Hippocrates apho. 29. libro 2. dixit, Incohantibus morbis ſi quid videtur mouendum, moue: vbi nomine motus, Galeno authore, & venæ ſectionem & purgans medicamentum intellexit? Adde etiam, quòd fatetur Galenus ſola venæ ſectione multas febres ante criſim iugulaſſe, in libr. de morbis medendis. Item nos medicamentis purgantibus non raró cum magna medicinæ laude, & ægrotantium commodo idem præſtitimus. Ergo ante criſim ex Hippocrate & Galeno, monente ratione & experientia, tutò poſſumus vti euacuationibus, quæ aliquando omnino tollunt morbum, aliquando verò ſunt cauſæ, vt commodiùs & faciliùs criſes contingant, vt quàm ſæpè experti ſumus. Dicendum eſt, quòd in plenitudine humorum, neceſſe eſt, partem illius deponere prædictis euacuationibus: idque ante criſim optimè exerceri. Leuata nanque, quæ noſtrum corpus regit, natura, exonerataq; eo, quo velut ſarcina, premitur, haud ægrè, quod reliquum eſt, vincet. Itaque proprij muneris haud oblita & coquet, quod concoqui eſt habile, & excernet, quod poteſt excerni: vt Galenus capit. 15. libro 11. de morbis medendis ſcriptum reliquit. In acutis etiam morbis in principio medicamento purgante vti poſſumus, ſi turgeant. Idque erit magna animaduerſione faciendum: ſi quidem non me-
dio-

diocre periculum impendet, ſi quis in morbo acuto malè medicetur. Debet enim Medicus hoc attendere, vt æger maiorem fructum ex noxiorum humorum euacuatione ferat, quàm noxam, qua corpora à medicamentis purgantibus neceſſariò afficiuntur. Erit autem maior vtilitas, ſi omnis humor moleſtus cum tolerandi facilitate, ac ſine moleſtia euacuetur. Sed de ijs in libris de morbis medendis multa diximus.

Quòd dies impares ſint fortiores in iudicando & ſecuriores paribus. Cap. IX.

HIPPOCRATES lib. 4. de ratione victus. text. 56. inquit, Maximè vero numerus impar eſt obſeruandus. Nempe hi dies in hanc, vel illam declinantes partem reddunt: id eſt, mortem, vel vitam præſagiunt. Cuius ſanè ſententiæ ratio eſt, quia morbi acuti plærunque ex bile fiunt, qui per impares dies ſuas efficiunt acceſſiones, in quibus quoque iudicia fieri debent. Vnde Hippocrates ipſe apho. 61. libro 4. dixit, Febricitantem, niſi diebus imparibus febris dimiſerit, reuerti ſolet. Quod etiam apho. 29. & 36. eiuſdem libri, ſcripſerat. Et Galenus capit. 8. libro 3. de diebus decretorijs de hac re agens, ſic ſcripſit, Vnum iam ex illis, quæ naturam ſtimulant, & veluti prouocant, acceſſio eſt, nullam quietem, nec moram concedens, verum incitans, mouenſque, & veluti

dixeris, pugnam indicens. Vnde acutorum morborum in diebus imparibus iudicium contingit: in his enim & acceſſiones. Quæ igitur cauſa ſit, ob quam in acutis morbis tertio quoque die plurimum acceſſiones fiant: in longis autem, vel quotidie, vel quarto, non promptum eſt inuenire, nec in præſentia diſquirere neceſſarium. Quod verò ſic eueniunt, oculis vſurpare licet. Si enim ponamus, vt etiam apparent, ſecunda ab initio acceſſio ad tertium diem delabetur, tertia ad quintum, quarta ad ſeptimum, quinta ad nonum: omnes autem in impares incidunt. Cùm ergò natura non conuenienti ſemper tempore de morbis decernat, ſed concitata plerunque alias ab alijs cauſis, à quibus acceſſio in morbis acutis maximè continua redditur (oſtenſa verò eſt in imparés incidere) in imparibus acutorum morborum plurima iudicia fieri ratio eſt. At dies ipſi primariam decernendi virtutem non habent (ſemper enim huic animum adhibere oportet) ſed per accidens aliquod ſic eueniunt. Prædixit, opinor, manifeſto iam hoc accidens: ſiquidem ratione, qua morborum iudicia frequentiſſima in acceſſionibus accidunt: hæ autem in dies impares incidunt: eadem in morbis acutis imparibus diebus iudicia contingunt. At, ſi dierum numerus ipſe decernẽdi facultatẽ haberet, nõ frequenter diebus imparib. raró paribus, verũ perpetuò imparibus,

ribus, nunquam paribus de acutis morbis iudicium fieri oporteret. Hæc ille. Quibus clarè docuit morbos acutos imparibus, diutinos verò paribus terminari: quod etiam aduertit Galenus in lib. breuis denot. dog. Hippocratis. Quod ſi morbi acuti paribus exacerbentur, vt in illis ſymptomata creſcãt, & acceſſiones, fiũt diuturni, aut citò perimũt, vt Galenus lib. 1. de morbis vulg. ſect. 2. cõm. 75. ſic inquit, Iam acceſſiones cum diebus paribus fiunt à principio ſtatim, interim ad ſextum diem peſſimum iudicium fore prænunciant: interim in longum producendum morbum. At ſiquidem admodũ moueantur, quarto die prauam habente acceſſionem, ad diem ſextum de vita decedunt. Et lib. 3. de morb. vulga. ſect. 3. tex. 36. inquit Hippocrates. Acceſſiones plerique diebus paribus habebant. Galenus in cõmen. ait, Et hoc quoque inter rara eſt. Nam febres ardentes ſolent adeoq; omnes, ità vt illæ, morbi multum acuti, accedere diebus imparib. Et lib. 4. de ratione victus, tex. 68. dixit, Pernicioſas eſſe iudicationes, quæ diebus paribus fiunt. Itẽ apho. 36. lib. 4. inquit Galenus, Pares dies ſi habeant vehementiores acceſsiones, morbus eſt longus: in quibus non fit perfecta iudicatio, vt idem inquit aphor. 20. lib. 1. Denique, quæ diebus paribus accedunt, paribus iudicantur: quorum verò ſunt in imparibus acceſsiones, imparibus iudicãtur, vt Hip-

pocrates

pocrates lib. 1. de morbis vulga. ſect. 3. text. 13. tradidit. Sed quæſtio oritur: quum iudicatio ſemper in critico die, id eſt impari fiat, cur in quartodecimo, qui eſt par, non verò impar, fieri dicat? Cui reſpondendum, quod ſeptem, & ſeptem quatuordecim fiunt, qui vtique ſequeſtrati impares sũt, hoc eſt, duæ ſeptimanæ. Hinc Galenus lib. 4. de ratione victus cõm. 56. poſtquam numerauit vigeſimum, trigeſimum quartum, & quadrageſimum, ſubiunxit, Impares autem & hi. Quem locum latius & ipſe Galenus explicat lib. de hum. cõm. 2. tex. 19. & 20 Si morbi acuti, dicet quiſpiam, acceſſiones per impares habent, vt dictum eſt, potius finientur in decima tertia, quàm in decima quarta die. Niſi eſſet, quòd in decima tertia incipit criſis, & decima quarta finitur.

Mortis dies, & hora, vt præcognoſcenda. Cap. X.

MORTIS quidem dies, vt Galenus cap. 10. lib. 3. de criſ. docet, præcognoſcitur, vbi quanto morbus naturam ſuperet, conſiderabimus, & grauiores acceſſiones inſpexerimus. Si enim morbus plurimùm ſuperauerit, & parum admodum vis naturæ, reſiſtere videatur, mors haud diu aberit. Si verò quoque acciderit, vt morbus quidem virtutem ſuperet, non tamen

plurimùm

plurimùm, & virtus admodum reſiſtat, tardiùs mors ſequetur. Sed demus exceſſum illum, quo morbus naturã ſuperat, eſſe ſatis magnũ, quomodo tunc ſcire poterit Medicus num mors vnum diem, vel duos prorogetur? Ex acceſsionum vtique circuitibus. Nam quo die futura eſt acceſſio, eo etiã morietur æger. Porrò qua diei hora mors eueniet facilè dignoſces, ſi quo morbi tempore moriatur ęger memineris. Nam qui per acceſsiones affligunt morbi, in principio quando materiæ multitudo & craſsitudo ad interiora mouetur, occidẽt, quòd ſcilicet, hoc tẽpore natiuus calor ſuffocetur. Si verò eo tẽpore magis infeſtent acceſsiones, quo iam ad exteriora morbus vergit, in augmento, vel vigore, nempe quando morbus vehementiſſimè moleſtat, ægrotus morietur. Quod ſi ex diſſolutione mors continget, ea in declinatione expectãda. Quapropter eos, quos deterius afficit prima acceſsionis pars, per febres, quæ cum rigore infeſtant, in ipſo frigore mors excipit. Qui autem grauius habẽt, quum calor affligit, in ipſo augmento, vel vigore acceſsionis moriuntur. In quibus verò emanãt ſudores pernicioſi, aut per inſenſilem trãſpirationem corpus diſcutitur ac diſsipatur, in illis, vbi calor ſe remittit, mors accidit. Quòd ſi acceſsionis tempora obſeruentur, quonam die quave nocte acceſsio grauior, ac maior fiat, & qua eiuſdem hora grauius

moleſtet, facilè mortis hora prædicetur. Ea.n. die, aut nocte, qua maior eſt acceſsio, ęgrũ perimet, & in ea acceſsionis hora, in qua anteà per alias acceſſiones illũ grauiùs afflixit. At ſi morbi per acceſſiones non vrgent, certiùs nihil ſciri poteſt, niſi quòd ea hora expectanda mors eſt, in qua æger grauius ſe habere conſueuit, & deteriora illi affuerunt ſymptomata. Qui igitur morbi intra diem decimum quartum terminũ habent, vt motus velocitate præſtant, ita & motus vehementes faciunt per criſim. Nam & morbi ſæpè ſubito ſoluuntur, & magna cum conflictatione. Ab his quoque magis diſceditur, eò & languet magis criticus motus. Tres itaq; dierum ordines ſtatuere cõuenit, facilioris doctrinæ gratia. Primus eorum ſit, qui intra decimũ quartum comprehenduntur: ſecundum eorum, qui intra vigeſimum: tertius ad quadrageſimũ extendatur. Nam morbi, qui vltra hunc terminum extenduntur, rarò criſi finiuntur. Nã plerunque per concoctionem finiuntur. Quòd ſi quando criſis fiat per abſceſſum, multum à prioribus degenerabit. Nam primum abſceſſu potiùs fiet, quàm excretione, neque adeò grandẽ perturbationem inuehet. Quòd ſi excretione aliquando fiat, neque illa vehemens erit, nec ſubitam morbi ſolutionem faciet, ſed ſæpius imperfecta erit, & multos durabit dies. Contingit quidem (quãquam rarò) quod & nos fatemur,

in

in longis quoque morbis ſubitas, & vehementi motu ſolutiones fieri. Cæterùm in ijs ſolis, qui ex multis morbi remiſsionibus, & repetitionibus in longum tempus protractis tandem criſi ſoluuntur. Atqui neceſſariò eueniet, vt aliquot dierum periodis anteà vehementes euadant, ac velocitatem acquirant motus acutorum inſtar, febresq́ue & ſymptomata ſuperueniant his ſimilia: vt verè dici poſsit, hos tunc acutos eſſe cœpiſſe. At illud perpetuum verum ſit in ſolis acutis morbis, validas, ſubitasq́ue mutationes fieri.

DE OPTIMA PRAEDICENDI RATIONE,

LIBER VI.

LVDOVICO LEMOSIO AVTHORE.

De cauſis dierum criticorum.

Quòd numerus non ſit cauſa dierum criticorum. Cap. I.

MVLTI ſunt, & illi viri doctiſsimi, qui cauſam dierum criticorum ad vim, & potentiã numeri imparis retulerunt: ideoque dies impares, veluti tertium, quintũ, ſeptimum, nonum, & alios eius generis iudicatorios eſſe, dixere. Imparẽ enim perfectum, parem verò imperfectum eſſe dicũt: & parem quidem formæ, imparem verò rationem materiæ obtinere: & imparem numerum marem, & parem fœminam vocari. Nãque illi

imparem

imparem patris, & parem matris appellatione venerantur, veluti Macrobius libro 1. in ſomn. Scip. cap. 6. refert. Atq; ideò dixiſſe Vergilium,

-- Numero Deus impare gaudet.

Itaque cùm ſeptenarius, & nouenarius impares ſint, & proinde perfecti, iudicari in illis, & abſolui morbos acutos, aiunt. Quia verò octonarius ſit par, hinc fieri, vt octauo die nemo iudicatus viuat. Plinius quoque lib. 28. cap. 2. inquit, Cur impares numeros ad omnia vehementiores credimus: idque in febribus dierum obſeruatione intelligitur. Cæterùm ex ijs diebus imparibus maximus dies ſeptimus eſt, vt de eo dixerit M. Tullius in ſomnio Scipionis, ſeptimus numerus omnium rerum nodus eſt. Linus quoque Poeta antiquiſsimus ſic cecinit,

Septima cum venit lux, cuncta abſoluere cœpit
Omnipotens pater, atque bonis, & ſeptima, & ipſa
Eſt etiam rerum cunctarum ſeptima origo.
Septima prima eadem, perfecta & ſeptima ſeptem.
Vnde etiam cœlum ſtellis errantibus altum
Voluitur, & circlis totidem circum vndiq; fertur.

Macrobius multa de ſeptenario ex partibus, unitate, & ſenario, binario, & quinario, ternario, & quaternario, quarum partium perfectionem omnem vult etiã ſeptenario contineri, tum multa colligit genera rerum ſeptenario comprehenſarum, conceptionem hominis ſeptem horis, ſeptem diebus formationem, ſeptem menſibus

partum,

partum, multaq; alia per bis, ter, quater, quinquies, ſexies, ſepties, octies, decies ſeptena. Deinde ad ſimplices ſeptenarios reuertitur. Nigra membra hominis dicit eſſe ſeptem, linguã, cor, pulmonem, iecur, lienem, & renes duos: item ſeptem cibi, & ſpiritus membra, guttur, ſtomachum, aluum, veſicã, inteſtina principalia tria: ſeptem organa ſenſuum, linguam, oculos, nares, aures: ac pleraq; eiuſmodi addit, & animam mundanam ab illo Deo Platonico ſeptenis numerorum limitibus eſſe compoſitam, & ſeptem planetas, & quater ſeptenis diebus curſum lunæ diſtingui, & bis ſeptenis Oceani motus: denique hunc numerum Palladi ſacrum; quia neque gignatur niſi ab vno, vt Pallas à ſolo patre Ioue abſque mulieris ſemine. Et hunc locũ declarat Ludouicus Cęlius lib. 4. antiq. lect. c. 24. Similia quædam apud Cenſorinum de die natali recenſentur, quòd per omnem vitam ſeptimus quiſque annus ſit criſimus, & periculoſus, & climatericus vocetur, & alij alijs difficiliores à genethliacis obſeruati ſint. Hinc Auguſtus Cęſar teſte Gellio lib. 15. cap. 7. Sibi gratulatus dicitur, ſuæq; incolumitati abundè proſpectũ exiſtimabat, quòd ætatis annum tertium & ſexageſimum euaſiſſet. Is ſiquidem annus rarò abſq; vitæ periculo tranſigi ſenibus ſolet. Sunt autem duo annorum numeri, ſeptimus & nonus, qui plerunque rerum, vitęq; rationẽ, ac grauia peri

cula

cula inuehunt. Quò fit, vt ſexageſimus tertius, qui vtriuſque numeri multiplicatam, atque inuicem ſibi connexam ſummam continet, non ſine periculorum aceruo ingruat: nouies enim ſeptem, & ſepties nouem, ſexaginta tres conſtituunt, atque ob id climatericus is annus appellatur: quia à ſeptimo orſus, vitam hominis, velut per gradus quoſdam peragrat. Itaque omnes, qui per ſeptem, aut nouem annos conſurgunt, decretorij dicuntur, in quibus magnam mutationem ſubeunt homines: nam vel calumnijs impeti ſolent, vel grauiſſimis morbis deuexari, vel periculis obijci, vel deniq; aliquod perpeti detrimentum, ac iacturam vel facultatum, vel valetudinis. Verùm enim verò ſi hoc negotium de poteſtate numerorum penitius intelligatur, ridiculum eſſe planè intelligemus. Quod reſpiciens Galenus lib. 3. de diebus decretorijs capit. 8. in hunc modum ſcripſit, Non igitur, quòd omnis par numerus fœminam, impar maſculum referat, acutorum iudicia imparibus diebus accidunt: neque enim impar abſolutè pari fortior eſt, neque, ſi fortior, iam fœmininus imbecillior: neque, ſi fœmininus quidem hic, maſculus autem alter ſit, acutos morbos in maſculinis numeris indicari, diuturnos in fœmininis, rationi conſentaneũ eſt. Omnia ſiquidem, quæ de numerorum virtute nugantur, tam facilè abſurda eſſe deprehendimus, vt mihi

ſubindè mirari ſubeat Pythagoram illum tam ſapientem virum numeris tantum tribuiſſe. Item cap. vndecimo eiuſdem libri, inquit, At quid ad rem propoſitam ſpectat, ſi Pleiades ſeptem ſint, Dionem laterali morbo laborantem ſeptimo die de morbo iudicium ſuſtinuiſſe? Etenim aliàs nono, aliàs decimo die criſim habuit. Quid autem ſimilitudinis eſt, ſi ſeptem Nili oſtia, Theonem pulmonis vitio ægrotantem, ſeptimo die ad criſim perueniſſe? Quod etiam illa tam multiplici ſubductione exemplorum credidit Macrobius aliquid ſacrum de numero ſeptenario docuiſſe: cùm plæraque tamen illorum falſa ſint, vt cùm ait, ter ſepteno menſe puerum loqui, & quater ſepteno ambulare, & quinquies ſepteno lac horreſcere, cùm ſæpè illa ante tempus hoc, & poſteà contingant, & illis exemplis quicquid ad huius numeri perfectionem contineri vult, ſuperſtitioſum videatur exiſtimare. Neque ſolùm numerò impari perfectionem tribuunt, ſed etiam pari, vt denario, quem perfectum eſſe credunt, quoniam ipſe numerorum omnium perfectio ſit, & complemẽtum. Neque enim omnes, qui antecedunt numeri, denario maiorem perficere poſſunt: ſed qui denario ſuccedunt, omnes ex decem, & præcedentium aliquo conſtituuntur. Hinc Ariſtoteles ſect. 15. quæſt. 3. rogabat, cur homines omnes, tam Barbari, quàm Græci, ad decem vſ-

que

que enumerare conſueuere, non ad aliquem alium numerum, vt duo, tria, quatuor, quinque, tum repetendo vnum quinque, duo quinque, ſicut vndecim, duodecim: nec verò vltra denarium numerum ceſſantes, inde replicare incipiunt? Eſt enim numerus quiſque, quod præcedit, ac vnum, aut duo, & deinceps quantitas aliqua: enumerant enim ſtatuto termino denarij numeri. Haud enim fortè, caſuq́ue id facere ſemper, omnibusq́ue in rebus putari debent, cum non fortuna, ſed naturalis res ſit, quę ſemper, atque vbique effici ſoleat. Vtrùm quod perfectus numerus denarius ſit? continet enim omnia numerandi genera, vt par, quadratum, quadrantale, longum, planum, primum, compoſitum. An quòd denarius fons, atque principium eſt, quippe qui ex vno, duobus, tribus, & quatuor conſtet? An quia corpora, quæ feruntur, numero nouenario continentur? An quoniam decem proportionibus, quatuor cubales numeri conſumantur, è quibus numeris vniuerſum conſtare Pythagoreis placet? An quòd omnes homines digitis decē lege naturali creātur: itaque ſui numeri calculos quaſi adipiſcentes hac eadem multitudine cætera quoque numerantur? Vna gens quædam Thracum ad quatuor numerandi ſeriem terminat, eò quòd amplius meminiſſe modò puerorum non poteſt, neque vſum habet rerum multarum. Hæc ille.

Plato quoque in Tymæo octonarium plenum facit, quia abſoluit numerum cęlorum, qui mouentur, qui octo ſunt. Philo libro de opificio Dei, numerum ſenarium eſſe perfectiſsimum cenſet, ideò in eo mundum perfeciſſe, Deum Opt. Max. tradidit Diuus Auguſtinus lib. 11. de ciuitate Dei, cap. 30. in hunc modum de hoc numero ſcribit, Hæc autem propter ſenarij numeri perfectionem, eodem die ſexies repetita, ſex diebus perfecta narrantur: non quia Deo neceſſaria fuerit mora temporum, quaſi qui non potuerit creare omnia ſimul, quæ deinceps congruis motibus peragerent tempora, ſed quia per ſenarium numerum eſt operum ſignificata perfectio. Numerus quippe ſenarius primus completur ſuis partibus, ideſt, ſexta ſui parte, & tertia, & dimidia: quæ ſunt vnum, & duo, & tria: quæ in ſummam ducta, ſex fiunt. Hactenus Auguſtinus. Ex omnibus ergo dictis conſtat vtrobique perfectionem reperiri, in numeris ſcilicet paribus, & imparibus: quare non eſt aſſerendum dies impares eſſe authores dierum criticorum, quòd perfectiores ſint, cùm in paribus eadem perfectio reperiatur, vt probatum eſt. Item fieret, vt in paribus nunquàm contingerent criſes perfectè, quod falſum eſſe quotidiana experientia demonſtrat, in ijs morbis, qui per pares acceſſiones habent: præterea eadem ratione impares horæ diei decretoriæ eſſent: &

cùm à quacunque poſſet numerus incipere, fierent omnes horæ decretoriæ, vel non decretoriæ: quod cùm abſurdum ſit, ad imparem numerum cauſa dierum criticorum minimè poteſt referri. Interpretanda tamen ſunt verba Diui Auguſtini loco ſuprà citato, vbi ità inquit, Vnde ratio numeri contemnenda non eſt, quæ in multis ſanctarum ſcripturarum locis, quàm magni æſtimanda ſit, elucet diligenter intuentibus. Nec fruſtrà in laudibus Dei dictum eſt: Omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti. Primùm dico, omnia eſſe numero diſpoſita, id eſt perfectione, & limitibus certis, ac determinatis. Deinde dicendum numerum duplicem eſſe ex Ariſtotele capit. 12. libro 4. Phyſic. vnum numeratum, & alterum numerantem. Numerus numeratus, quem alioqui materialem vocant, eſt planè res, vel multitudo numerata, vt exercitus, populus, nũmus. At numerus numerans, quem alioqui formalem vocant, bifariam dicitur: nam alius eſt principalis, vt anima ipſa numerans, & diſcernens à ſe inuicem omnia & ſingula, & quidem ſola anima hominis: bruta enim nihil numerant. Alius eſt numerus medius, quo tanquam inſtrumento anima noſtra numerat, qui eſt numeri ſymbolum, vt vnum, duo, tria, quatuor: & hic vocatur mathematicus numerus, quantitas ſcilicet collecta ex multis vnitatibus: ſicut linea eſt colle-

cta ex multis punctis continuis. Quando ergo diuina ſcriptura inquit, Omnia Deum numero diſpoſuiſſe.intellexit numero numerato,& non de numero numerante mathematico, qui accidens eſt, & nullius actionis cauſa, quam in noſtra diſputatione inquirimus. Nunc qua ratione per illos annorum circuitus, qui climaterici dicuntur, morbi plerunque incrudeſcant, interpretandum eſt. Ego eò id euenire conijcio, quòd certis annorum periodis corpus humanum magnam humorum collectionem, ac redundantiam congeſſerit, quorum motu atque agitatione morbi excitantur. Cùm enim natura ad immodicam repletionem deuenerit, ac conceptacula humorum plenitudinem perferre nequeant, in morbum erumpere neceſſe eſt. Quamobrem omne ſtudium, operamque conferre expedit ad materiæ exuperantis euacuationem, quod ſemper Vere & Autumno vel inciſione venæ, vel purgantibus medimamentis moliendum eſt. Hac enim ratione effeceris, vt poſt ſeptennale curriculum, aut in quem alium annus climatericus inciderit, morbum non metuas, aut aliquam corporis permutationem pertimeſcas. Ex hac annorum obſeruatione mos inoleuit apud pleraſque gentes, vt herus fundique dominus nouos contractus ineat cum colonis ſeptimo quoque anno. Eadem ratione ſylue ex ſalice, alno, populo alba & nigra, omnibuſque

que

que arbuſtis, quæ vdo molliq́ue ligno conſtant, quarto quoque anno cædi ſolent: quæ verò ex dura materia conſiſtunt, vt ſunt quercus, ilex, vlmus, fraxinus, ſeptimo, aut nono mutilari, trũcariq́ue poſtulant. Hæc autem non numero mathematico ſunt tribuenda, ſed terminis ab ipſa natura præſcriptis. Nam mathematicus ille numerus intelligibilis ſolùm eſt, vt capit. 23. libro primo poſt. indicat Ariſtoteles: alius verò ſub ſenſum cadit. Quocirca quæ de illius numeri virtute nugantur multi, tam facilè abſurda eſſe deprehenduntur, vt doctiſſimis pleriſque viris, & Galeno Pythagoras ille vir tam ſapiens omnibus ferè ſæculis habitus, magnam admirationem excitarit, quòd numeris tantum tribuiſſe videatur. Neque enim ex illis vlla demonſtratio ſcientifica haberi poteſt: ſiquidem omnia illorum placita planè incerta ſunt. Cur enim monadem formam, dualitatem verò materiã quandam infinitam appellent, cur parem fœminam, imparem maſculum ſtatuant? Quin & numeris quibuſdam Mineruæ, Dianæ, atque Apollinis nomen tribuunt, prout quemque minus magiſve laudare, vel etiam vituperare libitum eſt? Quod ſanè volenti perfacile eſt: atque ideò parum firma ſunt, imò verò inepta eorum dogmata. Quamobrem illis relictis veritatem ipſam meliori ratione, modoq́ue exploremus.

Declarantur aliquot hypotheſes ex Galeno ad ipſius ſententiam explicandam. Cap. II.

GALENVS in principio libr. 3. de diebus decret. conatur reddere cauſam dierum criticorum, & ad illam inueſtigandam præmittit poſtulatum quoddam, duplicem ſcilicet eſſe motum, vnum ordinatum, & alterum inordinatum. Illum à cauſa ſuperiori proficiſci exiſtimat, veluti hunc à cauſa inferiori. Cùmque dies decretorij inhæreant ordini, intercidentes verò minimè: cauſa illorum ad ſuperiora referenda eſt, ſicuti iſtorum ad inferiora. Cum enim varietatis cauſa ſit contrarietas, & miſtio in agente & patiente, neceſſarium eſt, ut in miſtis inanimatis plurima reperiatur varietas, tum ratione agentis, tum quoque patientis ratione. In facultatibus autem naturalibus, licèt ex parte patientis varietas inueniatur, cuius cauſa monſtra quandoque procreantur, ex parte agentis illa non contingunt, quoniam facultas naturalis ex ſe ſemper vnum operatur. Cæterùm corpora cęleſtia neque ex parte mouentis intelligentiæ neque ex parte cœli moti variantur, idcircò motus ſuperiorum vniformis eſt, vt latè probat Ariſtoteles capit. ſexto libro 1. de cœlo. Nam erratici Planetæ ſic dicuntur, quia non ſeruant æqualitatem motus vnius diei ad alterum: ſer-

uant autem vnius periodi ad ſequentem ordinem: cùm nulla errent minùs illis, vt inquit Plinius libro 2. cap. ſexto. M. Tullius libro 2. de natura deorum, ait, falsò ſtellas errantes appellari, quoniam nihil errat, quod in omni æternitate ſeruat progreſſus, & receſſus reliquosque motus conſtantes, & ratos. Errare tamen, inquit, videntur, quia tum occultantur, tum rurſus aperiuntur, tum abeunt, tum recedunt, tum antecedunt, tum ſubſequuntur, tum celeriter mouentur, tum tardiùs, tum omnino ne mouentur quidem, ſed ad quoddam tempus conſiſtũt. Addit quoque Galenus omnia aſtra in nos operari, calore, lumine, & influentijs, quod ipſe multis experientijs probat. Porrò calor à cœleſtibus corporibus in hæc inferiora tranſmiſſus à motu cœleſtium corporum originem habet. Neque Ariſtotelis ſententia huiuſce caloris cauſa alia eſt præter motum cęleſtium corporum, ac potiſſimum ſolis, vt ipſe docet capit. 3. libro 1. Meteo. & capit. 7. libr. 2. de cęlo, vbi calorem hunc non vult cęlo, vel aſtris inſitum: ſed illorum motu in corporibus inferioribus excitari. Solet enim, inquit, motu, ac conflictu ex lignis & lapidibus & ferro ignis elici, & tela celeri per aerem agitatione ità igneſcunt, vt plumbum etiam colliqueſcat. Illud autem primum intelligendum eſt à totius orbis celeri motu non tam cauſari calorem, quàm à corpore ipſius ſolis.

Quan-

Quantò enim ſolidius eſt corpus, quod mouetur, tantò neceſſe eſt vehementiorem calorem à motu cauſari. Vnumquodque autem aſtrum eſt denſior pars ſui orbis, vnde intelligi poteſt ab ipſo aſtrorum corpore magis in inferioribus produci calorem, quàm à reliquis cœli partibus, in quibus nullum eſt aſtrum, licèt tam celeriter moueantur, quàm aſtra ipſa. Facit enim plurimum ad producendum calorem corporis, à quo producitur per motum calor, magnitudo. Habet autem ſol inſignem magnitudinem ſupra reliqua aſtra, vnde fit, vt etiam ſi Venerem, & Mercurium infra ſolem eſſe cum Aſtrologis contra Ariſtotelem dicamus, nihilominus tamen iuſta cauſa reddi poſſet, cur à ſolis motu calor magis producatur, quàm à Veneris, aut Mercurij motu. Quanquam enim Veneris & Mercurij motus ſint celeres, nec ità remoti ab inferioribus, quia tamẽ deeſt magnitudo aſtri, quæ in ſole non deeſt, licèt ſit ab inferioribus remotior, propterea fit, vt à Venere, & Mercurio minus caloris produci exiſtimemus, quàm à Sole, cuius eſt inſignis ſupra alia aſtra magnitudo. Ex ijs facilè ratio reddi poteſt, cur non ſemper ſit æqualis calor in ijs inferioribus, cùm ipſi cœli æquali motu ſemper moueantur. Ratio enim eſt, quia non à cœlo, ſed ab aſtris in cœlis infixis calor producitur: aſtra autem non eodem modo affecta ſunt ad inferiora. Hinc fit,

vt

vt noctes frigidiores ſint diebus, q̃a noctu Sol, à quo maximè calor producitur eſt ſub horizonte. Cur verò eadem die maior ſit calor meridie, quàm mane, aut veſperi, cauſa eſt, quia habitationem noſtram Sol magis rectè reſpicit meridie, quàm mane, aut veſperi: quæ eadem cauſa eſt, cur dies æſtiui calidiores ſint hybernis: quia ſcilicet æſtate Sol ad habitationem noſtram magis accedēs producit in noſtram habitationem radios magis directos, quàm hyeme, quo tempore à nobis maxime recedit. Quod, vt planius intelligatur, paulò altius repetendum eſt. quid ſint illi qui appellantur ſolis radij. In quo primùm intelligendum eſt radios ſolis nō eſſe corpora quædam, etiam ſi tribuatur illis reflexio quaſi corporibus, ſed illi, qui appellantur radij nil aliud ſunt, quã recepta qualitas à Sole producta in aere. Sicut autem accidit eandem aeris partem ab eodem igne vehementiùs calefieri, ſi concluſus eſt aer, ità vt prohibeatur calor, ne poſſit longiùs latiusque diffundi, quàm ſi idē aer minimè concluſus eſſet: idque ex eo accidit quòd calor prohibitus, ne poſſit ſe longiùs diffundere, reflectitur, & quodammodo reciprocatur in idem corpus: ob idque unita qualitas maior fit: ita calorem in aerem receptum vehemētiorem tum fieri intelligendum eſt: quando terra ſeſe offert magis ad prohibendum, ne longius per aerem diffundi calor poſſit. Quanto

au-

autem magis Sol ad vnamquanque habitationem accedit, tantò lineam breuiorem eſſe, neceſſe eſt, quæ intelligatur ducta eſſe à centro Solis ad illam habitationem. Ex quo intelligitur minus eſſe ſpacium, per quod tranſmitti debet calor, tunc cum Sol ad aliquam habitationem magis accedit. Quod ſi minus ſpacium eſt, prohibitus calor ne longiùs diffundatur, vehementiorem faciet calorem per reflexionem, quàm vbi eſt maius ſpacium. Itaque caloris in aere recepti à terra reflexio, cum prohiberi à terra intelligitur, ne vltra ſe in aerē diffundat, ea eſt, quæ appellatur radiorum ſolis reflexio. Et quoniam corpus ſolis globoſum eſſe perſpicuū eſt, palàm eſt eam lineam futuram breuiſſimam, quæ ducetur à centro ſolis ad centrum terræ: ſiquidem ſphæra ſphærę vno tantum puncto maximè appropinquat, vt apparet in contactu duorum globorum, qui ſe in puncto tantùm contingunt. Vnde ſequitur calorem cauſatum à corpore ſolis vehementiorem futurum in ea aeris parte, quæ breuiſſimam lineam occupat, ex his, quæ à ſole ad terram duci intelliguntur. Ex ijs facilè reddi cauſa poteſt cur æſtate ſit vehementior calor, quàm hyeme, quia ſcilicet linea ducta ab illa ſolis parte, quæ eſt terræ propinqua reſpectu noſtræ habitationis breuior eſt æſtate, quàm hyeme. Hinc ſol cum ad nos reddit, gignere dicitur: quia vere fœcundiores rerum

om-

omnium ortus ſunt, quàm reliquis anni tempo ribus: tum enim terra quaſi grauida facta, fructus ſuos æſtate profert, & belluarum pars maxima idem tempus habet ad coitum ſecundum naturam definitum. Quin & in ipſo homine, quem hac in re nulla lege teneri Ariſtoteles ſcri bit lib. 6. de hiſt. anim. tum maior eſt ad Venerem inclinatio, quoniam hoc ſolis reditu, ſpiritus in ſanguine accreſcentes, maiorem adferunt titillationem. Item tranſacta media nocte ægro tantes quieſcunt ex doloribus, & dormiunt occulta vi ſolis iam ad nos accedentis: ex qua vi etiam nonnullæ arbores vigente frigore germinant. Quæ omnia reſpiciens Galenus capit. ſecundo. libr. 3. de diebus decretorijs, dixit, omnium certè ſuperiorum aſtrorum potentia fruimur: verùm ſolis maximè hunc orbem exornat, & concinnè diſponit: quippe veris, æſtatis, autumni, & hyemis author alius nemo extat: nec alius tam manifeſtò, vel ex terreſtri fęce ani malia generare poteſt, neque fruges maturare, neque ad coitum, & generis propagationem animantia prouocare. Et paulò poſt, Vt igitur luna ſolis auxilio in omnibus indiget, ità Sol ad nullam rem maximam, vel alterius cuiuſdam aſtri, vel ipſius lunæ operam deſiderat. A nullo enim impeditur, quo minus æſtatem faciat, cùm in vertice noſtro conſtiterit: aut frigus adducat, ſi humilis eius curſus fuerit: aut æquino-

ctium

ctium vtrunque conſtituat, cùm mediocriter obliquus videtur: ſed ipſe, velut rex quiſpiam maximus, eſt: luna verò, vt princeps non mediocris inter illum, & nos medius conſtitutus terreſtrem regionem meritò gubernat, non potentia cæteros planetas, ſed vicinitate exuperans. De ſole etiam ſic ſcribit Mercurius Triſmegiſtus capit. 5. Pimandri, Sol, inquit, Deus deorum cœleſtium præſtantiſſimus. Soli cœlites reliqui velut principi, regiq́ue parent. Sol tantus terra ſimul amplior, atque mari, minores tamen ſupra ſe ſtellas innumeras, conuerti patitur. Eundem Cicero in ſomn. Scip. appellat ducem, principem, & moderatorem reliquorum luminum, & mundi mentem: qui vt idem ait libro 2. de natura deorum, inflectens curſum ſuum tum ad Septentrionem, tum ad Meridiē: eſtates, & hyemes efficit: & ea duo tempora quorum alterum hyemi ſeneſcenti adiunctum eſt, alterum æſtati. Similis locus apud Plinium capit. 6. libro 2. Sol, inquit, non temporum modò terrarumq́ue, ſed ſyderum etiam ipſorum, cœliq́ue rector: hunc mundi eſſe totius animum, ac planiùs mentem, hunc principale naturæ regimen, ac numen credere decet, opera eius æſtimantes. Hic lucem rebus miniſtrat, aufertq́ue tenebras. Hic reliqua ſydera occultat: hic vices temporum, annumq́ue ſemper renaſcentem, ex vſu naturæ temperat. Hic cœli triſtitiam diſcu-

tit,

tit, atque etiam humani nubila animi ſerenat. Hic ſuum lumen cæteris quoque ſyderibus fœnerat, præclarus, eximius, omnia intuens, omnia etiam exaudiens, vt principi literarum Homero placuiſſe in vno video. Homerus autem libro tertio. Iliados ſic dixit,

Cunctaq; qui cernis, quiq; audis Delphice cuncta.

Calor autem ſolis non eſt confector & conſumptor omnium, vt noſter ignis, qui cuncta diſturbat ac diſſipat, ſed ſalutaris eſt, omnia conſeruat, alit, auget, ſuſtinet, ſenſuq́ue afficit, vt libro 2. de natura deorum, inquit Cicero. Quòd autem de temporum mutationibus ex Aſtrorum varietate dictum eſt: id Chalcidius confirmat, comment. in Tymeum Platonis. Cauſa, inquit, mutationum ex vario motu planetarum eſt. Nam ſi vna eademq́ue eſſet, perinde vt ſtellarum fixarum circumuectio: vnum ſemper eundemq́ue motum obſeruantibus omnibus ſtellis, ne iſta quidem proueniret vlla diuerſitas. At nunc conuerſiones, æquinoctia, proceſſuſq́ue, & regradationes, per latitudinem, perq́ue altum: maxime quidem ſolis & lunæ, tum cæterorum quoque ſiderum, vices temporum mutant, & iſtam adferunt commutationem. Quæ omnia latiſſimè docet Ariſtoteles capit. 10. libro 2. de generat. & corrupt. Id autem, quod de calore ſolis eſt dictum, de lumine etiam ſolis eſt intelligendum propterea quod vnum ab

alte-

altero ſeparari nequit: item & de influentijs, quibuſcum vtrunque ſidus, & cætera corpora cęleſtia in hæc inferiora operantur, vt Ariſtoteles libro 3. de generat. ani. cap. 11. multis exemplis demonſtrat. Cui ſubſcribit Plinius libro ſecundò. capit. 39. qui non planetis ſolum, ſed ſtellis etiam fixis, magnis ſideribus, cœlis, & radiorum cœleſtium permiſtionibus vim quandam, & ſpecificam proprietatem inditam eſſe vult, qua cum lumine ſuo hæc inferiora, ſed non æquè ſemper afficiant. Vult enim Plinius cum Aſtrologis vim illam ne ſui quidem ſemper eſſe ſimilem, aut vno ſemper modo ſeſe rebus exhibere, ſed alias aliter pro ſtellarum ſitu vario, quarum commixtio implexioq; plerunque euariat, quamquam vector ſpiritus, ſeu vis diuinitus in omnes res permeans vna eſt, & impermutabilis ſubſtantia. Sic lunam & alium planetam potenter operari dicunt, ſi in domicilio ſuo ſit in exaltatione, triplicitate, facie, ſi non ſit combuſta, non tarda curſu, non in ecliptica, non denique in puteis. Vnde volunt illi corpora cęleſtia prout fœliciter, vel infęliciter affecta ſunt, ita & nos & noſtra opera, aut cõmodo aut damno afficere. Itaque corpora cęleſtia agunt in hæc inferiora tribus medijs quaſi inſtrumentis. Primò per ſuum motum, quo calefaciunt & fouent, & viuificant hæc inferiora corpora. Secundò lumine ſuo, eò quod lucem omnibus rebus af-

afferant, & tenebras triſtitiamque diſcutiant, & illuſtrent hæc ſublunaria. Tertiò per virtutem & influentiam ſuam. Sanè influentia cęleſtis eſt quædam qualitas immaterialis, & occulta in cœlo, efficax, quæ nequit impediri, quin ſuos effectus præſtet in corporibus compoſitis, pro eorum qnalitate, natura, & habitudine.

Quòd luna habeat à ſole lumen & calorem. Cap. III.

SOlem, Cicero libro 2. de natura deorum, dictum eſſe, ait, vel quia ſolus ex omnibus ſyderibus tantus ſit, vel quia cùm ſit exortus, obſcuratis omnibus ſolus luceat. Quam ſententiam confirmat Macrobius libro 1. in ſomnium Scip. capit. 20. Huius autem ſyderis duo maximi ſunt effectus, quibus conſeruat, gubernat, & viuificat omnia inferiora, calor ſcilicet & lumē. Num verò calor illi actu inſit, an non, philoſophi certant; & adhuc videtur litem ſub iudice eſſe. Ariſtoteles enim lib. 2. de cœlo capit. 7. calorem hunc, quem ſentimus, non vult ſoli eſſe inſitum, ſed illius motu in corporibus inferioribus excitari. Solent enim, inquit, motu ac cōflictu ex lignis & lapidibus & ferro ignis elici, & tela celeri per aerem agitatione ità igneſcūt, vt plumbum etiam colliqueſcat. Quæ ſanè ſententia mihi vera eſſe videtur: quoniam ſi Sol ca-

ſidus eſſet actu, media aeris regio minimè eſſet frigida: immo quàm infima eſſet illa calidior, propterea quòd magis ad calorem accedit, vnde magis calida eſſet. Hoc autem experientiæ & rationi aduerſatur. Vbi enim fierent nubes, pluuiæ, grandines, niues, & alia eiuſmodi, quæ à frigido coagulantur, & à calido diſſoluuntur? Sanè Deus Opt. Max. rerum omnium architectus & opifex proſpiciens mundum hunc duraturum viciſſitudine ortus, & interitus rerum, Solem ità potentia calidum, & non actu creauit, ne eſſet impedimento quominus ſua actuali caliditate, media illa aeris regio eſſet calida, proinde inepta ad pluuias efficiendas, ex quibus continuitas mundi pendet, & proficiſcitur. Item ſi radij ſolares nil aliud ſunt, quàm recepta qualitas à ſole producta in aere per eorum reciprocationem à terra: radij autem illi idem prorſus ſunt cum calore, & lumine ſolis: neceſſariò colligitur, quòd, ſi terra non eſſet vbi reflecterentur radij, neque lumen, neque calorem ſol ipſe nobis exhiberet: ideò ſi fingas terram è medio ſublatam, oportebit te etiam fingere vniuerſam aeris machinam abſque lumine, & calore eſſe. Potentiam igitur quam habet Sol ad producendum calorem, & lumen, ad actum reuocatur per reflexionem radiorum à terra. Et quemadmodum lumen, vt ait Ariſtoteles capit. 7. lib. 2. de anima, eſt actus perſpicui, ſecundum

quod

quod eſt perſpicuum, ità de calore cenſendum eſt. Neque mihi obijciat aliquis in hunc modum: Sol habet lucem actu: ergo Sol habet lumen actu. Quoniam lux & lumen maximè differunt, propterea quòd lux in corpore minimè perſpicuo reperitur, veluti in Sole, & ſtellis: lumen autem in corpore perſpicuo, vt in aere. Et item lux qualitas, qua luminoſum ex ſe lumen producit: vnde lumen è luce veluti ex fonte proficiſcitur, & emanat. Habet ſe autem lux ad lumen, veluti frigiditas virtualis, vt ità dicam, ad actualem, quæ licèt ſpecie differant, virtualis actualem producit, vt frigiditas, quæ eſt in opio potentia, & illi intrinſeca, producit aliam actu in me, illi ſanè extrinſecam. Sic lux eſt intrinſeca ſoli, quæ lumen producit extrinſecè diſtinctum à ſe, quod lumen perſpicui actus eſt. Quare Sol calorem, quem in inferiora mittit, in ſe actu non habet, calfacit nihilominus per ſe radiorum ſui luminis propinquitate, directorie, & mora. Quibus adiungit Ariſtoteles motum ipſius ſolis celerem, eſſe cauſam vel præcipuam caloris prædicti, quòd mihi non videtur rationi conſentaneum. Cur enim Sol etiam ſtans, non calefaceret: cùm rem ſtantem eius radij magis afficiant? Parum autem intereſſe videtur, res ne, quæ incaleſcit, an quæ calefacit moueatur. Quòd idem Ariſtoteles reſpiciens ſect. 5. prob. quæſtio. 34. in hunc modum rogat, Cur in

Sole cum ſtamus, amplius recaleſcimus, quàm cum mouemur: cum tamen motus omnis vim calfactoriam habeat? An non omne mouendi genus calfacit, ſed eſt etiam quod refrigeret. Quod etiam in ollis feruentibus patet, quoties eas efflamus, aut verſamus. An, quia cum ſtamus, calor permanet: is autem, cum permanet, amplius calfacit, quàm cùm mouetur. Corpus etenim noſtrum vaporem de ſe quendam mittit aſſiduè tepidum, qui proximum aerem tepefacit, quemadmodum initio. Cum igitur quieſcimus, aer nos circunfundens, calidus ob prædictam cauſam redditur. At cum mouemur, flatus excitatur, qui refrigerare nos poteſt: flatus enim quiſque frigidus eſt. Cæterum corpus lunæ quale ſit, explicare non poſſumus, immo neque qualitate vlla nobis manifeſta præditam eſſe aſſeuerare valemus. At calorem ex ſole vnà cum lumine habere certiſſimum eſt. Quod Ariſtoteles confirmat libr. 1. Poſter. capit. 27. Vbi quærit, cur luna ſplendeſcit aduerſus ſolem? an quia lumen habet à ſole. Et capit. 2. lib. 2. eiuſdem nominis verum idem repetit, veluti lib. 2. de cęlo capit. 8. Plinius libr. 18. capit. 28. inquit; Sed interlunio omne lumen, quod à ſole accipit, cœlo regerit. Et idem capit. 9. lib. 2. dixerat: Nam ſi luna proprium haberet lumen, eius nunquam fieret eclipſis: vmbra nanque terræ impedit, quominus lumen ſolis ad lunam perueniat.

In

In coitu quoque luna opaca & lucis expers eſt, vt Galenus capit.3.lib.3. de diebus decretorijs inquit. Quam etiam ſententiam confirmat Cicero in ſomnio Scip.ſic dicens, Ex quibus erat ea minima, quæ vltima à cœlo citima terris, luce lucebat aliena. Quem locum exponens Macrobius libro 1.cap. 19.inquit, Luna vero, quia ſola ipſa ſub ſole eſt, & caducorum iam regioni luce ſua carenti proxima:lucem, niſi deſuper poſito Sole, cui reſpondet, habere nō potuit. Item Lactantius Firmianus lib. 7. de diuino præmio cap.24. idem vult:& confirmat oraculo ſibyllæ. Cæterùm Plinius lib.2.capit.9.Lunam in defectu etiam eſſe conſpicuam ſcribit. Et Ioannes Picus Mirand. ipſam eam, lumen, ſed obſcuriſſimum & tenuiſſimum habere credi poſſe docet lib.3.cap.5.aduerſus Aſtrologos. Vnde in coitu, inquit, non omnino fugit obtutum. Sed ea tunc videtur quatenus eſt opaca, non verò lumine aliquo affecta, vt vnuſquiſque contemplari poterit. Adde eam tunc magis minusve videri, prout vmbra terræ rarior, aut denſior fuerit. Theon Arati interpres, diligens ſanè atque eruditus homo tradit tragicos poëtas appellare Lunam Solis filiam: quia cùm lumen accipiat à Sole, ſine luce & cœca ſua vi exiſtēs, quaſi gignitur ab ipſo. Poëtę autē illi Euripides, & Æſchylus fuere. At Heſiodus fratrem ipſius ſolem eſſe cēſuit, quē manifeſtò Vergilius ſecutus, cecinit.

Nec fratris radijs obnoxia, ſurgere Luna.

Quare Luna ità dicitur, vel quòd vna lumen Solis accipiat, vel quod vna noctu luceat. Hinc Pylades Brixianus libro 1. ſuę theogoniæ dixit,

Sed Lunam idcirco, noctu quòd luceat una,
A radijs, vel quòd lumina ſolis habet.

Licèt M. Tullius lib. 2. de natura deorum à lucendo dictam eſſe exiſtimet. Hinc Lucina, quaſi lucida, lucemque præbens à Terentio & alijs appellatur. Porrò lumen illud non recipit Luna à Sole per luminis à ſe tanquam à ſpeculo, aut corpore læui, & terſo ad nos reflectionem, ſed per ingreſſum, & , vt ita loquar, incorporationem luminis ſolaris in proprium ipſius corpus. Argumentum huius rei eſt facies lunæ maculoſa, ſic eam appellat Ariſtoteles lib. 2. de cœlo capit. 8. quæ ita apparet, quòd in aliam atq; aliam eius partem ſolis lumen aliter, atque aliter ſeſe inſinuet: Media enim pars lunæ vtpote rarior minus lucet, & obſcurior eſt, & quodammodo maculoſa videtur: pars autem denſior potentiùs refulget, & purior cernitur. Per illam faciliùs radij ſolares penetrant: per hanc verò difficiliùs. Sic enim Luna fabricata eſt, vt per eius partes rariores, virtutes ſtellarum & cęterorum planetarum (quando nobis vicina eſt) penetrarent, & ad nos accederent. Plinius lib. 2. cap. 9. maculas in medio orbe Lunæ apparentes, nil aliud eſſe dicit, quàm raptas cum humore ſordes.

des. Philo libro de mundo, eam faciem nil aliud eſſe inquit, quàm permiſtum Lunæ aerem, qui natura ſua niger eſt, & ad cœlum vſque protenditur. Quòd verò in terram non mittat Luna lumen per reflexionem radiorum ſolis, ſed vt dictum eſt, per ingreſſum, argumentum nobis erit, lunam parùm nos calefacere, licèt à Sole recipiat calorem: quoniam per illam radiorum immiſſionem obtunditur calor, idcirco radijs ſuis imbecilliter nos calore afficit. Hinc eſt, quòd cùm plena eſt, magis calefaciat, & noctes calidiores ſint, vt Ariſtoteles dixit lib. 4. de part. anim. capit. 5. confirmauit Alexander problemate 67. Ea propter ſcripſit Galenus libro 3. de diebus decret. capit. 2. Luna cum plena eſt, fruges adauget, maturatque celerrimè, quippè calet, lucet, incrementum rebus perinde atque Sol affert, ſed moderatiùs tamen & remiſſiùs omnia facit. Quare dixit Galenus loco citato, magna eſſe lunæ in hæc inferiora opera, ſed ſolis operibus effectibusque poſteriora. Quod reſpiciens Macrobius lib. 1. Satur. cap. 21. teſtatur lunam ſub Cereris nomine vnà cum ſole à Virgilio primo Georgico inuocari, quia ambo pariter fertilitatibus glebæ, & maturãdis frugibus, vel nocturno temperamento, vel diurno calore moderantur. Illud verò quod Galenus capite ſuprà relato inquit, Lunã inter Solem, & nos eſſe conſtitutam, atque adeo

ſolem in ſecundo orbe eſſe collocatum, interpretandum nobis erit. Plato in Tymeo poſt Lunam ſtatim collocauit Solem: item Ariſtoteles libr. 2. de cœlo capit. 12. Et libro de mundo ad Alexandrum; & capit. 8. libr. 12. Metaphyſi. M. autem Tullius in ſomnio Scipionis, ſolem in medio planetarum conſtituit, ſic dicens, Deinde ſubter mediam ferè regionem Sol obtinet, dux & princeps & moderator luminum reliquorũ, mens mundi, & temperatio, tãta magnitudine, vt cuncta ſua luce luſtret, & compleat. Addunt nonnulli etiam ipſum M. Tullium, veluti ſibi contradicentem, qui libro de vniuerſo ſolem conſtituit in ſecundo orbe. At ille liber non eſt Ciceronis; ſed eſt Tymeus Platonis, à Cicerone tamen conuerſus. Itaque Cicero à Platone diſſentire videtur, cùm Solis ſpheram quartam de ſeptem, ideſt, in medio locatam dicat. Plato à luna ſurſum ſecundam, hoc eſt, inter ſeptẽ à ſummo locum ſextum, tenere commemoret. Ciceroni Archimedes, & Caldæorum, & Aſtrologorum ratio conſentit. Plato Aegyptios omnium philoſophiæ diſciplinarum parentes, ſecutus eſt, & hunc Ariſtoteles, qui ita ſolem inter Lunam & Mercurium locatum volunt. Horum ratio hæc eſt: ſi Mercurius, & Venus ſub Sole exiſterent, fieret, vt Mercurius, & Venus Solem occultarent, quod cum nunquam fieri viſum ſit, relinquitur, ſolem ſub illis eſſe. Hæc tamen

men ratio nihil concludit , quoniam ſi Mercu-
rius ac Venus Solem non cooperiunt, fit, ob eo
rum molem exiguam , ſi ad Solis magnitudinē
conferatur . Si enim aliquod minimum obie-
ctum ante oculos mihi occurrat, non efficiet, vt
parietem illum non videam: niſi adeò attingat
oculos, quòd propter eius propinquitatem cer
nere non poſſim , veluti contingit in Luna, quæ
cùm multò ſole ſit minor, ea tamen eſt cauſa, vt
ſolem in ipſius defectu minimè cernam. Quare
ob magnam propinquitatem , quam cum terra
Luna habet efficitur , vt Luna nobis ſolem co-
operiat . Ratio quoque Macrobij lib. 1. in ſom.
Scip. cap. 19. nihil colligit. Inquit enim Lunam,
quia luce propria caret, & de ſole mutuatur, ne-
ceſſe eſſe fonti luminis ſui eſſe ſubiectam. Quod
planè fatemur, ſed non adeò, vt cum ſole ſit con
iuncta , propterea quòd eminus illud idem Sol
efficere poteſt. De ijs etiam, & de maculis Lunæ
vide Ludouicum Cęlium lib. 1. antiquarum le-
ctionum cap. 15. Et Cæſarem Scaligerum, exer-
citatione 62. aduerſus Cardanum.

De actionibus Lunæ in hæc inferiora. Cap. IIII.

DIERVM decretoriorum cauſas altiùs Gale-
nus veſtigans, eas ad ſolem primùm , dein-
de & ad Lunam etiam hoc, vel illo modo affectā
refert . Ab ijs verò eas idcircò dependere do-

cet,

cet, quòd corpora cœleſtia vires ſuas in hæc inferiora tranſmittant. Vtriuſq; ergo ſyderis magna opera in hac rerum ſubſtantia apparent, verùm Lunæ, Solis effectibus poſteriora ſunt. Idcircò minor Sol ab Ariſtotele lib. 4. de generat. anim. ca. 10. appellatur, & à Moyſe in principio Geneſeos, luminare minus. Quemadmodũ igitur annum integrum Sol diſponit, ità Luna mẽſem, inquit Gal. cap. 5. lib. 3. de diebus decretorijs. Et Plutarchus problemate 75. ſcribit, Solẽ annum, Lunam menſes conficere. Quod reſpiciens Virgilius primo Georgico. ita dixit.

- vos ò clariſſima mundi
Lumina, labentem cœlo, quæ ducitis annum.

Annus enim Lunæ eſt menſis: annus tamen Solis præcipuè dicitur, quia Solis motu reliquos motus cœleſtes metimur. Atq; cũ de Sole plura dixerimus, de Luna dicamus. Luna ergo nouum lumen ſortitur, cùm Sole primùm fruitur: tanta verò eius portio ſemper illuxerit, quantam Sol aſpicit: prorſus autẽ deficit, luciſq; expers redditur, vbi terra ſuo interuẽtu ipſam obtenebrarit. Quapropter à Solis receſſu omnes mutationes ſuſcipit. Galenus quinque tantũ mutationes præter coitum enumerat: etenim plena eſt, cũ diametra apparet. Aequa portione diuiſa, cum quadrangula eſt: gibboſa, cum triangula: & falcatam ſpeciem refert, ſexangulis prædita. Atq: tunc primũ recens eſt, cum poſt Solis

con-

congreſſum apparet: obſcuratur omnino, cum Solis lumẽ circa eam emergit. Eaſdem ferè differentias docet Ariſt.cap.11. lib. 2. de cœlo. Et Plinius lib.2.cap.18.his verbis: Luna in quadrato Solis diuidua eſt, in triquetro ſemiambitur orbe. Impletur autem in aduerſo, rurſusq́; minuens, eaſdem effigies paribus edit interuallis. Tempus autẽ coitus, ſeu coniunctionis Lunæ cum Sole interluniũ dicitur. Varroni lib.1. cap.137.inter menſtruum, Catoni de re ruſtica cap.50.Luna ſilens,alijs coniuncta Soli,& combuſta dicitur. Vbi ergo Luna cum Sole coit,vehementiores mutationes eueniunt, inquit Galenus.Omnia etiam,quæ facere nata eſt,vbi falcis figuram repreſentat, languida fiunt,inualeſcunt,cum plena fuerit. Hinc docet Ariſt.lib.4. de part.anim.cap.5. ex Lunaribus incrementis Echinos,& id genus animalia, vtpote cancros, oſtres,conchas,conchilia pleniora fieri, & vberiore lumine fœta ſucculentiora euadere humiditatis viuificæ, & Lunaris caloris beneficio. Quod notat etiam Gellius lib.20.c.7.ex Annia no docẽs,Oſtreas Luna ſeneſcẽte tenues & exuctas eſſe,& ex Lucillio Lunam Echinis,& muribus fibras & peculiares, & pecu addere. Addit Plinius lib.2.cap.42. minimũ animal formicam ſyderis vim sẽtire,& interlunio ceſſare,& c.102 eiuſdẽ libri ſcribit,Lunã accedentẽ corpora implere,abſcedẽtẽ inanire.Plena,inquit Galenus,

fru-

fructus auget, incraſſatque, animantia implet. Adhæc menſtruorum ſtatum tempus mulieribus conſeruat. Item comitialium circuitus, cuſtodit, inde quod ſolis plus, vel minus participat. Quapropter & fruges intereà adauget, maturatque celerrimè, ferarum occiſa corpora in tabem reſoluit: ſomnoque ſopitis ſub eius lumine vel aliter diutius immoratis pallorem & capitis grauitatem conciliat. Eſt etiam Luna ſydus homini familiare, ac proximum, terræque citimum, præ cæteris in corpus humanum vim ſuam immittit, ac per ſingulas partes peculiari vi, effectuque voluitur, non ſine acerrimo nonnunquam cruciatus ſenſu. Si quid enim latentis occultique vitij vlli membro ſubeſt, doloribus acerbè concutitur ac dilaceratur, vellicante illas partes Lunæ vi, aut agitatis humoribus, qui illi infixi ſunt, ac tenaciter inhæreſcunt. Ità omnes morbi, affectus intemperies, Lunæ vi aſperantur, atque incrudeſcunt, vbi articulis inſidet, adeò, vt vulnera ægrè ſaneſcant, aut cicatrice obducantur, ac nonnunquam lethalia efficiantur, ſi quando illi membro illata ſunt, cui incumbit. Item in vulneribus capitis, in affectibus rheumaticis, & maximè in pueris, ac decreptis, & tandem in omni humida natura, vel morbo præcipuè vis Lunæ ſentitur. Quò autem hæc plenius intelligantur, paulò altius repetenda ſunt, quæ de actionibus lunæ in hæc inferio-

feriora diximus. Cùm enim actiones Lunæ ab ipſius motu & lumine oriantur, aduertendum erit triplici motu conſiderari Lunam moueri. Aut enim mouetur motu diurno, qui nil aliud eſt, quàm motus lunæ raptu primi mobilis. Etenim primum mobile vnico mouetur motu, ab oriente in occidentem ſuper polos mundi & æquinoctialem. Hic motus omnium notiſſimus eſt, circulumque totum abſoluit intra viginti quatuor horas. Hic etiam omnia corpora inferiora ſecum rapit. Aut motu illuminationis mouetur, eo ſcilicet ſpacio, quo à Sole illuminatur, qui ſanè motus ferè in viginti ſex diebus & duodecim horis perficitur. Aut denique motu proprio mouetur, is definitur profectione & reditu Lunæ à Zodiaci puncto in idem punctum, in quam viam luna viginti & ſeptem dies cum horis octo conſumit. Cum autem inter vnum & alterum Lunæ cum Sole congreſſum, Sol motu proprio verſus orientem moueatur, interim dum luna ſuum integrum circulum peragit, ad tranſitum illius ſpacij indiget luna duobus diebus & horis quinque ferè. Ijs ergo motibus luna multa & varia in hæc inferiora operatur. Primùm motu diurno luna mouet mare fluxu, & refluxu, vt ait Plinius lib. 2. capit. 97. Et cap. 78. ex ſententia Ariſtotelis inquit, nullum animal, niſi æſtu recedente expirare. Verba Plinij ſunt hæc, His addit vt nihil quod equidem nouerim

præ-

prætercam Ariſtoteles, nullum animal, niſi æſtu recedente expirare. O mira rerum naturæ ſpectacula. Quid ſyderi aquas alligauit? vbi veſtigia figit currens, atque onera trahens numen laborioſum? nil, niſi cædentes ac inanes ſpiritus premit. Motu illuminationis varia ſanè Luna operatur, vt ſuprà ex Galeno relatum eſt. Et Plinius lib. 2. cap. 99. & capit. 101. repetit. Quo vera, inquit, coniectatio exiſtit, haud fruſtra ſpiritus ſydus Lunæ exiſtimari. Hoc eſſe, quod terras ſaturet, accedensque corpora impleat, abſcedens inaniat. Ideò cum incremento eius augeri conchilia, & maximè ſpiritum ſentire, quibus ſanguis non ſit. Sed & ſanguine hominem etiam cum lumine eius augeri, ac minui: frondes quoque ac pabula (vt ſuo loco dicetur) ſentire, in omnia eadem penetrante vi. Item de natura Lunæ, inquit, è contrariò ferunt Lunæ fœmineum ac molle ſydus atque nocturnum ſoluere humorem, & trahere, non auferre. Id manifeſtum eſſe, quòd ferarum occiſa corpora in tabem viſu ſuo reſoluat, ſomnoque ſopitis torporem contractum in caput reuocet: glaciem refundat, cunctaque humifico ſpiritu laxet. Ita penſari naturæ vices, ſemperque ſufficere, alijs ſyderum elementa cogentibus: alijs verò fundentibus, ſed in dulcibus aquis Lunæ alimenti eſſe, ſicut in marinis ſolis. Item cap. 28. libr. 18 ſcribit Plinius. Nam primum omnium non ho

eue-

euenire, niſi noctibus, & ante ſolis ardorem, deprehenditur, totumque lunari ratione conſtat. Quoniam talis iniuria non fit, niſi interlunio plenave Luna, hoc eſt, præualente: vtroq; enim habitu plena eſt, vt ſæpius diximus, ſed interlunio omne lumen, quod à Sole accipit, cœlo regerit. Differentia vtriuſque habitus magna, ſed manifeſta. Namque interlunio æſtate calidiſſima eſt, hyeme gelida. Econtrariò in plenilunio æſtate gelidas facit noctes, hyeme tepidas. Cauſa euidens, ſed alia redditur à Fabiano, Græciſque authoribus. Aeſtate enim interlunio neceſſe eſt cum Sole nobis proximo circulo currat, igne eius continuis recepto candens: eadem interlunio abſit hyeme quando abſcedit & Sol. Item plenilunio æſtiuo procul abeat aduerſa Soli: hyeme autem ad nos per æſtiuum circulum accedat. Et capit. 30. inquit, Creſcente enim Luna frumenta grandeſcunt. Et licet Plinio capit. 32. eiuſdem libri, diſcrimina lunarium dierum tradita ab Heſiodo in eo libro, cui titulum fecit, opera, & dies: & comprobata à Virgilio Georgico. primo, ſuperſtitioſa videantur, & parum probata, tradit tamen hanc generalem Luna legem, omnia, quæ cæduntur, carpuntur, tondentur, innocentius decreſcente Luna, quàm creſcente fiunt. Stercus, niſi decreſcente Luna ne tangito. Maximè inter menſtrua, dimidiaq; ſtercorato. Verres, Iuuencos, arie-

arietes, hœdos, decreſcente Luna caſtrato. Oua Luna noua ſupponito. Scrobes Luna plena noctu facito. Arborum radices Luna plena operito. Humidis locis interlunio ſerito, & circa interlunium quatriduo. Ventilari quoque frumenta ac legumina, & condi circa extremam Lunam iubent. Seminaria cum Luna ſupra terram ſit, fieri: calcari muſta, cum Luna ſub terra. Item materies cædi, quæque alia ſuis locis diximus. Hæc ille. Ergo velit nolit Plinius optimè cecinit Heſiodus in vltimis verbis traditi operis.

Interdum nouerca eſt dies, interdum mater,
Harum beatusq; & felix, qui hæc omnia
Sciens operatus fuerit inculpatus Dijs.
Auguria obſeruans, & præuaricationes euitans.

Quem imitatus Vergilius loco retrò dicto, ſic dixit,

Ipſa dies alios alio dedit ordine Luna.
Felices operum.

In plenilunio etiam carnes putreſcunt noctu, vt Alexander problemate 67. ſcripſit: grauidæ tunc peſſimè habent: editos quoque infantes præcipuè infeſtat, vt ait Ariſtoteles libro 7. de hiſt. anim. capit. 4. Et Plinius libro 7. capit. 6. Conchilia omnia valdè tunc augentur: & cerebra hominum vulneratorum irrumpunt. Ligna tunc cęſa male ſonora fiunt, & citiſſimè putrét, & curuantur. Oleum tunc creſcit in vaſis, vt

quan-

quandoque effundatur. Medullæ in oſſibus magnæ apparent. Fructus omnes aceruandi tunc collecti, citò pereunt. Oculi feliũ creſcunt. Dormiens ſub plenilunio habet faciem liuentem: & ſæpè patitur rupturam vaſis in pulmone, & caput dolet, vt à Galeno dictum eſt. In cõſtitutione peſtilente frequentiſſima mors eſt in plenilunijs, & nouilunijs. Parientes etiam illis temporibus fluxu ſanguinis periclitantur. Si conceptus fiat in illis oritur fœtus ſeptimo menſe, & non aliter, vt viſum eſt Plinio lib. 7. cap. 5. Carnes in plenilunio occiſæ non diu durant. Prætereà opera plenilunij validiora ſunt, cũ Luna fuerit ſupra Horizontem. Item ſi apoplexia in plenilunio corripiat, perimit, vt Alexander Trallianus, c. de apoplexia, aduertit. Iã vẽtos, pluuias, & ſerenitates ſequi hunc motum illuminationis Lunæ, vel agricolæ nouerunt. Luna item particulares cuiuſq; menſis dies diſponit, patuæ mutationis facultatem habens, eamq́; non ſimpliciter ex ſe, verùm ex ſolis aſpectu conſequitur. Vehementiores itaq; mutationes eueniunt, vbi ipſa cum Sole coit. Inſuper in apparitionibus plenilunij minores his contingunt, dum medio orbe apparet: obſcuræ, dum curuata in cornua ac falcata videtur. Tuta igitur criſis, inquit Galenus, cap. 4. lib. 3. de dieb. decretorijs, euadet, cum in toto menſe ſtatus in ſecundo die accidet: quo primo & manifeſto Luna, & longo ſa-

tis tempore ſuper terram iam apparet, & lumẽ ſenſile de ſe mittit, adhæc vmbrã euidenter oſtẽdit. Primus autem dies tãdiu Lunam ſuper terram vagantem habet, quãdiu adhuc Solis etiam lumen poſt occaſum retinet. Quare in hoc Luna ſimul cum Solis lumine occidit: ſæpè verò & priore eſt occidua, & ſecundo die primùm elucefcit: nunc minus, nunc magis apparet. Atque hoc ei accidit tum longitudine à Sole receſſus, qui ob peculiarem Lunæ motum fit: non enim ex æquo ſemper mouetur, tum propter latitudinis immutationem, tum propter ſignorum occaſum, non æquali tempore euenientem, itẽ ob præteriti congreſſus tempus. Vnde non ſemper vnum tempus eſt, quo clarè Luna cõſpicitur, ſępiſſimè triduo in coitu Solis remorata, planè inuiſibilis eſt: quo nondum hæc terrena immutare poteſt. Et tempus tum peculiares eius circuitus, tum in nos actionis in idem quodammodo recedit. Etenim circuitus vicenis diebus, ſeptenisque, & tertia ferè diei parte peragitur: in tanto.n. tempore totum ſigniferi circulum percurrit. At, quo nobis luceſcit circuitus, quod is quoq; idẽ conueniat numero, planè intelligas, ſi occultationis tẽpus de toto mẽſtruo eximas. Ex ijs ergo conſtat, quantum hallucinentur iuniores Medici nonnulli, qui ad opera medica, plenilunia, & nouilunia nihil conferre, arbitrantur: quibus non ſolũ ratio, ſed etiã quotidiana experien-

experientia aduerſatur. Cæterùm operatio Lu-
næ ex motu ipſius proprio deſumpta, manifeſta
eſt, multis animalium exemplis, quæ Ariſtote-
les lib. 5. de hiſt. anim. cap. 14. & lib. 6. cap. 17. &
lib. 7. cap. 12. adducit. Quibus in locis declara-
tur in omnibus ferè animalibus partũ fieri per
certos ſeptenarios: & incubationem poſt alios,
& excluſionem fœtuum per alios: figurationem
quoque certis ſeptenarijs perfici. Quare men-
ſem à Luna immutari, ſecundũ ſeptimanas iam
eſt perſpicuum. Quòd autem aliæ res vniuer-
ſæ inde quoque mutantur, omnibus non perin-
de conſtat: ſed ijs, qui huiuſmodi accuratè ob-
ſeruarint, inconfeſſo ſunt. Ad hæc poſt ſeminis
conceptionem omnis imprægnatio: inſuper ni-
hilominus hac & poſt partum adauctio: item
omne actionis initium magnas alterationes in
ſeptenarios circuitus retinet. Si ergo luna pro-
pter vim eximiam, qua pollet in mouendis hu-
miditatibus inferioribus efficit in ſeptimanis
mutationes inſignes à conceptu, ab ortu, ab in-
cubatione, idem ſanè efficiet in morbis ortis ab
humorum abundantia, vt ſcilicet, in illis diebus
frequenter efficiat mutationes, vnde oriuntur
dies decretorij. Maxima autem probatio ſumi-
tur ex obſeruatione Aegyptiorum, quam Gale
nus cap. 6. lib 3. de diebus decret. affert, ſic di-
cens: Porrò illud denuo repetendum eſt, quod
nos quoque obſeruantes veriſsimum eſſe com-

perimus, ab Aegyptijs Aſtronomis inuentum, Lunam non modò ægris, ſed etiam ſanis, dies, quales tandem futuri ſint, poſſe prænunciare. Si etenim ad planetas tẽperatos ſteterit, quos ſalutares nominant, fauſtos ac bonos dies producere: ſi ad intemperatos, graues, moleſtosq́. Hæc ille. Aegyptij enim perinde atque Chaldęi Aſtronomiæ, & Mathematicarum in primis ſtudioſi, & cultores fuerunt obſeruatiſſimi. Aegyptiorum autem diſciplina cũ longè lateq; vagaretur, & ad alias etiam nationes ſerperet, inque tantum incrementum deueniſſet, vt reperirentur, qui ex varia ſyderum inter ſe comparatione & effectione quid cuiq; in vita euenturũ eſſet pdicere ſe poſſe, ſuperſtitioſiùs credo quàm verius, profiterẽtur. Strabo in principio lib. 17. & lib. 1. etiã inquit, Sacerdotes apud Aegyptios Philoſophiam, & Aſtronomiã excoluiſſe, & cũ Regibus etiam fuiſſe cõuerſatos. Et lib. 16. ſcribit, Chaldęos apud Aegyptios tales fuiſſe, quales apud Indos Gymnoſophiſtę, apud Perſas Magi, apud Romanos Hetruriæ Aruſpices erant.

Declaratur cauſa dierum decretoriorum ex Galeni ſententia. Cap. V.

ARISTOTELES cap. 2. lib. 1. Meteo. rectè dixit, hunc orbem inferiorem à ſuperioribus

corporibus

corporibus moueri, dirigique, & cunctas, quæ hic contingunt mutationes à cęleſtibus pendere. In quibus cũ nihil ſit, quod nõ maiori, quàm hæc terrena facultate, polleat, præcipuè tamen duorum nobiliũ ſyderum Solis, atq; Lunæ vim, potentiamq; experimur, illius quidem per ſe, & primariò huius verò quatenus à Sole aſpicitur, & illuceſcit. Et quemadmodum annum integrum Sol diſponit, ità Luna menſem per ſeptimanas ei accidente. Nam vtrunque tempus, & quo poſt primam apparitionem in medium orbem accreſcit, & quo inde plenum efficit, ſeptẽ diebus abſoluitur: ambo quatuordecim. Simili modò, ſi inde cum æquali portione diuiſa eſt, ad ſecundam diuiſionem eiuſmodi rationem ſubduxeris, & hos dies reliquosque, cùm planè ab oculis Luna declinata eſt, ſeptem inuenies. Cæterùm aerem ambientẽ magnas afferre mutationes, dum Luna primùm occultatur, & rurſus primùm apparet, nemo mortalium ignorat: maximè ij, quibus hoc ſtudij eſt, agricolæ, & nautæ: qui ſtatũ aeris tunc vocant, cùm Luna primùm apparens, vento cuipiam opponitur. Sumatur ergo principium non Aſtronomis tantum, vel naturalibus Philoſophis, ſed agricolis quoque, & nautis, hominibusq; omnibus receptum, Lunam videlicet terreſtrem plagam, veluti principem quendam magni regis Solis, immutare. Cùm ergo Luna ſigniferi circulum,

quem Zodiacum nominant, totum diebus vicenis ſeptenis, & triente, hoc eſt, tertia vnius diei parte, quæ conſtat horis octo, pertranſeat. Hoc quidem ſpacium in ſe complectitur quatuor ſeptimanas, quarum tamē nulla integros ſeptem dies habet, ſed vnicuiq; quatuor deſunt horæ, hoc eſt, ſextans diei: ſingulæ itaque ſenos dies cum horis viginti continent. Qua quidē ratione tres ſeptimanæ pariunt dies viginti cum horis duodecim, nec vigeſimum primū attingunt. Quapropter iudicatio in vigeſimum, qui eſt tertiæ ſeptimanæ poſtremus, incidet. Pari modo quatuor ſeptimanæ faciunt dies viginti ſeptem cum horis octo, nec vigeſimum octauum diem attingunt, vt hoc quoque nomine iudicatio deriuetur in vigeſimum ſeptimum, qui quartæ ſeptimanæ poſtremus eſt. Vt ſecundum hunc Lunarem per ſigniferum circulum, curſum iudicatorijs ſint quartus, ſeptimus, vndecimus, decimus quartus, decimus ſeptimus, viceſimus, viceſimus quartus, viceſimus ſeptimus. Hunc modū computādi dies decretorios ex curſu Lunę proprio nonnulli Medici ex ſententia Galeni eſſe deſumptos intellexere, ſed falſo, ac temerè. Quippe ſi hoc modo dies deſcriberētur, cur magis criſis eſſet diei viceſimi, quàm viceſimi primi, ſi tres ſeptimanæ conſtant viginti diebus & horis duodecim? Numerus. n. ille duodecimus ex æquo conuenit viceſimo, & viceſimo primo.

Quod

Quod reſpiciens Galenus cap. 9. lib. 3. de diebus decretorijs ſcribit, quamobrem tres ſeptimanæ non vnum & viginti dies integros, ſed minus ferè vnius tota dimidia parte conſequuntur. Ob quod etiam numerum huiuſmodi non magis viginti, quàm vni, & viginti diebus vicinum, vtrique parti conuenire videas. Vt igitur propriam indicaret Galenus ſententiam, in eodem capite ſubiungit, non ſolum Lunæ circuitum, ſed menſtruum etiam tempus virtutem quandam in nos poſſidere: propterea, quòd ambientem nos aërem immutat, vt ex omnium conſenſu ſuprà demonſtratum eſt. Hoc autem tempus continet viginti ſex dies & duodecim horas, ideóque ſeptimana eius minor adhuc prius dicta meritò euadet. Ergo vtrunque tempus nos immutat. Quapropter quaſdam mutationes vocat Galenus proprias, & quaſdam cõmunes. Proprias vocat, quæ ex ſigniferi circuitu proficiſcuntur: communes, ex menſtruo tẽpore ortas. Cum ergo apparitionis manifeſtæ, & efficacis tempus ſit dies viginti ſex, & horæ duodecim: ſigniferi verò circuitus expleant viginti ſeptem dies cum tertia vnius parte: liquet medium ipſorum fore vigeſimum ſextum diẽ, cum dimidiæ vnius diei parte, quæ ſunt horæ duodecim, item tertia diei parte quæ ſunt horæ octo, & adhæc duodecima diei parte, quæ ſunt horæ duæ: quæ omnes horæ in vnam ſum-

mam collectæ, conflant horas viginti duas. Siquidem vbi vtroque tempore coniuncto, ſcilicet, viginti ſeptem dies & octo horas ex vna parte, & ex altera viginti ſex dies, & duodecim horas acceperis, medium ipſum inuenies eſſe viginti ſex dies, & horas viginti duas. Quæ cũ ita ſe habeant tres ſeptimanæ viginti diebus, & quatuor horis cum dimidia comprehenduntur. Hinc concludit Galenus viceſimum diem magis decretorium eſſe, quàm viceſimum primum, contra Archigenem. Dies autem interlunij, quibus ſcilicet Luna cum Sole coiens deliteſcit, in ſupputationem uenire non debere cenſet Galenus, quia Luna nihil omnino ſuæ virtutis tunc temporis nobis effundat. Vult enim eam, vt Lumine, ità & viribus, quibus agit in hæc inferiora eo tempore deſtitui. Quæ cauſa ipſum Galenũ mouit, vt hunc ſibi menſem excogitandum putaret. Quoniam autem Luna ſerius aliquando, aliquando ocyus emergere, è ſolaribus radijs contingit, fit, vt exactè occultationis dies de ſumma dierum illuminationis non poſſimus pręſcriptè ſubtrahere. Quo fit, vt menſibus imparibus dies viginti ſex, paribus dies viginti ſeptem attribuere cogamur: quamquam nec ſic quidem exacto calculo, aut apparitionis, aut occultationis tempus præſcribatur. Quod animaduertens Galenus, ſcribit, Quapropter exactam, vel miſturam, vel ablationem

Deus

Deus tantum nouit. Quantum verò humana coniectura indipiſci licet, præſtat circuitum cacorum communem medium inter vtraſque collocari. Cùm autem totus menſis comprehendatur viginti ſex diebus, & viginti duabus horis, ſequitur, vt viceſimus ſeptimus ſit magis decretoria quàm viceſima octaua. Quod Hippocrates in libris de morbis vulgaribus, in prognoſticis, & vbique voluit. Et ſecundum hanc conſiderationem dies decretorius apud Galenum habebit viginti tres horas, & quartam decinam partem horæ. Ex quibus colligit Galenus bene dixiſſe Hippocratem prognoſt. 4. lib. 3. ſupputationem per integros dies fieri non poſſe: quippe cùm nec annus, nec menſes ipſi integris diebus numerantur. Vt igitur annus ad trecentos ſexaginta quinque dies particulam diei maiorem quarta adiectam habet, tum menſis ad triginta dies abſoluendos vnius dimidium deſiderat: ſic & ſeptimana, ſexta maximè diei parte, vt ſeptem integros habeat, indiget. Et iterum ad finem capitis inquit: iam ſanè oſtendi ſecundū rerum veritatem, & Hippocratis ſententiam, nullam horum ſupputationem per dies integros fieri poſſe, hoc eſt, abſolutè, citraque fracturam: neque ſeptimanam, neque quaternionem, neque menſem, neque annum, neque alium quēuis numerum. Et cap. quinto eiuſdem libri dixerat Galenus: Proinde huius te admodum meminiſſe

miniſſe ad futura conuenit, nempe Lunæ tran
ſpoſitionem tetragonon non diebus ſeptem in-
tegris circunſcribit. Cæterùm cùm in vniuer-
ſum figuræ Lunæ ſint octo, quo pacto quæque
in quadris Lunæ, & diametro reperiatur, dicen-
dum eſt. Prima eſt falcata in aſpectu ſextili, die
ferè quarto. Secunda eſt æqua portione diuiſa
in aſpectu quadrato, die ſeptimo. Tertia eſt
gibboſa in aſpectu trino, die vndecimo. Quar-
ta eſt plena in diametro ſiue oppoſitione die
decimo quarto. Quinta iterū gibboſa, die deci-
mo ſeptimo. Sexta iterum æqualiter diuiſa die
viceſimo. Septima iterum falcata, die viceſima
quarta. Octaua in coniunctione quæ ſilens di-
citur die viceſima ſeptima. Ex quibus Galenus
lib. 3. de diebus decretorijs. cap. 6. colligit, rem
quamlibet ſingulis circuitibus ſiue ij ſeptimani
ſint, ſiue menſtrui, ſiue etiam annui, ità bene
vel malè iri affectum, vt ea ortus ſui temporis
aſtra vel benè vel malè affecta & inter ſe compa-
rata ex aſpectu triquetro, quadrato, ſextili, & cę-
teris id genus habuerit. Quod ſi quis & huius
ipſius cauſam, cur quadratæ & diametræ ſtatio-
nes ſint potentiſſimæ, quærat, is longiſſimè à
propoſita diſputatione digreditur, inquit Ga-
lenus. Ipſe tamen videtur reſpondere, quia in
principijs bonis, bonas faciant alterationes, in
malis malas. Fingamus, inquit, homine quodã
naſcente ſalutares planetas in Ariete, malignos

in Tauro eſſe: is homo nimirum, cum Luna in Ariete, Cancro, Libra, & Capricorno fuerit, pulchrè deget. Cùm vero Taurum ipſum, vel tetragonum aliquod, vel diametrum ſignum occupat, malè tunc & moleſtè vitam tranſiget. Atque iam morborum initia huic, cum Luna in Tauro, Leone, Scorpio, & Aquario fuerit, peſſima. Sine periculo autem & ſalutaria ſunt, cum arietem, cancrum, libram, & capricornum Luna permeat. Adhæc alterationes magnas, quas in tetragonis & diametris per ſeptimanas fieri diximus, in lethalibus quidem morbis lethales & ipſas, in ſalubribus bonas euenire neceſſe eſt. Quamobrem Hippocrates etiam damnat maximè mutationes, quæ in diebus decretorijs ad peiora declinant: quippe quod lethalis morbi ſymptoma ſit, quemadmodum (vt arbitror) benigni, ſeu ad ſanitatem tendentis contrarium. Ita ſuo quæque res principio circuitus ſequentes vniuerſos conſonos haber. Hæc ille.

Reprobatur Galeni ſententia de cauſa dierum decretoriorum. Cap. VI.

VTinam Galenus Hippocratem imitatus rationem dierum criticorum nunquàm reddere, neque docere, etſi rogatus ab amicis fuiſſet, tentaret: ſed ſolum vſu atque experientia eſſet contentus, veluti ipſe de Hippocrate ſcribit,

bit, lib. ſecundo de diebus decretor. cap. quar to, ne tot tenebras, vel potiùs figmenta in med cina fingeret. Adeò, quòd multi exiſtimarun librum tertium de diebus decretorijs Galenur non ſcripſiſſe, ſed ab alio eſſe additum. Vide bant enim non ſibi digna Galenum in illo trac diſſe libro: quin potiùs multa vana, pleraqu ficta, & non pauca ſibi contradicentia, & à do ctrina ſua prorſus aliena. At euaſio iſta nulliu prorſus eſt momenti, cùm ipſe Galenus pro gnoſtico. 4. libro tertio in hunc modum ſcri pſerit: Sed quænam ſit cauſa horum, ipſi ten tauimus docere libro de diebus decretorijs te tio, cùm tamen nemo anteà vel dicere aggreſ ſus ſit. Et idem reperit aphor. 36. lib. 4. diccens Cauſas autem ipſorum tentantes in tertio per quirere. Palàm ergo profitetur Galenus ſe i libro tertio de diebus decretorijs cauſas ipſo rum dierum explicare, tentaſſe. Cæterùm inte cauſas potiſſimas, quas ibi reddere conatus eſt menſis ille Lunæ medicinalis, conſtans vigint ſex diebus, & viginti duabus horis, fuit. Hic e nim conflatus eſt ex duobus menſibus, vno pe ragrationis Lunę, & altero illuminationis, ideo que medius inter illos conſtituitur. Quare au tem hunc menſem ità finxerit Galenus, non om nibus eſt facile dictu. Videbatur namque ſat eſ ſe, aut motum Lunæ proprium, aut ſaltem illu minationis ad oſtendendum, quod probare e

ope-

operibus Lunę conabatur. Rimandæ igitur ſunt cauſæ, ob quas Galenus menſem hunc medicinalem docuerit, ex illis duobus compoſitum, eò quòd ſibi perſuaſerit neque vnum, nec alterum ad morbos iudicandos ſufficere. Vna igitur potiſſima cauſa multi eſſe videtur, quam ſuprà retuli, dies ſcilicet interlunij, quibus Luna cum Sole coiens delitеſcit in ſupputationem venire non debere, propterea quod luna eo tempore nullius virtutis ſit. Quemadmodum enim luna tunc lumine priuatur, ac deſtituitur, ità & viribus, quibus in hæc inferiora agit, vt clarè ipſe ſcribit cap. quarto & 9. libro tertio. de diebus decretor. Adde, id eo conſilio feciſſe, vt contra Archigenem viceſimum, & eos qui illius ordinis ſunt, potius quàm viceſimum primum criticum eſſe doceret. Idque facile colligitur ex eodem Galeno capit. nono libro tertio. citati operis, vbi ita inquit: Proinde, ſi hunc in modum exactè rationem ineamus, triũ ſeptimanarum numerus paululum viginti dies excedet, atque his multò magis, quàm viginti & vni erit proprius. Quibus verbis cõcludit, quòd in principio capitis dubitauit, cur & vigeſimus & vigeſimus primus multò magis vigeſimus decernat. Propter has duas cauſas Galenus excogitauit ſuum menſem medium ac medicinalem, non ſolum obſcurum, & difficilem intellectu, ſed etiam ad vſum medicinæ prorſus inutilem. Et

nihil

nihil mirum, ſi ex talibus principijs monſtrum fuerit ortum, & ridiculus mus natus. Docet primùm lunam in coitu ſolis inferiora non immutare, idque per ſpacium trium dierum, vt menſem omnia mutantem conficiat. Qua in re ſibi planè aduerſatur Galenus, quippe qui cap. 3. citati operis ità ſcribit, Cùm ergo potentiſſimè validiſſimeque præcedentes omnes, & modò dictæ Lunæ affectiones hæc inferiora immutent, tunc tamen longè immutat potētiùs, dum cum Sole congrediens ſub eius radijs deliteſcit. Nã alijs modis affecta Luna conſpicua & luminoſa eſt. Sic autem putà cum Sole coiens, opaca eſt & lucis expers. Hæc ille. Agit ergo in nos Luna cum Sole congrediens eo modo, quo quis agit, nihil agendo. Nam deſtituens corpora ſuo lumine, nocet illis. Hinc Ariſtoteles ſect. 26. prob. 20. Rogat, cur ventus magna ex parte ante Lunæ defectus excitetur initio noctis, cùm defectus medio incipit noctis, medio verò cum mane? An quoniam calor Lunæ propterea hebetatur, quia curſus iam proximè eſt, quòd defectus exultet. Remiſſo itaque calore, quo retentus aër quieſcit, rurſum moueri, ac ſpiritus reddi incipit. Dixit inſuper Galenus aſpectum diametrum eſſe ualidiſſimum. Poteſt autem Luna cum coit eſſe in aſpectu diametro cum alijs planetis, & magnas facere mutationes. Quod verò etiam aſſerit Galenus Lunam triduò deliteſcere,

ſcere, falſum eſt, cùm plerunque eodem interlunij die & mane conſpiciatur, priuſquam Sol exoriatur, & veſpere eiuſdem diei nouaculari etiam facie: quod & experientia indicat, & Plinius teſtatur libr. 2. capit. 17. Nouiſſimam verò, inquit, primamque eadem die vel nocte, nullo alio in ſigno, quàm Ariete conſpici: id quoque paucis mortalium contigit. Et inde fama cernendi lynceo. Adde, quòd peracto puncto congreſſus Lunæ cum Sole, ſtatim Luna accipit lumen à Sole, quod etſi à nobis non videatur ob ſolis viciniam, & lucem, nihil eſt, quòd prohibeat actionem illius luminis in terram agere. Neque etiam Galenus ſibi conſtans eſt, cum capit. 4. lib. 3. de diebus decret. dicat, aliquando ſecundo die Lunam elucеſcere, & nunc citiùs, nunc verò tardius, vt ex ijs inconſtantia Galeni in hoc dogmate tradendo omnibus ſit nota. Cùm ergo neque Luna in cõgreſſu Solis terrena deſinat mutare: neque tribus diebus abſcondatur, quod erat principium Galeni, vt ſuum menſem excogitaret medicinalem: quid *mirum* eſt, vt ex tanto abſurdo multa ſequantur? Neque altera cauſa firma eſt, quoniam vigeſima prima dies decretoria eſt, & frequentiùs in ea contingit criſis, quàm in vigeſima: quod conſiderans Hippocrates dixit aphor. 36. lib. 4. Sudores febricitanti ſi incęperint, boni, tertio die, & quinto, & ſeptimo, & nono, & vndecimo, & de-

cimo

cimo quarto, & ſeptimo decimo, & vigeſimo primo, & vigeſimo ſeptimo, & trigeſimo primo, & trigeſimo quarto. Quod ſi idem Hippocrates in libris de morbis vulgaribus rarius meminit vigeſimi primi, frequentius verò vigeſimi: conſtat ex Galeno capit. ſexto libro primo. de diebus decretorijs, libros de morbis vulgaribus eſſe prius ſcriptos aphoriſmis, & prognoſticis: proinde aphoriſmorum ſententia eſt præferenda ei, quæ ex libris de morbis vulgaribus ſumitur. Vidit autem Hippocrates in libris de morbis vulgaribus plures criſes fieri in die vigeſima, quoniam illi morbi per pares acceſſiones habebant, in quibus neceſſariò criſes ſunt expectandæ. Cùm autem ſæpius acceſſiones imparibus contingant, quòd morbi acuti vt plurimum bilioſi ſint, hinc conſtituit Hippocrates in aphoriſmis generale pręceptum, dum ſcripſit, quibus diebus ſudores eſſent boni. Neq; argumentum Galeni lib. 2. de diebus decreto. capit. 4. concludit, quod ita ſe habet: Si dies vigeſima prima eſſet magis decretoria quàm vigeſima, decima octaua eſſet index, & non decima ſeptima: quod abſurdum eſt aſſerere. Quoniam decimaſeptima eſt index vigeſimæ primæ, veluti quarta, ſeptimæ, & vndecima, decimæ quartæ. Cùm enim vires eo tempore ſint imbecilliores, quàm prioribus morbi temporibus, requiritur, vt maius ſit ſpacium ab indice ad decretorium, quàm in

reli-

reliquis, vt natura facilius prout potuerit, criſem poſſit emoliri. Item ſi ad aſtra ſit referenda decretoriorum poteſtas, fruſtra tam exquiſitè diſputat Galenus de die vigeſimo, & vigeſimo primo, vter decretorius ſit. Quippe potius ſtatuere debuit eum ex duobus decretoriorum futurum, in quem Solis & Lunæ tetragonus, vel alius aſpectus efficax eeciderit. Verùm quemadmodum iſta erant falſa, ſic & illa. Nam quod Galenus initio ſuæ diſputationis præmittit tanquàm verum, cui omnis illa tractatio innitur, ſuperiora ſcilicet mouere inferiora, ſic intelligendum eſt, vt inferiorum effectuum vniuerſalē tantum cauſam eſſe, nōn particularem, corpora cęleſtia, dicamus. Quod etiam videns Galenus peruerſionem dierum criticorū, modò tribuit errori Medici, modo ægroti, aut miniſtrorum, lib. ſecundo, de diebus decretorijs, capit. ſecundo, modò ait, naturam non conueniente ſemper tempore de morbis decernere, lib. ſecundo cap. 8. eiuſdē operis, & alijs multis modis impediri, quos ipſe refert capit. 11. lib. primo, prædicti operis. Prætereà illud Ariſtotelis teſtimonium quod habetur capit. ſecundo, lib. primo. Meteo. quo aſtruit, mundum hunc inferiorem idcircò cęlo eſſe attiguum, vt ab eo vim recipiat non ità vniuerſaliter accipiendum eſt, ſed particulariter de Meteorologicis impreſſionibus, de quibus tunc Ariſtoteli ſermo erat. Item ſi Sol

ac Luna præcipuam darent cauſam diebus decretorijs, certè horum poteſtas in quadris, & oppoſitis aſpectibus maximè appareret: quod minimè verum eſt: neq; enim quadrata eorum radiatio in ſeptimum diem: neque oppoſita in decimum quartum ex præſcripto cadit. Si enim caderet, fieret, vt omnes ægritudines inciperent in nouilunio, alioqui neque diei ſeptimæ dimidia Luna, quadratusque aſpectus, nec diei decimæ quartæ plena luna oppoſitusque aſpectus reſpondebunt, niſi initium morbi à nouilunio ſumatur. Quamobrem cum omnibus diebus ac horis, nedum in nouilunijs, à morbis nos inuadi cernamus, profectò in his ipſis, qui nos poſt nouilunium inuaſerũt, dierum criticorum ratio cum Lunæ motu in ſignifero minimè conſtabit. Quod verò de motu ordinato corporum cœleſtium Galenus ſupponit, benè dictum eſt: Sed quid ad rem, cùm dies decretorij quàm ſæpè varientur: & intercidentes fiant decretorij, vt de die ſexta, & alijs in retrò dictis eſt ſcriptũ? Item vnde valet hæc deductio, Corpora cęleſtia agunt in hæc inferiora, eademque habent motũ ordinatum: ergo ſemper præſtabunt eundem effectum. Eadem namque coropra diuerſos producunt effectus ſecundum naturam patientis, Sol liquefacit ceram, & exiccat lutum: denigrat carnem, & dealbat oſſa: maturat viuentia, & putrefacit cadauera. Non eſt igitur neceſſe, vt ex

or-

ordine corporum cœleſtium eundem in regione inferiore eſſe intelligamus. Neque etiam verum eſt in inferioribus non reperiri motus ordinatos, cùm in acceſſionibus febrium talis ordo maximè appareat. Fingit denique Galenus ſeptimanas non integris diebus conſtare, ſed ſextam ferè diei partem deeſſe. Quoniam, vt ipſe ait, Sex diebus & viginti horis cum dimidia continetur, quare dies cum fracturis numerandi veniunt, vt ſuperiori capite ex eodem Galeno demonſtratum eſt. Quæ ſanè ſententia ſibi aduerſatur, quippe qui ſcribat, diem eſſe tempus ex die ac nocte compoſitum, ſpacium nimirum viginti quatuor horarum, in libro ad eos, qui de typis ſcripſerunt: & lib. 1. de criſ. capit. 16. Et lib. ſecundo, capit. ſecundo. Et lib. de ſeptimeſtri partu. Neque bene Galenus interpretatur verba illa Hippocratis prognoſtico, 4. lib. tertio. Fieri enim non poteſt, vt horum vllum integris diebus eximie numeretur, ità, vt illa computatio referatur ad quaterniones, & ſeptimanas, vt ipſe vult inſinuare lib. primo, de morbis vulg. ſect. 3. in hiſtoria vxoris Epicratis. Vbi ſcribit, Quare fac memineris, id qđ experimenta atteſtantur, diem quadrageſimum & octogeſimum decretorios eſſe: & mendacium eſſe, nec experientia approbari, integris hebdomadibus decretoriorum dierum rationem iniri. Alioqui enim alter & quadrageſimus, ſexageſimus ter-

tius, & octogeſimus quartus iudicia, non quadrageſimus, ſexageſimus, & octogeſimus afferrent. Quod etiam docet capit. tertio, lib. 2. de diebus decret. dicens, Si itaq; coniunctum quaternionem cogitaueris & conſeruatum, vt in decimo quarto incipiat, in decimum ſeptimum deſinat, habuerimus ſic conſeruatam periodũ. Si porrò disiunxerimus, vt decimus quartus ſecundę hebdomadis finis ſit, incipiat autem à decimo quinto tertia, non ad ſeptimum decimum ſic, verum ad decimum octauum primus tertiæ hebdomadis quaternio perueniet. Atqui, ſi hoc verum eſt, tertia ſeptimana in vigeſimum primum neceſſariò finiet: quemadmodum, ſi etiã decimum ſeptimum ſtatuerimus primi in tertia ſeptimana quaternionis finem eſſe, ad vigeſimum diem huius ſeptimanæ finis producetur. Hæc ille. Quibus videtur inſinuare, verba pro gnoſtici eſſe intelligẽda de quaternionibus, qui nequeunt integri enumerari: qui ſanè intellectus verborum Hippocratis falſus eſt, & ipſi Galeno repugnans, qui lib. tertio, de diebus decretorijs, cap. 12. dixit, quoniam vero inter ſeptimanas ipſas duæ ſolùm primæ ſeparantur, tertia copulatur, perſpicuum eſt quaterniones quoque nonnullos neceſſariò coniungi, alios ſeparari. Ergo aliqui ſeparantur, aliqui uero coniunguntur. Hippocrates autem inquit, fieri enim non poteſt vt horum vllum, ergo nullus quaternio

nio coniungi poteſt. At poteſt, non eſt igitur il le intellectus verborum Hippocratis. Et quòd verba Hippocratis ſint intelligenda ex ipſo Galeno de diebus fractis, conſtat ex com. ad illum locum, vbi inquit, partem quandam diei deeſſe. Et ſubiunxit, ſed, quænam ſit cauſa horum, ipſi tentauimus docere libro de diebus decretorijs tertio. In hoc libro retulit cauſam ad menſem medicinalem, qui, vt dictum eſt, conſtat diebus fractis, vt ex Galeni ſententia retrò demonſtrauimus. Cæterùm veluti mendacium eſt computare dies refractos, ita & non minus eſt, copulare hebdomadas aut quaterniones. Quis vnquã per Deum immortalem curando, quaterniones aut ſeptimanas cõiunxit? Quis accedẽs ad decimum quartum diem, ſequenti dixit, adhuc ſumus in decimo quarto. Non Hippocrates, qui in ſuis hiſtorijs ſingulatim dies computauit, nulla facta eiuſdem diei repetitione: non etiam Galenus, qui minutatim dies enumerat. Quorſum igitur hæc dierum repetitio ò Galene? Eſt ne vera an ficta? Vera eſſe non poteſt. Fictam ais eſſe capit. 3. lib. 2. de diebus decretorijs. Componis igitur ſeptimanas & quaterniones ex diebus fictis ac veris. At ſcientia de veris eſt, non de fictis. Quod fictum eſt, non poteſt cauſa eſſe alicuius rei. At per te ſunt dies decretorij: ſaltẽ illi qui repetuntur in nudo animo. Præceptum Medicum quod non do et curare ſophiſticum

Hh 3 eſt,

eſt, vt tu aſſeris. At fictum, quid docebit. Medicus non agit de ijs, quæ ſub ſenſum haud cadunt. Galenus hac in parte, alias doctiſſimus, non ſolum præterit ſenſum, ſed & intellectum, quippe fingit quæ non ſunt, tanquam ſi eſſent futura. Quare Galenum, ò Medici, in cauſa dierum huiuſmodi inquirenda non ſequemur neque imitabimur, vt qui magis aliorum ſententijs, citra vllum demonſtrationis robur nitatur, & ex Aegyptiorum vanis dogmatibus ad Lunæ motum dierum decretoriorũ vim referat, aliàs præcellentem virum, uereque diuinum confiteri habemus, & ſic prorſus imitandum & admirandum eſſe cenſemus.

Veræ cauſæ dierum criticorum enarrantur, cum quibus Galenus conſentire videtur. Cap. VII.

SApientissime Terẽtius ille Comicus ſcripſit, diffidere nõ oportere, quia nihil tam occultũ foret, quod inueſtigari non poſſet, quemadmodum contrà, quod negligitur, ſineque cura vlla adminiſtratur, facilè fallit cunctos. Verba poëtæ ſunt,

Nihil tam difficile, quin quærendo inueſtigari poſſit.

Difficile ſanè eſt inuenire cauſam dierum decretoriorum, ſed nihil tam difficile, quod quærendo inueſtigari non poſſit. Vbi aũt cauſæ dierum huiuſmodi commodiùs & faciliùs inuenientur,

quàm

quàm in illis duobus Medicinæ luminibus, Hippocrate & Galeno? Hos ergo exquiramus, & hos, iſtorum cauſas docere, perſpicuè reperiemus. Hippocrates libro de ſeptimeſtri partu abſtinuit à dierum decretoriorum cauſis, nõ quòd eſſent obſcuriſſimæ, vel in occultioribus naturæ penetralibus reconditæ, ſed quia ille locus hanc tractationem nõ poſtulabat, ideo in Epidemijs, prognoſticis, & aphoriſmis, illas docuit, vt ex illius verbis licebit colligere. Galenus in libro primo & ſecundo de diebus decretorijs, veram, vt mihi videtur, cauſam docuit. Atq; vtinam librum tertium nunquam ſcribere tentaſſet, ne in tam profundas & vanas Aſtronomorum tenebras, meraque ſomnia incidiſſet: quæ à criſium natura alieniſſima eſſe, & longiſſimè poſita, ipſa rerum experientia docet. Quod prudenter ipſe Galenus cap. 10. lib. 3. reſpiciens, ſic ſcribit, Qui iam diſputationis huius ſubtilitati ſuccenſet, ac difficilem eam exiſtimat, hunc nemo ipſam addiſcere cogit: verùm primus huius operis liber ei ſufficit. Quod ſi nõ laboris fugitantior ſit, ſecundum quoq; adijciat, à tertio aut abſtineat. Nos ſiquidẽ hęc paucis planè ijsq; inuitò ſcripſiſſe affirmamus. Vos ò dij immortales nouiſtis, vos in teſtimonium voco, hæc me amicorũ quorundã precibus vehemẽter adactũ ſcriptis mandaſſe. Hæc ille. In primo. n. lib. enumerantur iudicatorij dies, & ipſorũ vis ac facultas oſtendi-

tur, via quoq; & ratio ipſorũ prænoſcendorum explicatur. In ſecundo explicat Galenus experiẽtia & ratione vim dierũ iudicatoriorum, indicatq; illorũ ordinem & proportionem, & qui quos ad morbos pertineant. Tertiũ non vult legi Galenus: quaſi in duobus prioribus tractaſſet ea omnia, quę ad dies decretorios intelligẽdos, ſat erãt. Quod eſſe verũ iã demõſtrare incipio. Primũ ſcribit lib. 2. de diebus. cap. 2. in hunc modum, naturalẽ conuenit eſſe, qui hæc iudicet, & perſuaſum habere, naturam prorſus ſufficere, & ſumma quadã prouidentia corpori noſtro proſpicere: itẽ proprijs ẽt motibus ordinatis, ſi q̃d aliud, ita & ipſam vti: ex ijs ergo intelligitur, naturã ipſam criſes facere, & ipſam omnino ſufficere ad criſes faciendas, propterea dixit Hippocrates, natura omnino ſufficit, licèt ſub alijs verbis lib. 6. de morb. vulg. ſect. 5. in principio, morborum, dicens, naturæ medicatrices. Neq; vero par eſt quenquã exiſtimare Hippocratẽ illo pronunciato aut artẽ medicã tollere de medio, aut Medicos de republica exterminare, nulloſque omnino eſſe velle. Sed id vult naturã primò, & maximè curare morbos, dum, ſ. criſi per ſudores, vrinas, deiectiones, ſputa, vomitus, & ſimilia, noxios humores foras protrudit. Nam morborũ criſes à natura fieri docet Gale. cap. 2. lib. 17. de vſu partiũ. Et aph. 13. lib. 2. inq̃t, criſis fit, natura ſeparãte à bonis mala, & ad excernendũ

præ-

præparãte. Et aph. 20. li. 1. ſcribit, in iudicatione, vbi ĩtegra facta eſt, vel adhuc fit, totũ naturæ p̃mittere, & nihil nos nouare oportet: vbi vero integrè iudicat, ſi q̃d deficit, ſupplere nos conuenit. Natura ergo eſt, q̃ criſim facit. Medicus aũt ſecundariò ſanat tanquã naturæ miniſter, dum ſcilicet obſeruat, quid naturam grauet, quò vergat ipſa, & qua noxium humorem tẽtet propellere, & dum ſimul cogitat de adhibendo opportunè remedio conuenienti morbo. Tertio loco morbos curãt auxilia à Medico artis præceptis inſtructo adhibita. Natura autem aliquãdo ipſa ſola ad propulſandos morbos ſufficit, vt Galenus lib. 1. de locis affectis, cap. 1. aduertit. Quæ ſi deficiat, nihil prorſus medicamina proſunt, vt vulgus etiam aſſerit. Sed quare natura omnino ſufficit? an quia naturæ vis eſt potentior qualibet arte: idcirco ipſa per ſe ipſam agit: Medicus vero auxilio ipſius naturæ: atqui cum potẽs ſit, docta & prudens eſt, ideo ſumma quadam prouidentia noſtro corpori proſpicit. Quare Hippocrates libro de alimento, dixit, naturæ omnium nullo doctore vſæ ſunt. Quem locũ exemplo hœdi lactentis confirmat Galenus cap. 6. libro 6. de locis affectis, & cap. 13. lib. 1. de natu. facult. in hunc modum ſcripſit, Atque Hippocrates quidem omnium, quos nouimus, Medicorũ Philoſophorumq́ue primus, vt qui primus naturæ opera norit, hanc ſemper tum admiratur, tum

tum prædicat, quam & iuſtam nominat, & ſolã animalibus ad omnia ſufficere dicit, ipſamque per ſe ſine doctore, quæ opus ſunt, agere. Et nõ ſolùm iuſtam, imo iuſtiſſimam appellauit ipſam Hippocrates lib. 1. de fracturis cõ. 1. propterea quòd de omnibus partibus corporis prouidentiam habeat, & vnicuiq; alimentum præbeat, ſecundum vniuſcuiusq; naturam. Perinde enim natura, inquit Ariſtoteles cap. 4. lib. 2. de genera. anim. atq; paterfamilias prudẽs, nihil admittere ſolet, ex quo facere aliquid cõmodi poſſit. Diſpenſatur enim in cura rei familiaris ita, vt ci bus optimus detur liberis, deterior ſeruis, viliſſimus ſocijs animalibus. Ita natura alimentum melius partibus nobilioribus, peius alimentum mediocribus, & viliſſimum alijs tribuit. Eſt inſuper natura opulenta, ac diues, vt lib. 15. de vſu partium cap. 5. Et multis alijs locis teſtatur Galenus. Et Ariſtoteles cap. 1. Polytici primi, diſſerens naturam non gignere ſingula, ad plures vſus, ſed vnumquodq; ad ſuum peculiarem propriumq́; finem, inquit, non enim natura tale quippiam facit, quemadmodũ ærarij fabri gladium Delphicum, quaſi per inopiam, ſed vnumquodque ad ſingula. Nam Delphicus gladius ad eum modum erat fabrefactus, vt eodẽ ſimul & ſacras mactarent victimas, & nocentes afficerent ſupplicio. Meminit item huius rei Ariſtoteles cap. 6. lib. 4. de partibus animalium tractãs

de

de linguis inſectorum, quæ pluribus funguntur officijs, ſimul & tentãtes cibum & attrahentes, & ſpiculi vice aduerſus iniurias defendentes, id quod negat facere naturam, niſi coactã inopia, vt idem inſtrumentum ad vſus diſſimiles accõmodet, quandoquidem ad defendẽdum magis appoſitum videatur, quod ſit acutiſſimum: ad guſtandum, quod ſit fungoſum. Vbi enim, inquit, licet duobus vti ad duo opera, nec aliud impedit, nihil tale natura facere ſolet, quale per inopiã ars excuſoria obeliſco lychnium ex veru, lucernaq́; componit: attamẽ id ſi fieri non poteſt, eodem ad plura opera abutitur. Natura ergo cùm diues ſit, habet plures vias ac modos, per quos varios vſus operetur. Agit inſuper natura eodem modo: nam cuiusq; animantis cõceptus in ſuo genere ſtatuto tempore exactè ſeruatur, natura videlicet ordinatos motus ſemper habente. Sic etiam poſt editionem, ſeu partum vnumquodque animans increſcit abſoluitur, & declinat præfinitis temporibus. Cùm ergo natura potens ſit, prudẽs, iuſta, diues, & ſemper ſui ſimilis in actionibus ſuis, quid mirum erit, ſi naturam eſſe authorem criſium dicamus? Hæc autẽ natura nil aliud eſt, quàm anima vegetatiua Ariſtoteli, Stoicis, & Platoni concupiſcibilis, Galeno facultas naturalis, quæ cum vna ſit genere, ſpecie vero multiplex, vt ait Hippocrates libro de alimento, videndum eſt, quæ po-

tentia

tentia illius, ſeu pars criſes faciat, quæ nulla alia eſt niſi expultrix: hæc enim eſt, quæ detinet bonum, & malum expellit, per ſudores, per vrinas, per deiectiones, per ſputa, & alia huiuſmodi. Hinc Galenus lib. 2. de humoribus cōm. 21. dixit, Facultas igitur, quæ aliena expellit, ea eſt, quæ iudicationes in morbis facit. Proinde, cum omnia ea, quæ in animante ſunt, iam concocta ſint, tunc optimę iudicationes fiunt. Prius autē expelli, ac iudicationem præuenire, malum eſt: propterea, quod cum ijs, quæ noxia ſunt, etiam vtilia excernantur. Id quod fieri ſolet, cum natura, vel à Medico, vel ab ijs, quæ corpore continentur, irritatur. Item apho. 21. lib. 7. ait, Oſtenſum ſiquidem eſt in commentarijs de potētijs naturalibus, quod eſt quædam in ipſis vis aliena excernens, quæ & ſudores criticos, id eſt iudicatorios facit, & profluuia ſanguinis, & alui inferioris deiectiones, & quæcunque alia huiuſcemodi. Secundum hanc igitur vim nonnunquàm vehementius natura operans magnum, & violentum arteriarum efficit motum, appetens illa, quæ moleſtant expellere, atq; ita profluuium ſanguinis facit. Idem ſcripſit apho. 22. lib. 1. Et apho. 22. lib. 4. Et lib. 3. de criſ. cap. 13. Et lib. 3. de diebus decretorijs, cap. 8. Vis igitur expultrix eſt, quæ primò ac per ſe iudicationes facit. Secundariò vero copia humoris, acceſſio, & morbus ipſe: ex quibus ſi aliquod defecerit

criſes

criſes non fient. Quibus etiam accedit cauſa vna externa, aer ſcilicet ambiens. Copia, inquã, humoris criſim efficit, quoniã ſi natura nõ fuerit eo modo ſtimulata, non conabitur expellere quod nocuum eſt, idcirco perturbationes antecedunt criſes: & quanto maior fuerit abundantia, tanto perturbatio erit vrgentior. Acceſſio etiam facit criſim, quòd tum vehemẽter humores moueantur, & veluti feruentes erumpant. Vñ dixit Hippocrates, quæ diebus paribus exacerbantur, paribus iudicantur. Quorũ verò acceſſiones diebus imparibus fiunt, diebus imparibus iudicantur. Galenus autem lib. 3. de diebus decret. cap. 8. verba illa Hippocratis aduerbio, vt plurimũ, reſtringit, quod etiam quamquam non ita expreſsè facit cap. 4. lib. 3. de criſ. cum inquit, oportere criſim, in idem tempus cũ acceſſione incidere, neceſſariumq́; eſſe acutorum morborum febres, aut ſynochos eſſe, aut continuas, ſed quæ per tertium exacerbentur. Nam quãquam eo loco, id ſimpliciter enunciare videtur, ex ijs tamen, quæ ſubiungit ſatis intelligi datur, ipſum id non ſimpliciter enunciare, ſed innuere, vt plurimum fieri ſolere. Subiungit autem rarò adeò fieri, vt per eaſdem febres die quarto fiat criſis, vt Archigenes bis tantum toto vitæ ſuæ tempore id obſeruaſſe videatur. Ipſemet verò ad eam qua ſcriberet horam, ſemel tantum: Ex eo enim quod rarò fieri docet,

vt

vt per ſynochos, aut cõtinuas febres criſes quar ta die (id autem eſt paribus diebus, ac proinde etiam extra acceſſionem, cum acuti imparibus exacerbentur) fiant. Inde inquam inferre licet criſes, vt plurimũ cum acceſſionibus coincidere. In acceſſionibus, quæ in ſtatu fiant, propterea quod iudicationes in ſtatu maximè contingunt, in quo & coctiones humorum ſummopere pficiuntur, & in ipſo criſis optima profertur, quæ veluti canon, & exemplar, & ſigillum eſt aliarum criſium, quarum quæque ità bonitate cęteris præſtat, quò ad illam magis optimam accedit. Species quoque morbi eſt, quæ criſim facit, quoniam exactè peracuti iudicãtur in quarto die, peracuti nõ exactè in ſeptimo, acuti exactè in decimo quarto, acuti non exactè in vigeſimo, aut vigeſimo primo, acuti ex delapſu, ſequentibus diebus alij morbi potiùs ſoluuntur, quàm iudicantur. Huiuſmodi autem iudicationes variantur, ſecundum maius, vel minus naturæ robur. Fieri enim poteſt, vt qui ſeptimo die erat iudicaturus, in decimo quarto finiatur, quia natura imbecillis copiam humoris non valuit coquere perfectè vſque ad illud tempus. Perturbatur quoque ille terminus, vt ſæpè dictum eſt, & declarat Gale. cap. 11. lib. 1. de dieb. decret. & cap. 8. lib. 3. à Medico, ægro, miniſtris, & exteriorib. adde & ab ipſo ambiente: nam is, vt ex libris de morbis vulgaribus con-

ſtat,

ſtat, & prognoſt.40.lib.3. non parum iuuat, ad bonam, vel malam criſim efficiendam, ideoque Hippocrates dixit, in Lybia, in Delo, in Scythia prædicta prognoſtica vera eſſe, Libiã enim tanquam calidam ſcripſit, Scythiam tanquam frigidam, Delum tãquam modificatam mediamque inter vtramque, gratia exempli, commemorauit. Ergo natura ipſa eſt, quę iudicationes molitur, in hoc verò die magis, quàm in illo facit morbi ſpecies: dilatari autem hunc diem & illũ abbreuiari robur, aut imbecillitas naturę cogit, ſimul cum humorum coctione, aut cruditate, & alijs, quæ retrò diximus. Itaque ſi quando in homine, qui febrem habeat, vnà cum ſignis concoctionis etiam robuſtas vires comperies, eũ omni periculo vacare, & celeriter morbum iri diſſolutum ſcito. Sin robuſtæ vires ſint, ſed nullũ in humoribus concoctionis ſignum adſit, tum longiore temporis ſpacio ægrotum ſeruatum iri intelligito, ſi ęgri nullum erratum committant, aut nulla noxa extrinſecus accedat. Qui igitur Medicus fœlix voluerit eſſe in prædicendo, exactè facultatem cum morbi magnitudine metiatur, & proſpiciat deinde, num ferat, & feratur, vt inquit Galenus prognoſtico.6.lib.2. facultas enim fert, corpus fertur. Ergo, quemadmodum ferentes onera, aut grauati ab eis vix mouẽtur, aut ſi leuius appareat onus, innocuè ferunt: ità facultas. Si enim valida eſt, facilè corporis onus fert,

fert, vt haud quaquam mouendo oſtendatur: ſi debilis, vtpote grauata, vix ſubleuat corporis partes. Atque hæc quidem ſunt, quæ de cauſa dierum decretoriorum explicare propoſueramus, reſtat modò diluere aliquot dubia, quæ adhuc mentem lectoris cruciare poterant.

Explicantur, atque ſoluuntur nonnulla dubia, quę ex retrò dictis oriri poterant. Cap. VIII.

Primum.

QVAMOBREM Hippocrates maximè damnat mutationes, quæ in diebus decretorijs vergunt in deterius? An quia ex diei fide certiorem aſſument prauitatem? Item quòd lethalis morbi ſymptoma ſit, quemadmodum benigni, ſeu ad ſanitatem tendentis contrarium?

II.

¶ Quare dies ſeptima perfectiùs ceteris omnibus iudicat? An quia natura tunc fortis eſt, etſi quarta die præceſſit coctio, fieri nō poteſt, quin ſeptima ſoluatur morbus?

III.

¶ Qui nam morbi intra quatriduum iudicantur? Quibus dum acutè febriunt, vrina bene colorata, & commoderatè craſſa, & ſigna omnia ſaluberrima affuerint, & multò amplius ſi nebula, aut hypoſtaſis alba cum ijs apparuerit, ij inter quartum iudicantur. Sic ſi à principio in

morbo

morbo acuto omnia ſigna periculoſa, & mortẽ exitumq́; portendentia videas, intra quatuor morietur æger. Si ſigna ſalutis, aut mortis, & reliqua non ſuperlatiuè talia, ſed tamen adhuc lethalia ſunt, aut ſalubria, morbusq́; non ſimpliciſſimus, ſed ſimplex, morbum ad ſeptimam noueris fore prolungãdũ. Ante omnia igitur, quæ ſigna ſint periculoſiſsima, quæ ſaluberrima, quę ſalua, quæ exitioſa, prædidiciſſe, menteq́; obſeruaſſe oportet.

IIII.

¶ Cur ſi quemadmodum ſe habet quartus ad ſeptimum, ita ſe habet vndecimus ad decimum quartũ, ſi quartus indicet bene iudicatur morbus ſeptimo: ſi verò vndecimus indicet etiam benè, non proinde iudicatur decimo quarto? An quia natura fortior eſt in ſeptimo ad expellendum, quàm in decimo quarto?

V.

¶ Quare cum fortior ſit dies vigeſima in criſi committenda, quàm vigeſima ſeptima, & vndecima, quàm decima ſeptima priores longè validiores, ſi concocta aliqua ſputa in ijs apparuerint, non habent tantam vim ſoluendi morbi? Quia proceſſu euadunt imbecilliores, quamuis ſi in principio ſit morbus ſoluendus, ſint fortiores.

VI.

¶ Cur dies ſexta apud Hippocratem etiã benè

iudicet, quod etiam nos experientia obſeruaui-mus? An quia illi morbi paribus mouebantur, ideoque paribus iudicabantur? Quando enim Galenus cōparat ſextā diem tyrāno, intelligendus eſt in morbis, qui per impares mouentur.

VII.

¶ Cur in febre peſtilente ægrotantes diebus iudicatorijs ſalubrius ſe habere videntur, & tandem pereant? An quia illis diebus eſt pugna inter morbum & naturā, quæ ob morbi ſæuitiem nequit eum inuadere, vnde melius (quia ceſſat bellum) ſe habere videntur ægrotantes: poſteà verò morbus ſuperior factus vincit, ac iterficit.

VIII.

¶ Cur dies ſeptimus, omnium dierum decretoriorum, non numero & ordine ſit primus, ſed potentia & dignitate? An quod omnes decretoriorū notas occupet, & plurimos iudicet abſolutè, & cum manifeſta excretione.

IX.

¶ Cur iudicium decimi diei ſit malum, periculoſum, & imperfectum? An quia non eſt terminus alicuius morbi? Perinde nullum in duodecimo & decimo ſexto iudicatū vidit Galenus.

X.

¶ Cur dixit Hippocrates febricitātem, niſi diebus imparibus febris dimiſerit, reuerti ſolet, cū tamen conſtet, febres etiam nonnunquam in paribus diebus rectè iudicari? An quia locutus

eſt

eſt de febribus acutis, atque adeò tantum continuis, quæ in diebus imparibus iudicium habent. Hinc eſt, quod alio loco dixerit, ſudores febricitãti vbi incęperint tertio, & quinto, & ſeptimo, diebus boni.

XI.

¶ Cur ab Hippocrate appellatur decimus quartus impar? An quia finis eſt ſecũdæ ſeptimanæ.

XII.

¶ Quare quòd in continuis febribus vna dies in iudicationibus, videlicet, poteſt, id in intermittentibus vna acceſsio? An propterea quod, vt in febribus cõtinuis numeramus omnes deinceps dies in prædictionem futuræ iudicationis, ità in intermittẽtibus acceſsiones, vt quod in cõtinuis ſeptimus valet dies, id in intermittentibus ſeptimus circuitus poſſit? Ob id igitur tertiana exquiſita ſeptem circuitibùs, non diebus iudicari ſolet. Quinetiã quod quartus dies à principio numeranti ad ſeptimum eſt, id quartus circuitus ad ſeptimum circuitum. Quartus enim dies ſeptimi index eſt, & item quartus circuitus ſeptimi index eſt.

XIII.

¶ Quæ eſt iſta natura, quæ criſes facit? Eſt illa in qua elucent, atque expreſſe ſe proferunt diuinitatis veſtigia, cuiuſque rei principium, quo conſiſtunt omnia. Hæc natura eſt mens, ſeu ratio diuina, operum naturalium effectrix, rerum-

que exiſtentium conſeruatrix. Eſt etiam hæc natura ordinaria Dei poteſtas, vt Hippocrates docet: à nullo præceptore edocta, nec diſcurſu, neque rerum comparatione. Eſt inſuper natura principium motus ac quietis. Eſt denique forma rerum naturalium, quatenus ſunt naturales.

XIIII.

¶ Cur ſextus dies non ſine periculo & perturbatione iudicet? An quod natura, vt ſuprà diximus, intempeſtiuiùs inſurgat, & quaſi bellum indicet prius quàm vires recuperarit, & valida, recreataque fuerit: quo tempore nondum ſuperior, imo ne vix quidem par viribus cum morbo, difficultatem in eo profligando habet? Huc accedit, quod neq; tunc concocti ſunt humores, neque dies ille eſt terminus morbi acuti, ſaltem bonus. Qua ratione dixit Hippocrates, febricitantibus, ſi ſexto die rigores fiant, iudicationem habent difficilem.

XV.

¶ Cur tremunt, qui die ſexto iudicantur? Quia craſſi & lenti humores facultatis vias ita obſtruunt, vt parcior ſpiritus affluat. Tremunt autem illo die, quia difficile iudicium habent.

XVI.

¶ Cur in criſi grauiter ſe habent ægri, & grauitas hæc noctu fit manifeſtior? An quia hoc tempore dormire cõſueuimus? Somnis ergo à turba tunc interruptis, clarius grauitas illa percipitur.

¶ Cur

XVII.

¶ Cur decretoria, quæ non decernunt, mortalia ſunt? An quia tale ſignorum genus deterrimum eſſe conſtat. Nempe, quę vel tubercula, vel puſtulæ ex imo ad cutem enata recurrerunt, grauiſſima omnium exiſtunt. Sudores quoque, qui cœperunt quidem, ſed protinus ceſſauerunt, praui: ſunt deiectiones item, & quæ per ſanguinis eruptiones, vel in mulieribus per vterum vacuantur. Omnia ſiquidem hæc deteriora ijs ſunt, quæ nullo apparent pacto, ſi, vbi cœperint, ceſſent.

XVIII.

¶ Cur Hippocrates ſcripſit ante criſim noctem eſſe difficilem, & non diem, quum iudicatio pariter & nocte fiat, & die? Quia ſicut homo ceſſat ab operibus ſuis, ita etiam quodammodo à corporeis ſenſibus, noctis torpore ſimul & horrore occupatus, corporeorum ſenſuum exercitium non habet. Natura enim humana gaudet ijs excitari, quorum exercitatione moderata ſolet plurimùm foueri. Quum ergo acuta ægritudine aliquis detineatur, quomodo grauem noctem habebit, cùm hinc ægritudine premitur: hinc verò torpet adiutorio ſenſuum? Neceſſe igitur eſt, vt nocte ſentiat æger moleſtiam: in die verò quanuis non operetur homo, tamen ſenſus vigilant, & alia officia naturæ.

XIX.

¶ Quare ante criticum diem perturbatio fit? Quia natura paratur ad bellum, vt humores facientes morbum expellat: tunc autem oportet Medicum generoſum non perturbari, ſed futuræ rei euentum prænunciare.

XX.

¶ Cur nox, quæ iudicationem ſequitur, leuior exiſtit? An quod, ſcilicet iam natura ipſa à ſuperuacuis & corpus ipſum moleſtantibus humoribus exonerata ſit, atque adeo commodè nunc homo quieſcere poſſit?

XXI.

¶ Quæ facultatum in morbis iudicandis eſt neceſſaria? Animalis quidem nullum vſum præſtat, nec enim diſputare, aut currere, aut loqui, aut ratione quidquam agere ęgros neceſſarium eſt. Vitalis autem inquantum vitam tueatur, in tantum neceſſaria eſt. Neceſſarias autem eſſe naturales vires & robuſtiſſimas ſummè operæ pretium eſt, vt concoquant, & alterent, & expellent cauſas committentes morbos, & omnino vitioſitatem humorum emendent, & permutent in melius.

FINIS.

INDEX CAPITVM TOTIVS OPERIS, DE OPTIMA PRÆDICENDI RATIONE.

C ita libri Primi.

QVAM ſint neceſſariæ Medicorum prædictiones. Cap. j. fol. 1
Medicum poſſe, quid ſingulis ægris euenturum ſit, prædicere. Cap. ij. 5
Quòd Hippocrates in ratione optima prædicendi, cæteris omnibus ſit præferendus, atq; imittandus. Cap. iij. 10
Quòd oportet Medicum naturæ operum gnarum eſſe. Cap. iiij. 13
Quod citra prænotionem morbi fieri nequit, vt probè cures. Cap. v. 26
Præſagiturus Medicus neque in tenebris, neque à capite ægri reſidere debet, ſed illuſtri loco aduerſus ægrum, vt omnes notas ex vultu cubantis quoque perſpiciat. Cap. vi. 17
Non cuiuis medicinam profitenti valetudinis deſiderio ſtatim credatur, ſolis Medicis occidendi impunitate relicta. Cap. vij. 20

*De iys, quæ Medicus tenetur prædicere. Cap.viij.fo.*23
De morborum temporibus dignoſcendis & ſtatus præcognitione. Cap. ix. 31
De temporibus vniuerſalibus morborum. Cap.x. 33
De particularibus morborum temporibus. Cap.xi. 37

Capita Libri Secundi.

QVID *ſit ſignum, & quot genera ſignorum. Cap. j.* 39
De ſignis coctionis & cruditatis. Cap. ij. 42
De iys, quæ è pectore excreantur, nimirum ſputis. Cap. iij. 46
De deiectionibus. Cap. iiij. 49
De vrinis. Cap. v. 57
Qualis eſt vrina optima in ægrotantibus. Cap. vi. 59
De prædictione ex coloribus vrinarum & primum de vrinis albis. Cap. vij. 64
De prædictione ex vrinis pallidis. Cap. viij. 67
De prædictione ex vrinis rufis & flauis. Cap. ix. 68
De prædictione ex vrinis rubris. Cap. x. 70
De prædictione ex vrinis viribus, & oleaceis. Cap.xi. fol. 72
De prædictione ex vrinis liuidis & nigris. Cap.xij. 74
De prædictione ex vrinæ conſiſtentia. Cap. xiij. 76
De prædictione ex vrinæ contentis. Cap. xiiij. 79
Quid ex vrinæ quantitate & contentorum prædicendū ſit. Cap. xv. 82
Quid ex innatantibus in vrina, ramentis, capillis, &

aliys

aliјs corpuſculis in vrina ſparſis, prædicendum ſit. Cap. xvj. 84
Quo pacto prædictio ex ſudoribus ſumenda ſit. Cap. xvij. 85
De prædictione ex pure. Cap. xviij. 89

Capita Libri Tertij.

DE ſignis ſalutis & mortis. Cap. j. 91
De ſignis malis. Cap. ij. 94
De ſignis bonis. Cap. iij. 97
De cauſis incertitudinis dictorum ſignorum. Cap. iiij. fol. 98
De Methodo prædicendi mortem ac vitam. Cap. v. fol. 99
De ſignis iudicatoriis. Cap. vj. 102
Quę ſumatur ex pulſib us præſagitio. Cap. vij. 103
Quid pulſus & eius vſus. Cap. viij. 107
Pulſus & reſpiratio inter ſe cōparantur, & num æquales vires habeant ad prædicendum. Cap. ix. 110
Quòd pulſus eſt communis operationibus animalib. Cap. x. 111
De pulſuum differentiis, cauſis, & prædictionibus. Cap. xj. 112
De prædictione ex reſpiratione. Cap. xij. 119
De prædictione ex partib. corporis humani. Cap. xiij. fol. 125
De prædictione ex operib. partium corporis, & facultatum. Cap. xiiij. 147
De

*De iјs, quæ Medicus tenetur prædicere. Cap.viij.fo.*23

De morborum temporibus dignoſcendis & ſtatus præcognitione. Cap. ix. 31

De temporibus vniuerſalibus morborum. Cap.x. 33

De particularibus morborum temporibus. Cap.xi. 37

Capita Libri Secundi.

QVID *ſit ſignum, & quot genera ſignorum. Cap. j.* 39

De ſignis coctionis & cruditatis. Cap. ij. 42

De iјs, quæ è pectore excreantur, nimirum ſputis. Cap. iij. 46

De deiectionibus. Cap. iiij. 49

De vrinis. Cap. v. 57

Qualis eſt vrina optima in ægrotantibus. Cap. vi. 59

De prædictione ex coloribus vrinarum & primum de vrinis albis. Cap. vij. 64

De prædictione ex vrinis pallidis. Cap. viij. 67

De prædictione ex vrinis rufis & flauis. Cap. ix. 68

De prædictione ex vrinis rubris. Cap. x. 70

De prædictione ex vrinis viribus, & oleaceis. Cap.xi. fol. 72

De prædictione ex vrinis liuidis & nigris. Cap.xij. 74

De prædictione ex vrinæ conſiſtentia. Cap. xiij. 76

De prædictione ex vrinæ contentis. Cap. xiiij. 79

Quid ex vrinæ quantitate & contentorum prædicendũ ſit. Cap. xv. 82

Quid ex innatantibus in vrina, ramentis, capillis, &

aliјs

De dignitate & potentia dierum decretoriorum. Cap. iij. 192
De natura dierum vſque ad vigeſimum primum. Capitulo iiij. 194
De morborum principio, à quo dierum computatio fieri debet. Cap. v. 203
An à partu vel febre fieri debeat computatio dierum. Cap. vj. 204
Quod in iudicatorio die non eſt vtendum medicamentis purgantibus. Cap. vij. 206
Declarantur cauſæ cur noſtris temporibus non ita frequenter contingant criſes, quemadmodum tempore Hippocratis & Galeni. Cap. viij. 208
Quòd dies impares ſint fortiores in iudicando, & ſecuriores paribus. Cap. viiij 212
Mortis dies & hora vt præcognoſcenda. Cap. x. 213

Capita Libri Sexti.

QVòd numerus non ſit cauſa dierum criticorum. Cap. j. 215
Declarantur aliquot hypotheſes ex Galeno ad ipſius ſententiam explicandam. Cap. ij. 220
Quòd Luna habeat à Sole lumen & calorem. Caput iij. 225
De actionibus Lunæ in hæc inferiora. Cap. iiij. 229
Declaratur cauſa dierum decretoriorum ex Galeni ſententia. Cap. v. 234

De prædictione tranſmutationis vnius morbi in alterum. Cap. xv. 161.

Capita Libri Quarti.

QVid ſit criſis, & quotuplex. Cap. j. 163
De criſis differentijs. Cap. ij. 165
De iudicijs optimæ criſis. Cap. iij. 166
De ſignis antecedentibus vnamquamque criſim. Caput. iiij. 167
De ſignis antecedentibus omnia papularum genera. Cap. v. 170
De differentia bonæ & malæ criſis. Cap. vj. 174.
Quomodo prænoſcere oportet, an iudicabitur morbus, aut non & quando Cap. vij 176
Quod ſemper in acceſſionibus criſes fiant Cap. viij. fol. 178
Per quas vias vnuſquiſque morbus, qui per excretionem finitur iudicandus eſt. Cap. viiij. 179
Quòd Medicus tenetur non ſolum quæ in morbis euentura ſunt prædicare, ſed etiam ſuturæ ægritudinis ſigna exactè perpendere. Cap. x. 182.

Capita Libri Quinti.

AN ſint dies decretorij. Cap. j. 187
Quid ſint dies decretorij, & de cæterorum dierum differentia. Cap. ij. 191

De

De dignitate & potentia dierum decretoriorum. Cap. iij. 192

De natura dierum vſque ad vigeſimum primum. Capitulo iiij. 194

De morborum principio, à quo dierum computatio fieri debet. Cap. v. 203

An à partu vel febre fieri debeat computatio dierum. Cap. vj. 204

Quod in iudicatorio die non eſt vtendum medicamentis purgantibus. Cap. vij. 206

Declarantur cauſæ cur noſtris temporibus non ita frequenter contingant criſes, quemadmodum tempore Hippocratis & Galeni. Cap. viij. 208

Quòd dies impares ſint fortiores in indicando, & ſecuriores paribus. Cap. viiij 212

Mortis dies & hora vt præcognoſcenda. Cap. x. 213

Capita Libri Sexti.

QVòd numerus non ſit cauſa dierum criticorum. Cap. j. 215

Declarantur aliquot hypotheſes ex Galeno ad ipſius ſententiam explicandam. Cap. ij. 220

Quòd Luna habeat à Sole lumen & calorem. Caput iij. 225

De actionibus Lunæ in hęc inferiora. Cap. iiij. 229

Declaratur cauſa dierum decretoriorum ex Galeni ſententia. Cap. v. 234

Re-

Reprobatur Galeni ſententia de cauſa dierum decretoriorum. Cap. vj. 238
Veræ cauſæ dierum criticorum enarrantur, cum quibus Galenus conſentire videtur. Cap. vij. 243
Explicantur atque ſoluuntur nonnulla dubia, quæ ex retrò dictis oriri poterant. Cap. viij. 248

IVDICIVM OPERVM MAGNI HIPPOCRATIS,

LVDOVICO LEMOSIO AVTHORE,

Argumentum iudicij.

QVINQVAGINTA ferè ſunt volumina, quæ nomine Hippocratis circunferuntur, ab omnibusque ſub hoc nomine, & præſertim à Galeno paſſim citantur, omnia tamen Hippocratis, qui ob præſtantiam magnus vocatur, proculdubio non ſunt, ſed plurium aliorum, qui eo nomine, vtpote inſigni, gauiſi fuere, Medici omnes, & eiuſdem familiæ omnes. Cuius ſanè rei non ignarus Galenus veritatis aperiendæ cupidus, commentarium, cùm maius otium nactus fuerit, componere deſtinauit, in quo viam apperiret, quemadmodum ea omnia opera ſuis authoribus reſtituenda quidem forent. Verùm cum is liber, vel quia non compoſuit, vel quia perijt, non extet,

collectis omnibus,quæ ſua & ex aliorum ſenten tia ex tranſcurſu,ſuper hac re in omnibus libris ſuis Galenus ſcripſerit, libellum hunc conficere propoſui,ne Hippocratis ſtudioſi tam pericu loſa homonymia deinceps decipiantur, vnde non mediocre incommodum ſaluti imminet. Nam inter tot plagas, quas Hippocratis ſcripta paſſa fuerunt,hæc non mediocris eſt, quòd Hippocratis opera alienis miſta operibus calumnientur, ità, vt ſi Hippocrates viueret,ſua ſcripta minimè cognoſceret, quòd aliorum liuioribus, vibicibusque quaſi deformia reddita ſint,quemadmodum ex ijs,quę in hoc paruo libello dicemus, cognoſces. Neque me fallit fore aliquem, qui hunc laborem noſtrum acutis naribus & caperata fronte condemnet, negetque me omnia, quæ ad inuentionem librorum magni Hippocratis pertinent,attigiſſe: quem ego verum dicere fatebor, iuſtè negabo. Quippe ſi bonus eſt,quæ omiſi, non oblita mihi, ſed prætetita exiſtimet. Dehinc qualiſcunque eſt, cogitet ſecum,quàm multa de his non reperiſſet, ſi ipſe quæſiſſet. Poſtremò,quod facile eſt,cùm ipſe multa inuenerit, comparet ſe atque me:occupatum,cum otioſo:pranſum, cum abſtemio, diligentiam meam,& calumniam ſuam. Alius enim alio plura inuenire poteſt, nemo omnia.

Quan-

Quantum ſit neceſſe libros veterum incorruptes habere. *Cap. I.*

MAXIMA olim fuit inter veteres Hippocratis magni interpretes, de libris eius controuerſia: quinam eſſent illius germani ac proprij, qui verò ſpurij ac falſo tanto viro attributi. De quibus alij alia dixerunt, vt non facile ſit certum aliquid de ipſis pronunciare. Quod ipſe Galenus alta mente conſiderans, de proprijs libris Hippocratis, veluti de ſuis fecit, librum ſcribere pollicitus eſt: Si vnquam maius, inquit, in Procœmio lib. de humoribus, otium nanciſcar commentarium profectò conficiam, in quo qui veri, quique ſpurij libri Hippocratis ſint, exponam: & libro 6. de Hipp. & Plat. decretis cap. 5. & nos etiam, ait, ſi Deus aliquando conceſſerit, vt de germanis vtriſque Hippocratis libris commentarium ſcribamus, pluribus oſtendemus, An verò Galenus hoc opus ediderit minimè cõſtat, cùm non exſtet, neque aliquis ſit ſcriptor, qui illud legiſſe feratur. Videbat nanque ſapiẽtiſſimus Galenus non parum conferre ad medicam facultatem intelligẽdam, ſcire, quæ nam eſſent propria opera ac germana cuiuſlibet authoris: proptereà quòd, ſi in libro ſapientis manifeſtum mendacium deprehendamus, potiùs dubitandum eſt nos non intelligere, quàm il-

lum

lum erraſſe, vt aphor. 34 lib. 6. ſcriptum ipſe reli quit. Aut amicè eſſe, quod capit. 5. libro 2. de ſympt. cauſ. ſcribit, interpretandum, quàm hoſtiliter inſectandum. Hinc Galenus veteres ſcripturas ſemper eligebat, licèt difficilius explicarentur, vt ipſe lib. 6. de morb. vulga. ſect. 3. com. 31. tradidit. Quod ſi opus non eſſe alicuius authoris magni nominis, conſtiterit, haud dubiè, buccis plenis & ipſum errare, & reprehendere non erubeſcemus: eò quod ab alijs edocti, illis & meliores & doctiores effici poſſumus. Quare in eo maximè laborandum eſt, vt diligenter verus author operis cuiuſlibet perſcrutetur, quis nam ille ſit, vt argumentum ad rem probãdam firmius, & ſtabilius euadat, vt cap. 9. primi Topici Ariſtoteles aduertit. Nam, licèt in medicina duo ſint inſtrumenta, quibus omnia firmare ſolent Medici ac ſtabilire, ratio ſcilicet, & experientia, quibus ipſa medicina, & præter mathematicas artes, pleręque aliæ fulciuntur: authores tamen qui rationes excogitarunt, & eaſdem experientia confirmarunt maximi habẽdi ſunt, niſi omnia nouiter velimus experiri, & omnium rationem ſubinde inueſtigare: quod licet noſtra vita triplo longior eſſet, nullo pacto id conſequi poſſemus. Vnde enim nos agaricum pituitam attrahere cognoſcimus, & huic morbo prodeſſe, illi verò nocere? Non quid ratione, aut noſtris experientijs id inuenimus? minimè ſanè.

Ab authoribus illud accepimus, noſqueillis eatenus fęliciores ſumus, quòd ea, quæ illi longo temporis ſpacio, multis laboribus curiſque inuenerunt, breui tempore diſcimus. Quod ſi poſthac non negligenter artes excolere, & ſimilium diſſimiliumque diſcretionibus aſſiduam operam ſtudiumque impendere voluerimus, nihil vetabit, quominus veteribus meliores eruditioresque efficiamur. Habemus enim in qualibet arte, quem præcipuè imitemur: Phyſiologi habent ſuum Ariſtotelem: Geometræ Euclidē: Aſtrologi, Ptolomæum: nos Medici Hippocratem, non quenuis, ſed magnum. Is enim præcepta curandi morbos optimè docuit: præcepta, in quam, generalia, nō particularia, quæ neque ipſe attigit, vt planè fatetur in ea epiſtola, quam ad Crateuam ſcripſit. Ego enim dicens, etiam ſi iam ſenex ſim nondum ad finem medicinæ perueni. Quæ verò ad prædictionem morborum ſpectant, abſolutè abſoluit. Illa verò, quæ ad cognitionem ipſorum pertinebant, etſi obſcurè ac imperfectè, ab illo tamen illa edocti, vt nihil nobis ignotum fuerit relictum. Huius ergo viri tam celebris germana opera inueſtiganda ſunt, & cum maxima diligentia inquirenda: quod quantum difficile ſit, facilè intelligetur ex verbis Galeni, qui in illis duobus locis tempus commentarium hoc ſcribendi, deſiderat quod nunquam edidit, vt vel etiam ex li-

bello ſuorum operum palàm eſt, quod in alijs operibus ſcribendis, nunquam ſic pollicitus eſt. Indicauit tamen Galenus viam ac methodum, qua opera hæc inuenire valeamus: quoniam librum aliquem non eſſe alicuius authoris poteſt à loquendi modo, & ab ipſa reprobari, vt apho. 63. lib. 7. ipſe tradidit. Cum igitur vnum germanum pro comperto habuerimus, ex modo dicendi, & acumine ſententiarum, inſtar huius, alios reperiemus, vt ipſe Galenus oſtendit in Procœmio libri de humoribus. Ijs igitur veſtigijs, tanquam certiſſimis ducibus poſſumus tutò libros germanos ac proprios magni Hippocratis venari, eosque ab ſpurijs & corruptis diſtinguere. Vnde autem tantum malum in medicina euenerit, vt nomine Hippocratis multi alij libri circunferantur, qui Hippocratis non ſunt, paucis dicam. Ante ætatem regum Alexandriæ & Pergami nullum librum falſum titulum habuiſſe, Galenus lib. 1. de hum. com. 1. affirmat, in hunc modum dicens, Quo enim tempore Pergameni Alexandriniq; reges inter ſe de libris ſibi comparandis certatim contendebant, eo ipſo tempore ab ijs, qui pecuniarum cauſa ad reges clarorum hominum ſcripta afferebant, & confectiones librorum deprauari cœperunt. Et libro 1. de natur. hum. com. 43. ante enim, inquit, quã reges in Alexandria & Pergamo in comparandis veterum libris largiter munifici eſſent, nec-

dum

dum falſo liber fuerat inſcriptus, cum, qui librum ipſis veteris cuiuſpiam viri afferrent, accipere pretium incępiſſent, ſic multos, vbi falſam inſcriptionem feciſſent, attulere. Maximum enim certamen fuit in libris comparandis inter Attalum regem Pergami, & Ptolomæum regem Alexandrię, vt Galenus in Proœmio libro 2. de natur. hum. ſcriptum reliquit: nam quo tempore, ait, Attalici, & Ptolemaici reges inuicem in comparandis libris de munificentia contendebant, malitia initium habuit circa ipſorum cum inſctiptiones, tum apparatus in ijs nimirum, qui ad reges, vt argentum acciperent, libros illuſtrium virorum afferrēt. Nam tanti ſtudij ad veterum libros comparandos Ptolomæi illius, magnum eſſe argumentum referunt, rationem, quam habebat cum Athenienſibus: qui quindecim pigneratis argenti talentis, Sophoclis ab eis accepit, & Euripidis, Aeſchyliq́ue libros, vt eos tantum deſcriberet, & mox ſartos tectos reſtitueret, magnificè cum apparauiſſet eos in pulcherrimis membranis, quos ab Athenienſibus acceperat, retinuit: illis miſit, quos ipſe parauerat, orans quindecim talenta tenerent, acciperentq́ue nouos pro veteribus, quos ipſi dederant libros. Quòd ſi Athenienſibus ne nouos quidē remiſiſſet libros, ſed veteres retinuiſſet, non erat, quod ægrè ferrent, qui argentum hac lege acceperant, vt hoc ipſi ſerua-

rent,ſi ille retineret libros. Atque illi ſimul & nouis libris & argento ſunt potiti Hæc Galenus lib. 3.de morbis vulgaribus.ſect.2.comment.4. Hanc etiã Ptolomæi diligentiam in libris comparandis confirmat Euſebius libro 8.de præparatione euangelica capit. 1. qui ob traductionem ſcripturæ ad Eleazarum pontificem, auri quinquaginta talenta, argenti centum, & lapides non paucos ad crateras, phialas, & menſam, cæteraque vaſa & ſacrificia facienda Deo, miſit. Hæc etiam ſcribit Iuſtinus Martyr in ſermone ex hortatorio ad gentes. Itaque veteres illi nihil intentatum, inexpertumq́ue reliquerunt, 'nihil occultatum, quod non prodeſſe poſteris cuperent'. Pompeius cognomento Magnus, ſuperato Mithridate, commentationum medicinæ ac antidotorum exemplaria, quæ ille in arcanis ſuis reliquit, transferre ſermone Latino, vt vitæ hominum prodeſſet libertum ſuum Lenæum iuſſit: Medici illi, quorum huius maximè intererat, authores priſcos non ſitu obſoleſcere, ſed etiam barbariſſimos, & peregrinos ſcriptores, inuicem optimorum ſurrogari, ſunt paſſi. Veteres igitur Medici, licèt omnia non attigerint, reprehendendi non ſunt, imo potius laudandi,quòd inueſtigare ſunt conati, veluti Hippocrates libro 1.de diæta, inquit. Et ſuis philoſophis maximas agere gratias oportere, licèt omnia non caluerint, Ariſtote-

ſtoteles multis in locis, affirmat, & præſertim cap. 5. lib. 2. de cœlo.

De more veterum ſcribendi in tabulis & de origine artis impreſſoriæ. Cap. II.

NOn minor cauſa fuit deprauatæ ſcripturæ librorum, ſcribendi mos, quo veteres vtebantur, & eoſdem publicandi conſuetudo. Scripſiſſe enim veteres in tabulis cõſtat, ex ijs quæ ſtatim ſubijciam. in operibus Hippocratis lib. 6. de morbis vulg. ſect. 7. text. 34. ſcribitur, Hæc ex natura tabella. Et Galenus in com. inquit, puto hoc fuiſſe adſcriptum à Theſſalo Hippocratis filio, qui vt notaret vnde nam omnia, quę collegerat, ſumpta eſsẽt, ſic addidit, vt poſtea cognoſceret, vnde illa ęſſent repetẽda, ſi quid fortaſſis occurriſſet. Conſueſſe autem veteres in tabulis aut tabellis ſuas res conſcribere conſtat inter omnes. Alia etiam in membranis, alia in codicibus tiliæ ſcribebant, vt in Proœmio de ijs quæ in medicatrina fiunt Galenus ſcribit. Membranæ autem dicuntur chartæ pergamenę, quòd de animalium membris ſint detractæ, in quorum tergoribus primùm ab vno latere ſcribi cœptum, deinde ab vtroque, de raſis pilis. Harum vſus Pergami, regnante Eumene inchoauit: magnamque earum vim Rex Attalus Romam miſit, vt penuria chartæ pellibus penſare

ſaretur, vnde Pergamenarum nomen ad hanc vſque diem, tradente ſibi inuicem per manus poſteritate, ſeruatum eſt, Quintilianus libr. 10. cap. 3. inquit, illa quoq; minora non ſunt tranſeunda, ſcribi optimè ceris, in quibus facillima eſt delendi ratio, niſi fortè viſus infirmior membranarum potius vſum exiget. Plinius lib. 7. cap. 21. in nuce incluſam Iliada, Homeri carmen, in membrana ſcriptum, tradidit Cicero.
Martialis lib. 1.

Hos eme, quos arctat breuibus membrana tabellis.

Horatius in arte.

Membranis intus poſitis delere licebit,
Quod non edideris.

Cicero pro C. Rabirio, cum inquit, auditæ viſæque merces, fallaces quidem & fucoſæ: chartis & linteis & vitro delatæ. Differt autem charta à membrana, quòd membranæ pelliceæ ſunt, & Pergami primùm inuentæ: vnde & Pergamenæ ſunt appellatæ. Chartæ autem olim ex papyro in Aegypto fiebant, vt Plinius oſtendit cap. 12. lib. 13. Apud nos decentonibus certo quodam modo maceratis & glutino concretis firmãtur. Chartam ex papyro in victoria magni Alexandri inuentam ſcribit Varro: antea palmarum folijs ſcriptitatum fuiſſe, deinde quarundam arborum libris, poſtea publica monumenta plumbeis voluminibus, mox & priuata linteis, & ſchedis confici cępta. Ptolomæus autem chartas,

Eume-

Eumenes vero membranas, cùm vterq; eorum maximas haberet bibliothecas, inuenerunt: quorum alter Pergami, alter Aegypti rex fuit, vt ſuprà dictum eſt. Plinius autem putat charta rum vſum Numæ temporibus fuiſſe, idq; autho ritate Caſſij Heminæ confirmat, qui Cn. Terentium ſcribam, agrum ſuum in ianiculo repaſtinantem, inueniſſe, ait, arcam, in qua Numa rex ſitus eſſet, & in ea libros eius è charta ſcriptos. Sed Numam pluribus ætatibus ante Alexandrū fuiſſe conſtat. Solebant etiam priſci in corticibus arborum nomina deliciarum ſuarum notare. Virgilius Ecloga decima,

-Teneriſq; meos incidere amores
Arboribus: creſcent illa, creſcetis amores.

Et in Ecloga quinta,

Imo hęc in viridi nuper quę cortice fagi,
Carmina deſcripſi, & modulans alterna notaui,
Experiar.

Oenone quoque ad Paridem apud Ouidium, ſic dixit,

Populus eſt, memini, fluuiali conſita ripa,
Eſt in qua noſtri litera ſcripta memor.
Et quantum trunci, tantum mea nomina creſcunt,
Creſcite: & in titulos ſurgite ritè meos.

Publicabant autem veteres libros ſuos in templo ſui Dei, palàm eos collocantes, vt omnibus eſſet perſpicua editio: qui ſi non eſſent à viris doctiſſimis huic muneri dicatis, appro-

bati, vt etiam nunc regia lege ſancitum eſt, nequaquam diuulgabantur: niſi tales eſſent authores quod extra omnem ingenij aleam ponerentur: quibus ſine approbatione licitum erat in publicum edere, quicquid vellẽt. Quam promulgandi facultatem Auguſtus Virgilio conceſſit, Veluti Ecloga prima.

Et ipſum
Ludere quæ vellem, calamo permiſit agreſti.

Poëtæ enim ad templum Apollinis opera ſua deferebant: quod Auguſtus, vt ait Suetonius cap. 29. in ea parte Palatinæ domus excitauit, quam fulmine ictam deſiderari à Deo aruſpices pronunciarent. Addita porticus cum bibliotheca Latina, Græcaque: quo loco iam ſenior ſæpè etiam Senatum habuit, decuriaſque iudicum recognouit. Ad hoc templum Martialis librum ſuum mittebat, dicens Epigr. 38. libro primo.

Inde ſacro veneranda petes palatia cliuo
Plurima qua ſummi fulget imago ducis.

Et Epigr. 3. lib. 12.

Iure tuo veneranda noui pete limina templi
Reddita Pierio ſunt tibi templa choro.

Et Perſius in præfatione dixit,

Ipſe ſemipaganus
Ad ſacra vatum carmen affero noſtrum.

Quæcunque igitur ab Hippocrate ſcripta ſunt

vt

vt diuulgarentur, in templo erant poſita, ideoque limitata ac perfecta. Opera quoque Galeni in templo reponebantur, qualia fuerunt de compoſitione medicamentorum per genera, quæ Romæ vnà cum alijs incendio conflagarunt, quando Pacis delubrum totum, & ingentes palatij bibliothecæ exuſtæ fuere, vt ipſe Galenus ait cap. 1. lib. 1. per genera. Et lib. de libris proprijs cap. 2. & 11. Poſtquã vero ars impreſſoria inuenta eſt, minus corrumpi libri cœperunt, tum quia maior copia illorũ eſt, tum etiã quia inter excudendum correctores adſunt ad errores caſtigandos, & delendos. Cœpit autem hæc celeberrima ars Anno Chriſti MCCCCXL. inuenta à Ioanne Gutembergio Germano Argentino. Is enim primus artem excuſoriam in vrbe Argentina inuenit. Inde Maguntiam veniens eãdem feliciter compleuit. Hinc Beroaldus in quodam Hendeca ſyllabo de laude huius artis cecinit.

O Germania muneris repertrix,
Quo nil vtilius dedit vetuſtas:
Libros ſcribere, quæ doces premendo.

Non piguit in præſentia eum qui chalcographiam inuenit, memorare. Non ſunt enim tantæ rei authores ſua laude fraudandi, præſertim vt poſteritas ſciat, quibus hoc diuinum & immortale munus acceptum referre debeat.

De

De magno Hippocrate, patre, & auo, filiis & nepotibus. Cap. III.

PRAESTANTIA & ſapiẽtia Hippocratis magni conſtat ex illa epiſtola, quam Pætus Regi Artaxerxi ſcripſit, in hunc modum, Naturalia auxilia peſtilentis morbi popularem graſſationem non ſoluunt. Qui enim ex natura fiunt morbi: eos ipſa natura iudicans ſanat. Qui vero ex populari graſſatione, eos ars curat, artificioſè iudicans corporum mutationem. Hippocrates autem Medicus curat hoc malum. Et genere quidem eſt Dorienſis: ex ciuitate Co, patre Heraclida, qui filius fuit Hippocratis, qui Gnoſidici, qui Nebri, qui Soſtrati, qui Theodori, qui Cleomittadæ, qui Chryſamidis. Eſt igitur diuinus Hippocrates nonus quidem à Chryſamide rege: decimus autem & octauus ab Aeſculapio: vigeſimus vero à Ioue: ex matre vero Praxithea Phenaretes filia, ex familia Heraclidarũ. Quare ex vtroque ſemine à Dijs ortum habet diuinus Hippocrates: vt qui à patre quidem Aſclepiades eſt, à matre vero Heraclides. Didicit autem artem, tum à patre Heraclida, tum ab auo Hippocrate. Verum ab ijs quidem primũ, velut veriſimile eſt, in re medica initiatus eſt, quantũ ſane credibile eſt hos nouiſſe. Vniuerſam vero artem ipſe ſeipſum docuit, diuina

natura

natura vſus, & in tantum animi induſtria progenitoribus tranſgreſſus, quantum etiam artis præſtantia eoſdem ſuperauit. Tollit autem non beſtiarum genus, ſed ferorũ ac agreſtium morborũ, per magnam terræ ac maris partẽ, Aeſculapij auxilia, quemadmodum Triptolemus Cereris ſemina diſpergens. Proinde iuſtiſsimè in multis terræ locis diuinos honores etiam ipſe conſequutus eſt, & iiſdem donarijs cum Hercule & Aeſculapio Athenienſibus dignus factus eſt. Hunc ipſum accerſe, & auri, atque argenti quantum voluerit, ipſa dare iube. Hic enim nõ vnum modum curationis huius morbi nouit. Hic eſt ſanitatis pater, hic ſeruator, hic dolorũ curator. In ſumma, hic diuinæ ſcientiæ particeps. Vale. Cùm ergo ab vniuerſa Græcia peſtem fugaret Hippocrates, accenſis ignibus, ob eam rem Athenis aurea ſtatua illi erecta eſt, & vt Ariſtophanes inquit, Honores Herculi decretos, vni Hippocrati, ob eius merita, vniuerſa Græcia impertiebat, veluti ſui Coi, qui ſingulis annis illi per multa ſęcula parentabãt, eo præcipuè die quo natus fuerat. Eſt autem natus Hippocrates primo anno 80. Olympiadis, die 27. menſis Agrianei. Floruit eo tempore, quo Democritus Abderitanus, vt ex epiſtolis ipſius cõſtat. Plinius lib. 7. cap. 37. inquit, Hippocrates in medicina, qui venientem ab Illirijs peſtilentiam prædixit, & diſcipulos ad auxiliandum cir

ca vrbes dimiſit: quod ob meritum honores il-
li, quos Herculi, decreuit Græcia: & cap. 1. lib.
29. ait ſequentia eius (mirum dictu) in nocte
denſiſsima latuere vſque ad Peloponeſia cum
bellum: tunc eam reuocauit in lucem Hippo-
crates, genitus in inſula Coo, in primis clara ac
valida, & Aeſculapio dicata. Is cũ fuiſſet mos,
liberatos morbis ſcribere in templo eius Dei
quid auxiliatum eſſet, vt poſtea ſimilitudo pro-
ficeret, ſcripſiſſe ea traditur, atque (vt Varro
apud nos credit) iam templo cremato, inſtituiſ-
ſe medicinã hanc, quæ Clinicè vocatur. Et c. 2.
lib. 26. de laude Hippocratis, ita inquit, Hippo-
cratis certè, qui primus præcepta medendi cla-
riſsimè condidit, referta herbarum mentione
inuenimus volumina. Euſebius in ſuo Chroni-
co tradit natum Hippocratem fuiſſe Anno mun
di 4760. quo tempore Ezras propheta quoque
viguit. Suidas ſic de Hippocrate ſcripſit: Eius
libri tanquam diuino emanauerint ore, vbique
celebrantur, in primo enim iuſiurandum conti-
netur, in ſecũdo prognoſtica, tertio aphoriſmi,
quarto illa admirabilis compoſitio LX. libris
omnem ſcientiam medicinæ complectens. Ex-
ceſſit è vita annos natus C I I I I. ſuſcepit filios
Theſſalum & Draconem. Hunc ergo Hippocra-
tem nullus ante Galenũ intellexit, à quo mul-
tis varijſque nominibus laudatur, verax enim à
Galeno appellatur, probus, magnus, omnium

philoſo-

philoſophorum & Medicorũ Princeps, diligentiſſimus, magiſter, nobiliſsimus, author & dux omnium diſciplinarum, medicinæ artis omniũ bonorum author, maximè admirandus, diuinus Senex venerandus, cuius dictio tanquam Dei vox eſt, vir qui nihil fruſtra, aut dixit, aut ſcripſit. Plato in Protagora, & in Phædro Aeſculapij ſucceſſorem, nuncupat. Macrobius lib. 1. in ſomn. Scip. cap. 6. neque fallere, neque falli poſſe hunc Hippocratem, tradidit. Habuit Hippocrates iſte magnus duos filios Theſſalũ & Draconem, vt conſtat ex oratione Theſſali filij Hippocratis ad Atheniẽſes, me vero, inquit, in Macedoniam demiſit. Cùm regibus enim Heraclidarum, qui iſthic Imperium obtinent, paterna nobis intercedit amicitia. Et ego quidẽ ibam à Theſſalia eo, quo me pater iuſsit, auxilium his qui iſthic eſſent laturus. Iniunxit autem mihi, vt etiam vrbi veſtræ opem ferrem. At fratrem meum Dracone ex Pegaſis profectum, in Helleſpontum nauigare iuſsit, conſimili conſilio inſtructum, quali etiam ipſe vtebatur. Non. n. omnes loci eadem auxilia ferunt, eo quòd non omnis ambiens nos aër ſimilis eſt. Polybium vero, qui filiam ipſius, meam autem ſororem habet, & alios diſcipulos, ad alios aliorũ conuentus, & vias profecturos emiſit, quò quam plurimis opitularetur. Habuit etiam Hippocrates magnus duos nepotes ex Theſſalo & Dracone,

ex

ex quocunque Hippocratem vnum, vt Galenus cõm. 1. lib. 1. de humor. inquit in hunc modum, Dioſcorides autem exiſtimauit hanc dictioné eſſe Hippocratis Theſſali filij: ſiquidem magnus Hippocrates duos habuit filios, Theſſalum & Draconem: quorum vterque filium nomine Hippocratem ſuſcepit: & idem repetit Galenus prorhetico. 18. lib. 2. Et cap. 8. lib. 2. de diff. reſp. Et lib. 2. de natur. hum. cõm. 1. Porrò, non nepotes per Græcię ciuitates, quemadmodum filios & generum Hippocratem diſperſiſſe ad peſtilentiam ſedandam, ex oratione Theſſali conijcies, quam cum Athenienſibus habuit à Cois legatione immiſſus, quod eo tempore, vel nati non fuerint, vel nondum in medicina inſtructi. Et in lib. 3. de differ. reſp. in fine, filios Hippocratis eiuſdem cum parẽte artis fuiſſe Galenus ſcribit, à quibus non longè Euriphontem abeſſe, quem inter præcipuos eius ætatis ſemper connumerat, quoties in ſuis operibus eiuſdem meminit. Nam de Theſſalo in Procemio ſect. 2. lib. 8. de morb. vulg. ſpeciatim dixit, Erat autem inter filios Hippocratis probatiſſimus, qui parentis mentem eſt aſſecutus: & in Procemio ſuper librum de hum. de ipſo vnà cum Polybio ſcribit eiuſdem Hippocratis artem & ſciẽtiam habuiſſe, & ab ijs non remotum eſſe Euriphontẽ, quorum omnium opera Hippocrati attribuuntur, vt addit in fine lib. 3. de diff. reſp. De Polybio

ſpeciatim

ſpeciatim etiam ſuper librum de natur. humo. in Procemio, quòd non ſolùm Hippocratis diſcipulus fuit, ſed etiam in diſcipulis docendis ſucceſſor, qui nullũ planè ipſius dogma ſibi vendicans, in vllo ipſius libro tranſmutaſſe videtur: quemadmodum neq; Theſſalus eius filius, memorabilis ſanè vir, & hic exiſtimatus, ſed qui nõ in patria ſicut Polybius permanſerit. Nam Archelao regi Macedoniæ familiaritate conuixit. Quos omnes præter Draconem ſcripſiſſe, in hoc libello videbimus, Medicus tamẽ Draco ipſe fuit, & pater eum cum Theſſalo, & Polybio per Græciȩ ciuitates ad tollendam peſtilentiam diſperſit, vt ſuprà relatum eſt. Quod autẽ Galenus libro illo, quòd animi mores corporis temperaturas ſequantur, cap. 4. inquit, Hippocratis autem filij ob calorem immodicũ ſtulti in Comicorum fabulis videntur. Vbi nomine Comicorũ intelligit Ludouicus Cȩlius lib. 25. antiq. lect. cap. 26. Ariſtophanem, qui ita ait.

Hippocratis filios exhibebis, teq; vocant. Fatuum.

Hinc Hippocratis filij, in prouerbium abijt, pro fatuis. Vnde Solon, vt Plutarchus refert in eius vita, ad Piſiſtratum dixit, non rectè ò fili Hippocratis Homericum Vliſſem aſſimilas. Non eſt intelligendum hoc opprobrium in filios Hippocratis illius magni, proiectum, vt ex dictis conſtat, ſed in filios alicuius nepotis, aut alte-

rius

rius Hippocratis Medici: quoniam vt Suidas teſtatur quinque fuere Hippocrates, omnes quidem eiuſdem artis & familiæ. De hoc tamen quinto in monumentis Galeni nihil dictum reperimus.

De cauſis corruptorum operum magni Hippocratis. Cap. IIII.

MVLTAE ſunt cauſæ, quæ iudicij certitudinem obfuſcant, quibus minus intelligamus, quodnam ſit verum ac germanum magni Hippocratis opus. Et prima quidem eſt nomen ipſum, fuerunt enim plures Hippocrates Medici, vt paulò ſupra diximus. Homonymia igitur nominis opera Hippocratis obſcura reddidit, cùm enim inſcribitur opus Hippocratis, dubium eſt, cui Hippocrati illud verè attribuatur. Deinde quod dictionis characterem poſſibile ſit ſeruare: Theſſalus enim eius filius maximè in dictione Hippocratem eſt imitatus, vt Galenus lib. 3. de morb. vulga. ſect. 2. in Procemio, tradidit. Tertiò quòd vnus & idẽ ſcriptor modo robuſtiore, modo remiſsiore dictione per ætatem vtatur, & cum non ſit vbique ſui ſimilis, facile erit eius opus, aut commutare, aut imitari. Item quòd multa ſunt inſerta in libris Hippocratis, quod Galenus vehementer deplorat prorhe. 4. lib. 1. Et lib. 6. de morb. vulg. ſect. 2.

ſect.2.cõm.41.& ſect.3.com. 19. Et verba huius loci referre libet, Theſſalus, inquit, Hippocratis filius, ſi in patris commentarijs repertum reſcripſit, & libro interſeruit, malè fecit: nam à patre longo tempore dijudicata, & per Aphoriſmos in communem enunciationem redacta firmiora ipſum putare oportuit, quàm illa, quæ dum quærerentur antea, nondum cognoſcebantur. Quod ſi ipſe ex ſe id adſcripſit longè maius peccatum cõmiſit, patris cõmunem enunciationẽ inuertens, atque deprauans. Atſi quiſpiã alius Theſſalo poſterior librum hunc ſcripſit, malè & ipſe fecit, vt enim ſępè iterauimus, experientia rerum euidenter apparentium index eſt, non ratio, quam ſibi vnuſquiſq; veriſimiliter commẽtus fuerit. Nam cũ aliquid fieri fama ſit, ratio inueſtigat, atq; id ita eſſe contendit: cum quid autem planè fieri conſpicitur, nugatoria & ſuperuacua ratio eſt, quæ ipſum fieri causam afferens, dicat. Et ſect.5.cõm.5. quamobrem, ait, neque legitimam hanc eius eſſe particulam, ſed ab aliquo, vt pleraſque alias, fuiſſe interpoſitam, forſan vero & eius filium Theſſalum patris ſcripta collegiſſe, vt aiunt, in chartis, & corijs, & tabellis ea nactum, & huius generis quaſdam particulas interieciſſe accidit. Qua de re multa Galenus ſcribit lib.3. de morb.vulga.ſect.1.cõm.4. Et ſect.2. in Procemio. Et li.4. de ratione victus in Procemio, & lib.1. de hum.cõm.11. Addę, ꝙ
 veteres

veteres & recentiores Hippocratis interpretes, cùm nomen dictionis, quid ſignificet, ignorarint, multa, quę minimè decebat, attulerũt, corrigentes ſanè ea, quæ non intelligebant, vt lib. 1. de humo. cõm. 24. inquit Galenus. Inter omnes autem qui veteres ſcripturas peruerterunt, Capitonem & Dioſcoridem ad hoc faciendum, audaciſsimos reperio, ait idem Galenus lib. 6. de morbis vulgaribus. in Procœmio, & lib. 1. de natur. hum. comm. 1. Artemidorus, inquit, qui Capito fuit appellatus, edidit Hippocratis libros: quam editionẽ approbat non ſolùm Adrianus Imperator, ſed etiã nunc multi non modicè excolunt, ſicuti & eam, quam Dioſcorides edidit cognatus ipſius: vtrique igitur multas veteres ſcripturas immutarunt, quas norunt tantum ij, qui libros Hippocratis expoſuere. Verùm Capito præter cæteras quidem & hanc, quam nũc in manibus habemus immutauit, quam in hunc modum ſcripſit. Non. n. in vniuerſum aerem dicimus hominem eſſe, neq; ignem, neque aquã. Quoniam profecto librum antiqui hominis nõ adinuenit, qui terram ſolùm dixerit elementũ eſſe, neque hiſtoria perhiberi, præſertim à Peripateticis viris talem hiſtoriam excernentibus, quidquam eiuſcemodi opinionis cuiquam fuiſſe aſcriptum, factum eſt, vt dictionem aliquã audacter immutarit. Quibus & ſequentibus verbis, non vt decebat, reprehendit Capitonem:

non

non enim à dictione Hippocratis terram deleuit, quia non inuenit librum hominis antiqui & præſertim ex Peripateticis, qui ſolam terram eſſe elementum tradiderit, quoniam Ariſtoteles cap.4. lib. 1. Metaph. dixit Heſiodum huius ſententiæ fuiſſe, quam ipſe in lib.2. quem inſcripſit opera & dies, ſcriptam reliquit. Et eundem Heſiodum, licèt nomine tacito, citat Ariſtoteles cap.1.lib.2. Phyſic. Quod ſi idem Ariſtoteles cap.2. lib. 1. de anima ſcripſit, terram nullũ iudicem habuiſſe, intelligendus eſt in ijs, quæ ad animam ſpectant. Redeamus ad Hippocratis correctores, quos etiam reprehendit Galenus lib.de ijs, quæ in medicatrina fiũt, in Procœmio. Neq; minor cauſa fuit operis deprauati, inſcriptionis libri mutatio, imò inter omnes hæc potiſsimum locum videtur habere, vt in ſingulis libris examinãdis poſtea adducemus, nũc id omittimus, ne ſæpè in paruo libello eadẽ cogamur repetere. Librarij etiam ſeu tranſcriptores, libros Hippocratis peruerterunt, veluti Galenus lib.1.de morbis vulga.ſect.2.cõm. 83. Et lib.3.de hum.cõm. 29. ſcriptum reliquit. Alias quoque cauſas Galenus cap.1.lib.de libris proprijs, adducit: hanc igitur ob rem dicens, & quoniam libros meos multi multifariam læſerunt, tanquam ipſorum proprios alij in alijs gentibus legentes, quædam tum demendo, tum addendo, tum immutando, conſultum mihi vi-

ſum eſt eam prius cauſam, quam propter illi hactenus corrupti, & deinceps, qui mei re vera ſint libri, & quæ cuiuſque materia exponere.

De libris editis à magno Hippocrate Cap. V.

GALENVS libro tertio de morbis vulgaribus, ſect. 1. comment. 4. inquit in hunc modum, Miror huius libri, vt aliorum etiam Hippocratis multorum infœlicitatem, quorum hi ſunt diſſipati, illi aliquid habent ſcriptis Hippocraticis adiectum. Rectiùs dicam fortaſſe infelicem non fuiſſe librum, cæterùm nos eius lectores, qui tempus in re perdimus inani, id eſt difficili, & quæ conſequi non poteſt. Hanc igitur ob rem & quoniam libros Hippocratis multi multifariam læſerunt, tanquàm ipſorum proprios, alij in alijs gentibus legentes, quædã tum demendo, tum addendo, tum immutando, conſultum mihi viſum fuit, eas priùs cauſas propter quas illi hactenus corrupti ſunt, explicare, vt dictum eſt, & nunc qui re vera Hippocratis magni libri ſunt, & quæ cuiuſque materia exponere. Initium à libris de morbis vulgaribus ſumendo. Quæ autem fuerit de horum librorum authore, Galeni ſententia, ipſe explicat libro ſecundo de difficult. reſp. cap. 8. dicens,

dicens, cùm ſeptem quidem ſint de morbis vulgaribus libri horum vtique ſeptimus euidenter ſpurius, iunior, & ſubornatus omnibus apparet. Quintus vero non magni Hippocratis illius Heraclidæ filij, ſed iunioris, Draconis nimirum: ſunt autem quibus ſecundus, quartus & ſextus, Hippocratis eſſe filij, nonnulli etiã quibus ipſius Hippocratis eſſe viſi ſunt, non tamen exquiſita cura ſcripti, & ordine digeſti, neque tales, vt qui aliquando Græcis ederentur, ſed vt commentarij tantum rerum antea obſeruatarum memoriam ſuggerentes, eſſent. Quibuſdam verò qui exactiùs librorum vim didiciſſe videntur, quinque quidem à Theſſalo, duo autem à magno Hippocrate conſcripti eſſe exiſtimantur, & propterea alibi inſcriptos eſſe hoc titulo, quæ ex parua tabella, quòd ſcilicet, Theſſalus omnia quæcunque pater eius conſcripſiſſet, ne quid periret, in vnum colligere librum ſtuduerit: ſolos vero ex ſeptem ijs libris primũ & tertium magni eſſe Hippocratis, propè omnibus inconfeſſo eſt. Et cap. 1. libro tertio eiuſdem operis inquit, quemadmodum autem primus & tertius, non ſolùm ab Hippocrate compoſiti eſſe videntur his, qui optimè de his ſentiunt ac iudicant, ſed etiam ob ſpeculationis familiaritatem mutuò inter ſe connexi: eodem modo, opinor, habent ea quæ in ſecundo & quarto & ſexto habentur. Inconfeſſo eſt

enim iam, etiam hos Theſſalum Hippocratis filium compoſuiſſe, vt qui in parentis tabulis, aut chartis, ſiue pellibus & membranis quibuſdam commentarios repererit, ipſeque etiam aliqua, eaque non pauca, de ſuo addiderit. At vero quintum & ſeptimum morborum popularium, non videtur mihi quiſquam genuina Hippocratis doctrina dignos cenſere, &, vt ego ſentio, neque quartum, quãuis quidam etiã hunc à Theſſalo compoſitum eſſe putent. Et libro ſexto, de morbis vulgaribus, ſect. 2. comment. 13. ſcripta namque, ait, ab Hippocrate in diuerſis, vel chartis, vel tabulis eius filium Theſſalum collegiſſe aiunt, duoſque hos libros ſecundum videlicet ac ſextum integraſſe: nonnulli & quartum addunt: primum vero ac tertium, vt ederentur, compoſitos eſſe conſtat. Ex quibus certè omnibus ſatis perſpicuum eſt, primum & tertium librum de morbis vulgaribus, ad magnum Hippocratem eſſe referendum, ſecundum vero ac ſextum, veterum & Galeni ſententia, vel ad magnum illum Hippocratem, vel huius filium Theſſalum authorem referri poſſe: alios vero ad ipſius Hippocratis nepotes: de qua re lege etiam eundem Galenum lib. 6. de morbis vulgaribus, in Procemio, & ſect. 1. comment. ſecundo. Et ſectio. ſecunda. comment. 44. Ex quibus quoque illud eſt intelligendum nonnullos libros Hippocratem ſcripſiſſe, vt ederẽtur, alios

vero,

vero, vt ſibi duntaxat eorum, quæ viderat fidelem ſuggereret memoriam, & vt Plato dixit ad obliuionem ſenectutis, quæ ipſe Hippocrates commentaria appellauit, vulgò memoralia vocantur. Et hæc quidem de authoribus horum librorum. Iam ad eorum titulum accedamus. Inſcribitur hoc opus. Epidemicon, id eſt, de morbis popularibus, ſeu populariter vagantibus, qui ſcilicet tempore quodam plures in eodem loco infeſtat. Qua quidem ratione nõ tantum peſtilentiam, ſed & quicunque alij morbi, qui in regione aliqua, eodem tempore multos inuadunt, complectuntur. Qui ſi cũ hoc quòd pluribus communes ſint, aliud etiam habeant, vt plurimos interimant, iam hic morbus peſtis nominabitur. Itaq; errare paſſim Medicorum vulgus manifeſtum eſt, qui Epidemiam cum peſte confundunt, cùm locum generis Epidemia ad peſtem obtineat. Cuius rei teſtis eſt Galenus qui lib. 1. de ratione victus.comment. nono, ita inquit, hac ratione quam plurimos quidem morbos vno tempore fieri oſtendit: quos ſanè, vbi pernicioſi fuerint, peſtem nominant. Vbi autem mitiores, alia quadam appellatione explicant, populares vocantes, vt ſit quidẽ popularis morbus, qui tempore quodam anni in regione aliqua abundat: peſtis vero Epidemia pernitioſa. Hæc ille. Illud etiam aduertendum eſt, Hippocratem in his libris potiſsimum

quæ ipſi experiebatur in ægrotis,ſcribere,quorum rationẽ alibi ſuggerit, cùm ſcilicet ſe ſe offert occaſio. Proinde hos libros priores eſſe alijs,dum adhuc Theoremata experimentis explotaret,ab Hippocrate ſcriptos eſſe, quemadmodũ teſtatur Galenus lib. 1. de diebus decretorijs.cap.3.dicens, Demonſtratum autem nobis eſt alibi, nec iam minus ex ſequentibus clarum euadet, prius Epidemicon libros Hippocratem ſcripſiſſe,dum ſpeculationes adhuc experimentis exploraret, nec generatim ſententiam de eis proferre auderet: & cap. 6. libr.ſecundo,eiuſdem operis, demonſtratũ enim, ait, nobis ſæpius eſt Epidemiorum libros prognoſtico prius & aphoriſmis ſcriptos eſſe, quòd memoriam rerum prius obſeruatarum ſuggerant. Aphoriſmos autem eſſe magni Hippocratis Galenus lib.tertio,de different.reſp. cap. primo,& capit.13.Affirmat:item Rufus, Pelops, Lycus, Soranus, Domnus, Attalio, & multi alij,qui Hippocratis interpretes extitere: quod etiam grauitas ſentẽtiarum (eſt enim Hippocratis ſententia in aphoriſmis quaſi natura loquens) quæ hic traduntur, facile confirmat. Deinde quod nemo tale opus aggreſſus ſit poſt Hippocratem, quem Philoſophi amicum naturæ dixerunt. Tentauit quidem Democritus talem librum conſcribere,ſed non potuit, vt Oribaſius aduertit. Quinetiam apud Græcos Aphoriſmi pri-

mùm ex ſtudioſiſſima Hippocratis Coi opera & ſolicita indagine inclaruerunt, libri aphoriſmorum ſeptem ſunt, in quibus ad finem libri ſeptimi nonnulli nothi ſunt additi, vt Galenus aduertit lib.4. de ratione victus, in Procœmio: & in alijs libris, nonnulli etiam interiecti fuere, vt Galenus ſcribit, aphor.47. lib. ſeptimo, & apho. 62. & 63. lib.5. Et aphor. 26. & 44. libr. ſexto. & aphoriſ.63. libr. ſeptimo. Porrò aphoriſmus, vt de inſcriptione dicamus, nil aliud eſt, quàm ſermo, qui breuiſſimis verbis omnes rei proprietates explicat & circunſcribit, vt definit Galenus apho. 1. libro primo. aphoriſ.28. lib. ſecundo, aphor.47. libr. quarto. aphoriſ.64. libr. quinto. & lib. quarto, de ratione victus. comment.19. Et lib. ſexto. de ſimplic. med. facul. in principio. Aphoriſmus etiam eſt ſermo verborum quidem inops, ſenſibus autem locuples ac diues. Quod de ſciẽtiarum principijs ſolet Ariſtoteles enunciare, maxima, nimirum qualitate, licèt mole minima ſanè ſint, vt capit. nono, libro ſecundo, Elench. & capit. quinto, lib. primo, de cęlo, tradidit. Hinc Galenus lib. primo, de criſ. capit.6. dixit, in aphoriſmis ſola capita Hippocratem conſtituiſſe, quæ in prognoſticis particulariter dicuntur. Definitiones quoque aphoriſmos appellat Galenus lib. quarto, de art. comment.42. Collegit autem Hippocrates Aphoriſmos ex ijs, quæ in libris de morbis vulgaribus ipſe Hippocra-

pocra-

pocrates eſt expertus, quemadmodum Galenus prognoſtico 38. libr. tertio. ſcripſit, vbi nomine ſententiarum, veluti in alijs plurimis locis, aphoriſmos intellexit. Nomen aphoriſmi deductum eſt à verbo ἀφορίζω quod ſeligere ſignificat: eſt enim aphoriſmus quaſi ſententia ſelecta, vt ex retrò dictis clarè intelligitur. Prognoſtica quoque eſſe eiuſdem authoris confirmat Galenus multis in locis, tum præcipuè libr. tertio. de differen. reſp. capit. primo. & cap. 13. Eſt enim hoc opus exactum, vt lib. ſexto. de morbis vulgaribus. ſect. ſecunda, comment. 44. ſcribit Galenus: quod hactenus nemo reprehendere auſus eſt, eodem lib. tertio, de difficult. reſp. cap. ſexto, authore. Et licet ex alijs operibus ſuis magnus meruit appellari Hippocrates, vt capit. 13. lib. de ſub figuratione Empirica tradit Galenus, præcipuè hoc nomen adeptus eſt ex arte ac ſcientia prædicēdi, adeoque, vt diuinus hanc ob cauſam appellatus fuerit, & omnium poſteriorum iudicio, Aeſculapij gloriam adeptus eſt. Quare opus hoc non ſolum perfectum ac conſummatum eſt, ſed dignum vt multis nominibus commendetur ac laudetur, vt latius cap. 3. lib. 1. de optima prædicendi ratione, diximus. De inſcriptione huius operis nihil hic dicam, cùm multa cap. primo, operis citati dixerim. Ad quem locum ſtudioſum lectorem mittimus. Cæterùm libri de victus ratione in morbis acu-

tis

tis germaniſſimi Hippocratis magni ſunt, quemadmodum Galenus affirmat capit. primo, libro tertio, de differē. reſp. & capit. ſexto, ita inquit, atque nullus, de ijs libris loquebatur, eorum qui ex contentionis ſtudio multos Hippocratis libros velut non genuinos reſcindunt, hunc librum detruncare ac Hippocrati auferre auſus eſt. Et lib. tertio, de morbis vulgaribus. ſectio. ſecunda, in Procœmio, ait, deinde amicorum exhortatione perſuaſus, commentarijs libri de victus ratione in morbis acutis partem expoſui partem ad balnearum vſque vſum, quæ quidem germaniſſima habetur. Hæc adiunxit Galenus, quia liber quartus de ratione victus Hippocratis non eſt, veluti ipſe in Procœmio eiuſdem libri in hunc modum aſſerit, quæ in libro de victus ratione poſt eum, qui de balneis eſt, ſermonem ſcribuntur, iure optimo plerique medicorum Hippocratis non eſſe ſint ſuſpicati. Nam ab ijs quæ antea ſcripta ſunt, & vi interpretationis & Theorematum integritate longo diſcedunt interuallo: & comment. quinto, eiuſdem libri, inquit, liber hic, etſi Hippocratis non ſit, antiquus tamen eſt, quippe qui legitimo operi iam Eraſiſtrati temporibus adiectus fuerit. Et comment. 38. libr. ſecundo, eiuſdem operis, nempe, ait, qui in hoc libro à balnearum conſideratione extant, ſi quis, veluti in typo, ab Hippocrate ad futuram memoriam ſcripta, in domo reperiens

riens poſt viri mortem deprompſit, forſan ratione quidem hoc fecit, veruntamen vt liber digna Hippocratis mente, non ſunt. Multis autem modis ij libri inſcribuntur, De ptiſana, & aduerſus Gnidias ſententias, vt lib. primo, eiuſdem operis comment. 18. libr. tertio, de different. reſp. capit. ſexto. lib. nono, de decretis Hippoc. & Plat capit. ſexto, lib. octauo. Meth. capit. ſecundo. Plinius hos libros de ptiſana citauit libro 18. capit. ſeptimo. Item Cœlius Aurelianus lib. primo, acut. paſſ. cap. 12. & lib. ſecundo, cap. 19. Aduerſus Gnidias ſententias idem Cœlius inſcribit lib. tertio, acut. paſſ. cap. octauo. Et lib. quarto, tard. paſſ. cap. tertio. Cæterùm huiuſmodi ſententiæ Gnidiæ Euryphonti attribuuntur, vt Galenus lib. ſexto, de morbis vulgaribus ſectio. prima, commento. 29. teſtatur. Nomen deduxere à Gnido, Euryphon enim Gnidius fuit, vt ipſe Cœlius lib. tertio, paſſ. acutar. capit. 17. inquit, velut à Coo Coacæ prænotiones. Vtranque autem inſcriptionem reprehendit Galenus lib. tertio, de alimen. facult. capit. 39. veluti & in aliquibus locis retrò citatis. Vera autem inſcriptio horum librorum eſt de victus ratione in morbis acutis, & de ratione victus acutorum: & hæc poſterior apud Galenum frequentior eſt, vt paſſim in eius monumentis reperitur. Verba quoque illa de victus ratione non referenda ſunt ſolùm ad cibum & potum, ſed ad alias etiã

res non naturales, vt Galenus lib. tertio, de morbis vulgarib. ſect. tertia, comment. 9. ita docet, Victum appello, non hunc tantum, qui cibo & potione conſtat, verùm etiam, qui omnibus alijs, vt otio, exercitatione, balneo, venere, ſomno, vigilijs, & omnibus, quæ quouis fiunt modo in corporibus humanis. Liber de aqua, aere, & locis germanus Hippocratis eſt, vt cap. primo, libro tertio, de difficult. reſp. docet Galenus. Quem de habitationibus, & aquis, & temporibus & regionibus, vult eſſe inſcribendum, Galenus cap. ſexto, libro de proprijs libris: cuius in hunc librum commentaria non extant. Agit ergo Hippocrates in hoc libro de morbis regionalibus, veluti in Epidemijs, de morbis, qui paſſim graſſantes, nominãtur. Differunt namq;, quòd hi quidem per aliquod tempus aliquam regionem peruadant, hi vero incolas, ac ſi cognati eſſent, nullo non tempore comitentur. Quo factum eſt, vt in libro de aere, aquis, & regionibus, ægritudines regionales docuerit, quæ per ſingulas habitationes fiant, in Epidemijs ægritudines, quæ per aliquod tempus paſſim vel ciuitates vel nationes adoriantur: & conſueuit quidem ambo hæc ægritudinum genera & communia & paſſim graſſantia nuncupare: cæteras vero omnes ſporadicas, ideſt diſperſas, ſcilicet quæ non omnino multos, ſed ſeorſum vnumquemque prehendunt. Vbi illud aduertendum

eſt,

eſt, quòd morbi communes aut fiunt ratione aeris, aut regionis, aut vtriuſque cauſa: illi qui fiunt ratione aeris Epidemici, populariterque graſſantes, dicuntur: de quibus in libris de morbis vulgarib. agit Hippocrates, & quos oportet Medicum diligentiſſimè cõſiderare, docuit pro gnoſtic. 38. lib. tertio. Et lib. ſexto, de morb. vulgarib. ſect. octaua. tex. 6. Verum ſi morbus is vul garis id quidem habeat, vt in aliqua priuatim regione ſæpiſſimè multos apprehendat, is morbus patrius, vernaculuſq́; , & Eudemus dicitur, de quo Hippocrates in libro de aëre, aquis, & lo cis. Alij vero morbi qui & ratione aeris & regionis proueniunt Sporades dicuntur, quaſi di ſperſi & diſtincti poſiti, qui plurimùm ex eorũ ſunt genere, qui ex victu conſiſtunt, ideoque Hippocrates in libris de victu acutorum de illis egit. Omnes igitur relatos libros Hippocratis eſſe Galenus palàm fatetur ad finem lib. tertij. de differen. reſp. Porrò ab hoc numero liber de natura humana exterminandus nequaquam eſt, idq́ue vel ſententia ipſius Galeni confirman dum, qui lib. de libris proprijs cap. ſexto, inquit tum libros de natura hominis duos; quib. iam abſolutis, cum audiuiſſem calumniari quoſdam hunc librum tanquam adulterinum, commotus ſum alios adhuc tres libros conſcribere, qui huiuſcemodi habent inſcreptionem. Quod Hip pocratem in alijs ſuis ſcriptis concordem habe-

re

re ſententiam cum eo de hominis natura libro appareat. Quæ verba iterum repetit in poſtremis verbis comment. in illum librum. Et paulò ſuprà teſtimonio Platonis in Phædro veluti, & in Procœmio eiuſdem libri, probat librum de natura hominis Hippocratis eſſe. Fuit autem Plato maximè vicinus Hippocrati, vt diſcipulorum Hippocratis coætaneus eſſet, vt in vita Platonis refertur. Inſcribitur autem ille liber de natura humana, ac ſi dixiſſet de principijs ac elementis hominis, tum animalium, tum omnium aliorum, vt ipſe tex. 15. eiuſdem libri declarat, & Galenus in expoſitione cõfirmat. Talis, inquit, eſt natura non hominis ſolùm, ſed etiam omnium aliorum, ſcilicet ex calido, & frigido, & ſicco, & humido ſimplicibus atque extremis attemperata. Hinc edidit Galenus duos libros de elementis ſecundum Hippocratem. In hanc ſententiam & laudem huius operis de natura humana multa annotauimus in noſtris comment. ſuper librum primum. de morb. med. cap. ſecundo. Ex quo loco clarè intelligitur librum de natura hominis Hippocratis eſſe. Is vero Hippocrates eſt, qui diſcipulos adiurat ſuos, antequã doceat, & in verba ſua iurare compellit, ac ſilentium ſacramento extorquet, ſermonem, inceſſum, habitum quoque præſcribens, & alia quæ ſuo Iureiurando habentur, à quo eſſe ſumendũ initium in facienda medicina volunt veteres

Hip-

Hippocratis interpretes, vt Oribaſius in præfatione Aphoriſmorum aduertit: & Scribonius Largus in præfa. ad Caium Iulium Calliſtum. Epiſtolæ, quæ ad finem operum Hippocratis extant, illius magni ſunt, quemadmodum ex Plutarcho conſtat, in vita Catonis Cenſorini. Liber de alimento paruus quidem eſt, ſed plenus multis varijsque ſententijs, quæ ab alio, quam ab Hippocrate magno ſcribi non poterant, ideo eius eſſe hunc librum planè affirmo, & ita ſub hoc nomine eum citat Galenus lib. ſexto, de locis affectis capit. ſexto. Et libr. ſexto, de morbis vulgaribus. ſect. tertia, comment. primo. Et libr. primo, de comp. med. per genera capit. 17. & alijs ſexcentis locis, in quibus ferè omnia quæ Hippocrates in eo libro ſcripſit, ipſe interpretatur. Si enim Hippocrati breuitas eſt propria, ſententiarum acumen, dicendi grauitas: is certè liber Hippocratis eſt, propterea quod in eo illa tria reperiuntur, & præter id pronunciatorum veritas, quæ ſola ſat erat, vt per eam libros Hippocratis inueniremus. Genuinum quoque eſſe Hippocratis librum de humoribus Galenus affirmat in cõmentarijs proprijs, licèt non deſint, qui velint hunc librum à Theſſalo Hippocratis filio, aut à Polybo eius genero confectum eſſe, quorum vterque in ſuis ſcriptis artem & ſententiam Hippocratis ſecutus eſt: Galenus tamen vbique Hippocratis nomine, eum veluti germa-

num

num citat & laudat, tum alibi, tum etiam lib. tertio, de morbis vulgarib. ſectio. ſecunda in præf. in quo etiam loco librum de vulneribus capitis & de vlceribus progenuinis ac proprijs ipſius Hippocratis habet, & etiam cap. ſexto, libro de proprijs libris, quippe qui & dictione & ſententiarum pondere & argumentorum plena bonæ frugis tractatione genuinam illam medicinę parentis Hippocratis ſapientiam referre videntur. Liber de fracturis & de articulis, ex aliquorum ſententia lib. primo, de ratione victus. comment. 18. attribuitur Hippocrati Gnoſidici filio, auo nempe magni Hippocratis Heraclidæ filio. Verùm ſi penitiùs ſententiarum pondus horum librorum perpendamus, haud dubiè eſſe magni Hippocratis opera, inueniemus: ideoque ea opera exacta eſſe dixit Galenus libro ſexto, de morbis vulgarib. ſect. ſecunda. comment. 44. Et inter opera magni Hippocratis ipſa quoque enumerauit lib. tertio, de morbis vulgarib. ſect. ſecunda. in Proœmio: & cap. ſexto, lib. de proprijs libris. Liber de ijs, quæ in medicatrina fiunt ab Hippocrate magno fuit factus, non tamen vt ederetur, ſed in modum commentarioli exemplaris, poſt tamen authoris mortem fuit editus, vt declarat Galenus lib. tertio, eiuſdem operis, comment. 27. Et lib. ſecundo, comment. 23. inquit, non fuiſſe recognitum ab Hippocrate priuſquam ederetur, ideoque opus non ab-

ſolutum ipſum appellat, comment. 26. eiuſdem libri. Hinc eſt, quòd nonnulli Hippocratis interpretes crediderunt opus hoc eſſe primi illius Hippocratis Gnoſidici filij: nõ enim, inquiunt, debere nos exiſtimare breuem illum libellum, qui nunc ita inſcribitur, eſſe eum qui à magno Hippocrate fuerit conſcriptus, qui inter Græcos optimus & Medicus & ſcriptor habitus fuit, veluti ſcripſit Galenus lib. primo, de fract. comment. 1. Quo etiam in loco reprehendit Galenus eos, qui vnam communem inſcriptionem eſſe aſſeruerunt, quæ in medicatrina fiunt, prædictis libris: qui deinde ob magnitudinem in duas partes fuerit diuiſus: quarum altera, quæ prior eſt, de fracturis: ſecunda de articulis inſcriptionem obtinuerit, veluti etiam idem Galenus lib. quarto, de art. comment. 49. refert. De inſcriptione hac multa Galenus lib. primo, eiuſdem nominis, comment. quinto, & cap. ſexto, libro de proprijs libris, de ijs quæ in medicatrina fiunt, id eſt, de ijs quæ ex medica ratione fiunt, item de officina chyrurgiæ, ſeu de Medico vulnerario. Liber de natura pueri editus eſt à Magno Hippocrate, adeò, vt Galenus in libro an animal ſit id, quod in vtero eſt, cap. ſecundo, dicat ſcripta in eo libro ab Hippocrate, veluti ex Delphico tripode prædiuinante, ac prædicante, eſſe aſſerta: & capit. nono, libro primo de ſemine admirabilem ac diuinum appellat

Hip-

Hippocratem, ob ea quæ in eo libro ſcripſit. Et Macrobius libro primo, in ſomn. Scip. cap. ſexto, citans hunc librum, inquit Hippocratem neque fallere, neque falli poſſe. Quòd ſi hæc vera ſunt, mirum eſt, cur Galenus videatur quaſi palinodiam recantare, libro de fœtus formatione capit. primo, dubitans de hoc libro, num ſit Hippocratis, an vero Polybi eius diſcipuli, niſi velit Polybum æqualem facere cum magno Hippocrate, quod nullo pacto erit concedendum. Neque illud ſilentio erit prætereundum, quod aliud doceat Hippocrates in hoc libro, quàm ſe facturum antea in iureiurando pollicitus ſit: aduocans omnes tum Deos, tum Deas etiam ſibi teſtes, ſe nunquam medicamentum quo fœtum corrumpere poſſit propinaturum, neque cuiquam vt id faceret conſulturum. Interim tamen iam contrarium feciſſe videtur, dum illo libro vxoris ſuæ Pſaltriam, quam nõ fuerat honeſtum concepiſſe, ad eijciendum fętum commouerit. Libellus de lege, licèt nunquam à Galeno citetur, magni Hippocratis eſſe videtur: in eo namque docentur conditiones futuri Medici, & digni arte Hippocratica. Quiſquis enim, inquit, medicinæ ſcientiam verè ſibi comparare volet, eum ijs ducibus voti ſui compotem fieri oportet: Natura, doctrina, loco ſtudijs apto, inſtitutione à puero, induſtria, & tempore: quas omnes conditiones minutatim capit. 25. libro

primo,noſtr. parad.explicuimus. Inſcribitur ergo de lege, ac ſi diceret, De natura: lex namque apud Hippocratem naturam ſignificat, libro primo, de fract.text. ſecundo, & lib.de genitura in primis verbis ſcribit ille author, Lex omnia corroborata, ideſt, natura. Liber de ſeptimeſtri partu Hippocratis quoque eſt, vt commentarij Galeni in illum librum oſtẽdunt, & idem confirmat libro ſexto, de morbis vulgaribus, ſect. ſeptima. comment. 27. Perinde dicendum eſt de libro de octimeſtri partu. Liber quoque de ſuperfœtatione, Hippocratis eſſe videtur. Propterea quòd, quæ in hoc libro continentur, in alijs germanis ipſius Hippocratis reperiuntur. Hæc ſunt Hippocratis opera, quæ Galenus Medicorum maximus,auxit, amplificauit, & ad ſummum vſque compleuit. Difficillimas enim ob breuitatem Hippocratis ſententias & oracula adeo ſapientiſſimè, copioſiſſimè, & clariſſimè aperuit, vt ex vna Hippocratis ſententiola, nobis plurima commentaria reliquerit. Poſt hos aũt,duo in medica facultate lumina,plurimi tũ Grçci, tum Arabes,atq; Latini emerſerunt,q illos fideliſſimè interpretãdo,multa cõdiderunt volumina,quib. rei medicę auctio facta eſt,& plurima antiquis partim omiſſa,partim ignorata,nos docuerũt. Hac nẽpe via,vt reliquę artes, ſic medicina ad id deuenit, vt ad cumulum eius nil amplius deſideretur.

De

De libris Polybi paſſim nomine Hippocratis, citatis. *Caput VI.*

PRAETER Draconem ac Theſſalum, vt dictum iam eſt, habuit Hippocrates magnus filiam, quæ Polybo Hippocratis diſcipulo nupſit. Qui non ſolùm diſcipulus fuit, ſed etiam in docendis diſcipulis ſucceſſor: nulli ſanè viſus in ſuis ipſius libris ab Hippocratis doctrina deuiare, non ſecus ac Theſſalus filius ipſius, & hic quidem vir admirandus, ſed in patrio ſolo, ſicut Polybus non vixit, verſatus cum Archelao rege Macedoniæ. Is ergo multa opera conſcripſit, inter quæ liber Secundus de natura humana eſt, veluti Galenus libro ſexto, de decretis Hipp. & Plat. cap. tertio, docuit. Et in Procemio lib. ſecundo, de natur. hum. inquit, Et videtur quidem eſſe commentarium Polybi Hippocratis auditoris. Ariſtoteles quoque lib. tertio, de hiſtor. anim. cap. tertio, nomine Polybi citat ea, quæ ibidem de venis ſcribuntur. Et hoc argumento liber de oſſium natura eſt Polybi, propterea quod eandem ſapiat doctrinam, vt de venis & alijs, videre licet, quam in libro ſecundo de natur. hum. tradidit: nuſquàm tamen à Galeno citatum reperio: ſæpius à Ruffo, in libris, quos de corporis humani partium appellationibus, compoſuit. Apud Ianum Corna-

rium liber de oſſium natura inſcribitur etiam, Mochlicus, ideſt, rectiarius. Mochlia autem traductio eſt oſsis, aut oſſium ad naturalem locum ab eo, qui præter naturam ſit. Liber etiam de Salubri diæta Polybi eſt, vt planè fatetur Galenus in Procemio eiuſdem libri, & comment. quarto. Et lib. primo, de ratione victus. comment. 18.

De libris, qui Hippocrati Draconis filio, tribuuntur. Cap. VII.

GALENVS libro ſecundo, de differen. reſp. cap. octauo. inquit, librum quintũ de morbis vulgaribus eſſe Hippocratis filij Draconis: Quintus vero, ait, non magni Hippocratis Heraclidæ filij, ſed iunioris filij Draconis. Ex ijs conſtabit, libellum de inſania huius Hippocratis eſſe, in quo ita ſcripſit: porrò in quinto popularium morborum libro quendam recenſui, cui fiebat vocis interceptio, ignorantia, frequentes delirationes & reuerſiones. Quo etiam in loco libellum de morbo ſacro citat à ſe ſcriptum, quemadmodum, inquit, in libello de morbo ſacro dixi.

De libris, qui Hippocrati Theſſali filio, tribuuntur. Cap. VIII.

GALENVS libro ſexto, de morbis vulgarib. ſect. prima. comment. 29. Ex ſententia Dioſcori-

ſcoridis vult librum de morbis eſſe Hippocratis Theſſali filij. Quinetiam, inquit, & in libro de morbis Hippocrati aſcripto, quem Dioſcorides ab altero Hippocrate Theſſali filio ſcriptũ eſſe voluit. Quod ſi hoc verum eſt, liber de genitura huius quoque Hippocratis erit, hoc ſanè argumento, quòd veluti in lib. quarto, de morbis enumerantur quatuor humores ijs nominibus, ſanguis, bilis, aqua, & pituita, ſic & in libro de genitura referũtur, vt nomine aquæ, quę in ſplene continetur melancholia intelligatur. Nam Hippocrates hunc humorem nõ ſolet hoc nomine appellare, vt conſtat ex lib. primo, de natur. hum. & ex illo libello Galeni, quem in ſcripſit, breuis denotatio dogmatum Hippocratis, veluti refert Stobæus ſerm. 101. Liber etiam de medicamentis purgantibus ob eandem cauſam huic Theſſali filio tribuendus eſt.

Quòd Coacas prædictiones & prorhetica vtriq; Hippocrati Galenus referat. *Cap.* IX.

GALENVS prorhet. 18. lib. ſecundo, inquit, quod ſæpius iam & antea dictum eſt, dicam & nunc. Qui librum hunc compoſuit, videtur quidem eiuſdem cum magno Hippocrate eſſe artis, ſed ipſo longè eſt inferior: atque ob id quidam librum hunc, Draconis Hippocratis, alijs Theſſali eſſe putauerunt. Duo ſiquidem Ma-

gni Hippocratis filij fuiſſe perhibentur, Draco & Theſſalus: quorum vtriuſque rurſus filius Hippocrates. Conſtat ergo ex ijs Galeni verbis Prorhetica & Coacas prædictiones non eſſe magni Hippocratis, quòd erroribus ſint plena, vt lib. 3. de morb. vulg. ſect. 2. com. 1. inquit Galenus. Et repetit idem prorhet. 4. & 5. libr. 1. Et prorhet. 59. lib. 2. Et prorhet. 12. lib. tertio, & lib. de præcogn. ad Poſt. cap. 4.

De libris de diæta iudicium. *Cap.* X.

FATETVR Galenus libro primo, de alimen. facult. cap. 13. librum de diæta non eſſe Hippocratis, eſſe tamen viri alicuius antiqui, & aphor. primo, lib. ſexto, inquit, in libro autem de victu ſalubri, qui & ipſi Hippocrati aſcribitur (licet, qui adulterinum cenſent, nonnulli ad Ariſtonem, nonnulli ad Philiſtionem, quidam ad Pherecydem referunt) ſcribuntur hæc verba. Et libr. primo, de ratione victus, commento 18. ait, tum etiam ex Hippocrate ipſo, qui in libro de victu Salubri de Chondro ipſo mentionem fecit. Nam etſi liber ille Hippocratis non ſit, ſed vel Euriphontis, vel Phaontis, vel Philiſtionis, vel Ariſtonis, vel alterius cuiuſpiam ex antiquis (nēpe ad multos librū hunc referunt) ſanè omnes hi ueteres uiri ſunt, atque ex eis quidam & Hippocrate antiquiores, alij vero tēpore ipſius vixerūt. Et cap. 1. lib. 1. de alimen. facult. ita in-

inquit, in præſentia vero tempus expoſcit, vt alimentorum temperamenta exequamur ea methodo, qua in libro de victus ratione ſcripta ſunt, qui eſt, vt nonnullis placet, Hippocratis: vt alijs, Philiſtionis, aut Ariſtonis, aut Euryphontis, aut Philitæ, omnium antiquorum virorum. Initium autem ipſius in nonnullis exemplaribus eſt, ciborum omnium ac potuum facultates, tum naturales, tum arte accitas ſic dignoſcere oportet. In alijs autem hoc, locorum autem omnium ſitum ac naturam ſic oportet dignoſcere. Cum nãque ſeorſum libellus ille circunfertur, de ratione victus inſcribitur, eſtque is ſecunda pars, cum opus totum in partes tres ſit diuiſum. Cum vero totus vnicus & non diuiſus ex tribus conflatus inuenitur, de natura humana, & victus ratione inſcribitur. Secunda igitur pars, in qua agitur de cibis, non ab re forte Hippocrate digna putabitur, ſed prima quam plurimum ab Hippocratica ſententia recedit.

Quod cæteri libri Hippocratis magni non ſunt, ad aliquem tamen virum antiquum ſunt referendi. *Cap. XI.*

NVNC ſigillatim iudicium aliorum librorũ percurrã, ne quid in hoc munere obeundo intactum relinquatur. Liber de locis in homine, quem clarius inſcribes de partibus corporis humani, non eſt magni Hippocratis: licèt

Ruffus

Ruffus Epheſius lib.2. de corporis humani partium appellationibus ſub Hippocratis nomine ipſum citet, & Cęlius Aurelianus lib.5. tardarũ paſſ.cap.1.ad finem, vt hinc cognoſcatur quanta ſit confuſio in nomine Hippocratis. Liber de glandulis non eſt Hippocratis, vt Galenus inquit lib.1.de art.cõm.46.Non tamen vllus, ait, de Glandularum ſolimembria Hippocratis liber nunc extat: tametſi quidam ex recentioribus Hippocratis ſectatoribus paruum quendã librum edidit de glandularum ſolimembria inſcriptum, qui & dicendi forma, & ſententijs longè à germanis Hippocratis operibus abeſt. Vt omittam quod neque ex ſuperioribus Medicis quiſpiam mentionem eius fecit: neque qui iudices librorum Hippocratis cõdidere, eum agnoſcunt. Liber de affectionibus, cuius ſit, à Galeno ambigitur aphor.1.lib.6.dicens, ſiue Hippocratis ſit liber, ſiue Polybi eius diſcipuli. Liber de internis affectionibus Hippocrati attribuitur, ſed quiſnã ſit eorum, dubitatur, & meritò quidem. Nam cũ Hippocrates lib.3.de ar.cõm. 18. de diuturnis pulmonis morbis alibi dicturum promittat, liberque ille (vt Galenus in cõm. affirmat) non extet: quamuis in maiori libro de affectionibus, qui incipit, ſi pulmonis arteria vlcerata ſit: & in primo de morbis pulmonis, multa ſanè ſcripta ſint, in neutro tamen perfectè definita reperiuntur. Vbi vtrunque opus nõ

ab

ab alio, quàm ab Hippocrate ſcriptum à Galeno non admodũ occultè inſinuatur, qui ex tot Hippocratibus quis ſit, conſtare non poteſt, niſi alterum ex nepotibus eſſe conieceris, nempe Theſſali filium, aut Draconis. Nec enim à primo Hippocrate vtrunque librum eſſe confectũ, tibi perſuadere poteris, cũ ex quorundam ſententia (vt ſuprà dictum eſt) nihil ſcripſerit: nec à magno Hippocrate, quoniam (vt lib. 2. de ratione victus, cõm. 38. dicitur) digni magni Hippocratis non ſunt, quanquam multa in his bene ſcripta ſunt. Cum igitur vtrunq; opus neutrius numeratorum ſit, nempe Hippocratis Gnoſidici filij, aut Heraclidæ, alterius ex conſobrinis eſſe coniectandum tibi relinquitur, Theſſali videlicet filij, aut Draconis. Mihi autem Theſſali filius Hippocrates libri de internis affectionibus author eſt, non ſecus quàm libri de morbis, quem eidem tribuere Galenus palàm videtur lib. 6. de morbis vulg. ſect. 1. cõm. 29. Liber de carnibus, quem Cæſar Scaliger lib. 15. aduerſus Cardanum exotericar. exerc. exerc. 10. de membrorum conſtitutione inſcribit, non eſt Hippocratis: cùm in eo reperiantur multa Hippocrate indigna, qualia ſunt de vita hominis, de nutrimento fœtus, de generatione ſtercoris, & alia nõ pauca. Liber de flatibus Hippocratis non eſt, ſed memorabilis tamen viri videtur eſſe, tum quòd ad dictionem, tum quod ad ſen-

tentias

tentias attinet, quas Galenus non raro adducit. Hippocratis autem neque modus dicendi, neq; ſententiarum acumen in ipſo eſt. Ceteri libri qui nomine Hippocratis paſsim circunferũtur, veluti liber de arte, de veteri medicina, de Medico, de decenti ornatu, de præceptionibus, de corporum refectione, de exſectione fœtus, de dentitione, de corde, de inſomnijs, de humidorum vſu, de virginum morbis, de natura muliebri, de morbis mulierum, de ſterilibus, de iudicationibus, de diebus iudicatorijs, de fiſtulis, de hæmorrhoidibus, de viſu, à Galeno nuſquã citati reperiuntur, ideoque magni Hippocratis non ſunt. Non tamen omnino ſunt ſpernendi: habent enim complures ſententias memorabiles, & non niſi ab aliquo viro doctiſsimo ſcriptas, & quæ ex ſe fidem faciunt. Etenim in medicina, quid dicatur maximè conſiderandum eſt, & non à quo dicatur, aut Greco, aut Arabe, aut Latino. Remedia enim curant morbos, non authores. Quare remedia à quouis petenda ſunt, eaque ipſa, aut bona, vel mala confirmanda, aut refutanda: authores vero diligendi, qui nobis talia remedia inuenerũt. Quod tibi apophtegmate Alexãdri perſpicuè illuſtrabo. Alexandrũ commonefaciebant, vt Græcis quidem ſicut amicis, Barbaris autem ſicut hoſtibus vteretur. Satius eſſet, reſpondit Alexander, hæc virtute, atque malitia diuidi:

complu-

complures enim Græcos malos eſſe, & Barbaros vrbanos, ſicut Indos & Arianos, Romanos etiám & Carthaginenſes reſpublicas mirifice tractantes. Tanti ergo viri conſilium ſequamur, vt veritatem cuiuſlibet rei cæteris omnibus anteponamus. Quare, Lector amice, in cuius gratiam hæc ſummis vigilijs à me ſcripta & notata ſunt, boni, præcor, conſulas, ſi non rationem inſtituti mei perfectè abſoluerim, ſat eſt breuem hanc ſubmonitionem proſecutum fuiſſe.

FINIS.

INDEX CAPITVM QVAE IN HOC LIBELLO CONTINENTVR.

QVANTVM *ſit neceſſe libros veterum incorruptos habere. Cap. j. fol.* 2
De more veterum ſcribendi in tabulis, & de origine artis impreſſoriæ. Cap. ij. 5
De magno Hippocrate, patre, & auo, & nepotibus. Cap. iij. 7
De cauſis corruptorũ operũ magni Hippocratis. C. iiij. 10
De libris editis à magno Hippocrate. Cap. v. 12
De libris Polybi, paſſim nomine Hippocratis, citatis. Cap. vj. 21
De libris, qui Hippocrati Draconis filio, tribuuntur. Cap. vij. 21
De libris, qui Hippocrati Theſſali filio, tribuuntur. Cap. viij. 21
Quòd Coacas prædictiones, & Prorhetica vtrique Hippocrati, Galenus referat. Cap. ix. 22
De libris de diæta iudicium. Cap. x. 22
Quod cæteri libri Hippocratis magni non ſunt, ad aliquem tamen virũ antiquum ſunt referendi. Ca. xj. 23

FINIS.